RICH. VIII
COM. PALATINI
HISTORIARUM,
LIB. VI.

ATREBATI.

1597—98.




PERSEVERANDO
James Frampton

D2/-

By Richard White
of Basingstoke

Excessively rare
£25.

atrebati = arras

1st Ed

RICARDI VITI BASINSTOCHII COMITIS PALATINI HISTORIARVM LIBRI,

1. *Ab Origine ad Brotum.*
2. *Ab illo ad Mulmutium.*
3. *Ab hoc ad Helium.*
4. *Ab isto ad Lucium.*
5. *Ab eo ad Constantium.*

CVM NOTIS ANTIquitatum Britannicarum.



ATREBATI,
Ex Officina Gulielmi Riuerij,
M. D. XCVII.

THOMAS VITVS ARTIVM DOCTOR, ET LYTA IVRIS Lectori S.

INTER Historiam & Annales hæc, opinor, est vera differentia, quòd Historia sit eorum temporum, quæ vidimus ipsi, aut videre certè potuimus: Annales verò, eorum annorum, quos ætas nostra non vidit. Quia tamen Historia Britannica dicitur ea, quæ antiquorum Principum Britannorum est, & in omnibus ferè Bibliothecis veteribus inuenitur; noluit parens meus mutare nomen, quod Antiquitas incorrupta, & pura transmisit in posteros. sed Historiarum libros de rebus antiquè gestis in Britannia offert tibi, Amice Lector, quos si placere cognouerit, & ad sua tempora possit aliquando deducere, felicem se iudicabit. Nam a suo tempore rem incipere, non putabat expedire, propter accusationem Polydori Vergilij de vetustate Britannica, tanquam commentitia; vt etiam propter exemplum Cremutij Cordi, cuius libri per Aediles comburendi ex sententia Patrum iudicabantur eo solo, quòd laudato M. Bruto dixisset C. Cassium esse Romanorum suo tempore vltimum. Tanta est nostri quoque temporis æmulatio, vt Historiam ipsius, homini scripturo periculum facile creare, propterque veritatem sibi dicendam necessariò, parere odium Principum virorum possit.

SERE-

SERENISSIMO PRINCIPI ALBERTO SANCTÆ ROMANÆ

Eccleſiæ, Cardinali, Archiduci Auſtriæ, & Philippi Catholici Regis in Belgio Gubernatori generali, felicitatem.

CVM Britannia ſit inſularum omnium, quæ fama feruntur, in orbe terrarum antiquiſſima, & ſicut ait Plinius, Græcis Latiniſque litteris maximè celebrata; ſatis admirari nequeo, Princeps Illuſtriſſime, nul-

lum extare librum antiquitus ea de re ſcriptum; ſed oportere nos tanquam apes ex varijs floribus mel carpunt; ita de diuerſis auctoribus capere paſſim ſententias, eaſque ſimul ad vnum collectas velut in alueos recondere. Qui labor, admodum pauca ſeligendi, ex multis perlectis, quantus fuerit homini publicis priuatiſque negotijs occupatiſſimo, intelligi facilè poteſt. Nam ſi Marcus Cicero vir eloquentiſſimus de Republica ſcripturus dixit, ſe rem magnam, & grauem eſſe complexum, plurimique otij, quo ipſe maximè indigebat: quid ego me facturum eſſe ſperem, ſi conarer non modò de ſtatu Rerumpublicarum, ſed & de Principibus, qui eas regunt, deque rebus illorum bello geſtis ſcribere? quarum certè rerum tanta

eſt varietas,ne dicam obliuio, propter nimis longam temporum vetuſtatem, vt planè difficillimum exiſtat, aliquid fere probabile de his per coniecturam ſaltem conſequi. Sed me tamen, labor improbus omnia vincens, vt ille poëta dixit, &, dulcis amor patriæ; multorumque Clariſſimorum virorum cohortatio per annos iam plures; coëgit huc deuenire, & opus ab omnibus penè deſperatum aggredi. Cuius initia ſub felicibus auſpicijs, fortunatoque nomine veſtræ Celſitudinis apparere deſidero, quòd illa repræſentet & Generis ortu, & profeſſione Religionis, ac Imperij dignitate maximos eos populos, qui in hac inſula, Romani, Germanique, potentiſſimè regnauerunt. Quas ob cauſas, inſulam Britanniam & a veteri-

bus dictam, & Germana fortitudinè, Romanam; offero nunc, ab origine sui, Christianam primò factam in qua perlustranda inuenietur profectò, vel ego vehementer erro, quod hanc animi magnitudinem, & summam in rebus gerendis felicitatem, oblectet.

HIS.

HISTORIARVM LIBER PRIMVS.

QVÆ res in demonſtranda Britannia duæ plurimum poſſunt, forma loci, & genus hominum; eæ ambæ ab hiſtoricis minus accuratè deſcribuntur. Nam eſt inſula triquetra; & Siciliæ maximè ſimilis: 1 quæ fert populos, & Reges populo- 1
rum. 2 Ea ſui natura eſt triquetra, cuius qui- 2
dem vnum latus eſt contra Galliam. huius lateris alter angulus, qui eſt ad Cantium, quò ferè omnes ex Gallia naues appelluntur, ad orientem ſolem, inferior ad meridiem ſpectat. hoc latus tenet circiter millia paſſuum quingenta. Latus alterum vergit ad Hiſpaniam, atque occidentem ſolem, qua ex parte eſt Hibernia, dimidio minor (vt exiſtimatur) quàm Britannia;
Sed pari ſpatio tranſmiſſus, 3 atque ex Gallia 3
eſt in Britanniam. Huius eſt longitudo lateris ſeptingentorum millium paſſuum. Tertium eſt contra Septemtrionem. cui parti nulla eſt obiecta terra. Sed eius angulus lateris maximè ad Germaniam ſpectat. Hoc millia paſſuum octingenta in longitudinem eſſe arbitrantur. Ita omnis inſula eſt in circuitu vicies centena millia
paſſuum. 4 Hæc forma trium angulorum per 4
naturam, fit illuſtrior ſimilitudine comparationis cum Sicilia. quæ promontorijs, vt vocant, tribus, Pachyno, Lilybęo, & Peloro in diuerſa procurrentibus, efficit eam, quam Græ-

5 ci τριγακρίαν, 5 dicunt. Sic enim Britannia inter Septemtrionem & Occidentem ſolem proiecta, grandi angulo proſpicit oſtia Rheni fluminis. Inde obliqua littora retrò abſtrahit, & altero eorum Galliam, altero Germaniam, vt iam diximus, intuetur. Tum directi littoris margine perpetuo, rurſus a tergore abducta, iterum ſe in diuerſos angulos triquetra cuneat. Inſula
6 ſpatio ac cœlo maxima 6 earum omnium, quas notitia Romanorum complectitur, ab ortu ſolis, qua parte ſpectat Germaniam alluitur mari, quod inde Germanicum appellatur. a meridie, qua Galliæ reſpondet ex altera parte, ma-
7 re Britannicum 7 eſt. ab occaſu, quà ſita eſt Hibernia, Vergiuius Oceanus perrumpit ad
8 Britanniam: quæ promontorio Belerio. 8 proſpicit occidentem ſolem, & orientem Cantio, & Taruiſio Septemtrionem. Adeo vt quis diceret, oram Gallici littoris, eſſe finem orbis terrarum, niſi Britannia inſula, non qualibet amplitudine conſtans, nomen alterius Orbis habere mereretur. Cuius ipſe ſitus demonſtrat, eam cælo mitiſsimo, ſoloq; feliciſsimo præditam eſſe, temperatum enim cœlum oſtendunt æſtates minus feruidæ, dum perennes auræ interrumpunt ardentes radios ſolis, fructuſque terræ naſcentes recreant, & hominibus, pecoribuſq; iucūdiſsimè pariter, ac ſaluberrimè blandiuntur. Hyemes ſunt etiam clementiſsimæ, vimque frigoris, nequid interim dicam de aëre craſsiore, frequentes pluuię, ſedatęq; diſſoluunt. denique circumfuſum mare, cum a ſplendore ſolis calefit, moderato tepore ſuo terram fouet. Idcirco loca Britanniæ ſunt temperatiora, quàm in Gallia, remiſsioribus frigoribus. ſunt etiam temperatiora, quàm in Italia, quòd omnis aſpe-

ritas

ritas frigorum absit. Et illud quoque, sicut est verum, Britanniã defici magno solis ardore, ita verum est, eandem refici feruore maris circumfluentis. adeo vt omni genere frugum beata, tanquam altera Sicilia, Cereris ipsius sedes, esse videatur. Nam ita veteres existimauerunt, & itinerum commoditate, & agrorum vbertate Siciliam esse, totius Italiæ horreum, frumentique copia Cereris regnum proprium. Nec aliter sese habet Britannia, commodo vndecumque interuallo a vicinis regionibus, quę circumiacent, sic disiuncta, vt quibusdam patentibus gremijs, oportuna commercijs vniuersi terrarum orbis, & tanquam ad omnes homines iuuandos producta, qualibet ex parte in mare distendatur. certè frugum, tritici, frumentique vbertate tam ferax est, & fertilis, vt Imperij Occidentis horreum, celláque penuaria iudicaretur, dum ex ea Romani nauibus octingentis, quæ fuerunt omnes lembis maiores, tantam vim frumenti quotannis in Germaniam exportauerint, quanta sufficeret militibus eorumdem limitum alendis. Quæ satis ad formam loci demonstrandam multa esse viderentur: nisi quòd antiqui dixissent insulam totam, similem oblongæ scutulæ, quæ rotunda est, sicut araneæ tela: eandemque comparauerint cum bipenni, quæ est instar securis. Nam has vtrasque figuras probabile est intelligi de forma Britanniæ citra Caledoniam. 9. Sed vltra, transgressus omnis 9
insulæ per vniuersum, ac immensum, & enorme spacium terrarum iam extremo littore procurrétium, velut in cuneum tenuatur. Et quòd eius incolas vocant, Penitus toto diuisos orbe, Britannos; hoc idcirco dictum esse creditur, quòd olim coniuncta continenti fuerat ea, quæ nunc

est insula Britanniæ. nam hæc in Oceano Septemtrionis est sita, & Alter Orbis a poëtis veteribus appellatur. Ista enim prorsus maxima est similitudo, quam Britãnia habet cum Sicilia. Fuit nimirum aliquando continens, & agro Brutio adnexa Sicilia; post freto maris scindebatur. Fuit etiam continens olim Britannia, quæ nunc ab alijs Europæ partibus disiungitur freto, quòd Gallicum vocant, quoniam agro Gallico prius ibidem adnectebatur. Ipsa natura loci, & circiter millium passuum triginta, breuissimus inde traiectus in Britanniam, hoc demonstrat eo
10 portu, quem Itium ab itando 10, dixerunt.
Quo in traiectu, mare sic se vehit in altum, & rursus in arctum ita se quandoque premit, vt quidam ibi terras putauerint, aut manu hominum fuisse perfossas, aut vi vndarum; quas dixerunt, Freta Morinûm dubio refluentia ponto, concitare. Nam istud fretum verè tollitur horrendis ęstibus, iterumq; vt in agrorum valle, complanatur. Bis inter duos ortus Lunæ fluit, & refluit; supráque modum omnem intumescit Oceanus, & aquarum moles irruit in littus cum tanto murmure, vt Hæc Rhutupina littora feruere tam frequenti, vehementiq; motu antiqui poëtæ scripserint. quippe, Rhutupini Britanniæ populi, erant vicini littoribus huius maris, sicut ex aduerso littore continentis, consederunt antiqua lingua Celtarum dicti populi Morini, tanquam maritimi. nam aiunt Morinum idem esse, quod ponticum. Neque tamen ita continens Britannia fuit, vt continentes vocant Iurisconsulti, eas prouincias nempe, quæ iunctæ sunt Italiæ, veluti Galliam, & Siciliam, quantumuis hæc verè sit insula: eamqúe inter continentes magis idcirco numerent, quàm in-

ter

ter prouincias transmarinas; quòd ab Italia modico freto nunc Sicilia diuidatur. Neque etiam vt ijdem, Germaniam & Mysiam dicunt, fuisse prouinciam eandem, sed postea diuisam constitui sub duobus Præsidibus; & Britanniam Galliamq́ ab initio similiter vnam terram fuisse
11 atque Galliam deinde in prouincias octode- 11
cim diuisam, addita insula Britanniæ, quæ cum ceteris cohęreret. Sed verè sui natura fuit continens Britannia, & vna tellus verè cum Gallia fuit. quo tempore autem Britannia cæpit insula fieri, non magis illud est certum quàm de Sicilia. cuius loca Vi quondam, & vasta conuulsa ruina, Dissiluisse ferunt: cum protinus vtraque tellus, vna foret.

Tantum, aiunt, longinqua valet mutare vetustas.

Probabile tamen est, Britanniam fuisse continentem ante diluuium orbis terrarum. quæ sat multa dicta sunt de forma loci. nunc de genere hominum. Pars iuterior Britanniæ incolitur ab ijs, quos natos in insula ipsi, memoria proditum esse dicunt. maritima pars ab ijs, qui prædæ ac belli inferendi causa, ex Belgio vel alijs locis transierunt. Hi qui statim initio nascebantur in
insula, Græcè αὐτόχθονες, 12. tanquam de illa 12
ipsa terra nati appellantur. non quòd in principio homines more fungorum è terra germinarent: sed quòd eorum genus, qui primò venissent illò habitatum, sit omni memoria hominum antiquius. Quocirca vt omnibus alijs populis, quorum historiæ diligenter & accuratè scribuntur, hoc vnum fuit semper difficile, primam suæ gentis originem enarrare. sic est profectò Britannis, qui rebus potius gerendis, quàm scribendis occupantur. Nam ideo Britanniæ situm, populosq́ dicunt, a multis scriptoribus esse me-

memoratos;ceterum,qui mortales initio coluerint insulam, vtrum indigenæ, an verò aduecti, hoc inter eos, qui scripserunt, non esse compertum. Varij corporum habitus sunt,& argumenta quædam, veluti rutilæ comæ eorum qui habitant Caledoniam,magnique hominum artus, quæ ipsorum originem Germanicam esse declarant. Vultus Silurum colorati, tortíque crines, & posita contra Hispaniam eorum regio demonstrat, veteres Iberos ibi traiecisse, ac illas sedes quondam occupauisse. Proximi Gallis populi,sunt omnino persimiles Gallis, fidemque faciunt,siue ex originis vsu durante, siue ex terris in diuersa procurrentibus, siue ex ipsa cœli positione, Gallos ibi vicinum solum occupasse. Nam & eundem gestant habitum, & vtriusque populi sacra sunt eadem, & sermo non est mul-
13 tum diuersus a Gallico: 13 atque in periculis deposcendis par est audacia, & in detrectandis eadem formido plus tamen ferociæ Britanni præ se ferunt.Hæc populorum inter se facta comparatio, intelligitur de posteriore genere hominum,qui prædæ, aut belli causa,vt antè demonstrauimus in Britanniam peruenerunt. atqui nunc oportet illud antiquius,& per secula multa prius, hominum genus explorare. Nam ab
14 ipso propè orbis initio. 14 Britanniam scribunt fuisse habitatam. Sed a quibus hominibus, aut vnde prognatis habitabatur, id nemo demonstrat. Vrbs autem prima, totius orbis terrarum fuit Enochia, maxima Gigantum,qui ab occasu solis ad ortum vsque dominabantur. qui vastitate corporis roboréque confisi, armis inuentis opprimebant omnes.

Quibus vda ferarum Terga dabant, vestes; dumeta, thoros; cœnacula, rupes;

Præda,

Præda, cibos, raptus, venerem; ſpectacula, cædes;
Imperium, vires, animos, furor; impetus, arma;
Mortem, pugna; ſepulchra, rubus; monſtriſque gemebat
Monticolis tellus. Sed eorum plurima tractus
Pars erat occidui.

Hi prædictionibus de duplici interitu mundi, altero quidem ignibus, altero verò aquis, perterrefacti, magnoque numero ſic aucti, vt alias terras ad habitandum quærere cogerentur, vtramque internecionem fugere per omnem terræ longitudinem conabantur, & ab Enochia profecti ad occidentem ſolem viri, fæminæque, poſt immenſos itinerum labores exantlatos, ad iſtum orbis angulum, qui dicitur Angulus terrę ſicut Ægyptus olim dicebatur, angulus populorum, tandem peruenerunt, & in eius amæna fertiliq́ꝫ ſolitudine perpetuas ſedes probabiliter fixerunt. Quarum rerum ſcientiſsimi dæmones, è ſtatua Palladis monebant, Troia capta digreſſos claſſe Troianos, ad Britanniam venire, Giganteſq́ꝫ pellere. qui non tam multi eo tempore, quàm hoc ante diluuium, plerique Britanniam incolebant. Ad quem poſtea modum alij dæmones ex Dianæ ſimulachro, Brotum de quærendis ſedibus in itinere conſulentem affati

Sub occaſum ſolis, inquiunt, trans Gallica regna
Inſula in Oceano eſt, habitata Gigantibus olim,
Hanc pete.

Dicunt enim Habitatam olim quòd Enochij Gigantes quondam illò populos tanquam in coloniam deduxiſſent. Sic & illuſtris Virago Ceſara, 15 dum ex orbis interitu ſibi prædicto 15
mortem pariter euitare nitebatur, ad remotiſſimas ſub occidente ſolè poſitas inſulas, adhuc a nemine mortalium habitatas profecta, conſedit

dit tandem in littoribus Hiberniæ. Nec absimi-
les quondam Aborigines habuit Sicilia, Cyclo-
16 pas & Lectrigonas, 16 primos indigenas alia-
rum gentium aduentu nō commixtos. nisi quòd
omnes illi post diluuium exorti fuerint, at hi
qui Britanniam ab initio ferè statim incolebant
ante diluuium extiterunt. quorum ne nomen
quidem ad cognitionem hominum peruenit;
certè rerum ab eis sine Principatu, ordinéque
gestarum, omnis memoria cum aquis perijt.

Tempus diluuij erat annus vnus, dies decem.
quo spacio temporis incepta mutari per aquas
forma Britanniæ, tandem fecit eam, insulam
omnium gentium maximam, diuidi a posteris
Iapheti. qui sedes quæsituri proficiscebantur ad
Septemtrionem, neque prius terras vbique pos-
17 sidere destiterunt, quam ad Britannias, 17 vsque
positas sub Arctois climatis, accesserunt. Nam
Iapheti filius natu maximus Gomer in his vl-
timis finibus terræ dedit originem, suumque
nomen accommodauit populis, quos in Europa
Galatas, vocant Græci, & prisci nominauerunt
olim Gomeritas, quòd eos Gomer instituisset.
Ab his profecti sunt in Britanniam, qui se Cu-
meros initio dixerunt. Istos, in Britannia per
Galliam profectus ex Armenia, visit Samothes
18 cognomento Dis, a quo primum Britanni, 18
deinde Galli dicebantur Samothei, quòd Abori-
ginibus in Britannia Celtaque simul imperaret,
vir illa ætate omnium, qui viuerent hominum
sapientissimus. Hic spacia omnis temporis non
numero dierum, sed noctium definiuit: diesque
natales & mensium, & annorum initia sic obser-
uauit, vt noctem dies subsequatur. Eam con-
suetudinem Gallos retinere scribunt, quòd se
omnes, a Dite patre prognatos esse prædicant;

idque

idque a Druidibus proditum dicunt, qui fuerunt viri docti a Druide Samothis abnepote. Planè consuetudinem eandem etiam nunc obseruant Britanni. Samothes moriendo, fecit locum filio suo Mago, 19 qui plurima struxit oppida, & idcirco quidam inuentor ædificiorum existimabatur. Vir procul dubio magnæ sapientiæ, qui dispersos primùm homines in agris, & in tectis syluestribus abditos, dicendi quadam vi compulit vnum in locum, & congregauit, & distinctis rerum dominijs, atque terminis agrorum positis, ædificijsque collatis humanam societatem multum cohonestauit: quas ad res perficiendas Deus ei dederat omnia, quæ erant necessaria, vitæq; longinquitatem. 19

Sarron Magi filius Britannorum Celtarumq; Rex tertius fuit. Hic a puero semper bonas litteras, artesq; dilexit adeo, vt earum publica studia primus institueret; quo recentium adhuc in vrbibus habitantium virorum feritas mitesceret, ac in officio contineretur. Primus instituit etiam genus quoddam Philosophorum de diuinis rebus disputantium, quos vocant Sarronidas, 20 dum fines imperij voluit propagare, 20
mortem obijt, relicto ex Namnete filio præmortuo, nepote Druide superstite. qui peritiæ plenus appellatus est, & auo succedebat. Isté quartus Britanniæ Rex, instituit Philosophos Druidas, qui vocantur Sapientiæ Magistri; & rerum diuinatione clari tã augurijs, quam sacrificijs futura prædicere, & ab omni plebe illis obtemperante, plurimum existimari solent. Cum verò consulunt de rebus magnis, obseruant mirabilem consuetudinem. Ense iugulant hominem, cuius ex casu, membrorumq; laceratione, ac fluxu sanguinis euentura norunt. Illud erat moris, ne

sacri-

ſacrificium abſque his fieret, quòd arbitrentur homines, oportere ſacra per viros Diuinæ naturæ conſcios, tanquam Dijs propinquos celebrari; & eorum precibus eſſe petenda bona, quorum conſilio & pacis, & belli temporibus vterentur. Nomen, originemq́; in Britannia primùm acceperunt, & Gallis poſtea communi
21 vtriuſque populi Rege Druide, 21 tranſmiſerunt. Nam in omni regno eorum, qui aliquo ſunt numero atque honore, genera ſunt duo, alterum eſt Druidum, alterum eſt Equitum. Druides rebus diuinis interſunt. Sacrificia publica ac priuata procurant, religiones interpretãtur. Ad hos magnus adoleſcentium numerus diſciplinæ cauſa concurrit, magnoq́; hi ſunt apud eos honore. Nam ferè de omnibus controuerſijs publicis priuatiſque conſtituunt. & ſi quod eſt admiſſum facinus, ſi cædes facta, ſi de hereditate, ſi de finibus controuerſia eſt, ijdem decernunt; præmia pænaſq́; conſtituunt. Siquis aut priuatus, aut publicus eorum decreto non ſteterit, ſacrificijs interdicunt. hæc pæna apud eos grauiſsima. Quibus ita eſt interdictum, ij numero impiorum ac ſceleratorum habentur: ijs omnes decedunt, aditum ſermonemq́; defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant. neque ijs petentibus ius redditur, neque honos vllus communicatur. His autem omnibus Druidibus præeſt vnus, qui ſummam inter eos habet auctoritatem. Hoc mortuo, ſiquis ex reliquis excellit dignitate, ſuccedit: aut ſi plures ſunt pares, ſuffragio Druidum allegitur: nonnumquam etiam armis de principatu contendunt. Hi certo anni tempore conſidunt in loco conſecrato. huc omnes vndique qui controuerſias habent, conueniunt, eorumque decretis iudicijſque parent.

Diſci-

Diſciplina tamen in Britannia eſſe reperta, atq; inde, vt antè diximus, in Galliam tranſlata exiſtimatur: & qui diligentius eam rem cognoſcere volunt, plerumque illò, diſcendi cauſa proficiſcuntur. vbi Mona inſula, fuit nobiliſsima Druidum ſedes antiqua. eam incolis validam, ſed perfugarum tamen receptaculum, Romani appellant, fortaſſe quòd ex prærogatiua ſacrorum, haberet aſylum, & Druides à bello abeſſe conſueuerant, neque tributa penderent vnà cum reliquis. quippe, militiæ vacationem, omniumq; rerum immunitatem habebant. Tantis excitati præmijs, & ſua ſponte multi in diſciplinam eorum conueniebant, & à parentibus propinquiſque mittebantur in Britanniam. Magnum ibi numerum verſuum ediſcebant. Itaque nonnulli annos vicenos in diſciplina permanebant. neque tas eſſe Druides exiſtimabant ea litteris mandare. Idq; duabus de cauſis inſtituiſſe videntur: quòd neque in vulgum diſciplinam efferri velint: neque eos qui diſcunt, litteris confiſos, minus memoriæ ſtudere. quòd ferè pleriſq; accidit, vt præſidio litterarum diligentiam in perdiſcendo, ac memoriam remittant. In primis hoc volunt perſuadere, non interire animas. & hac doctrina putant, maximè ad virtutem homines excitari. quocirca nobiliſsimos cuiuſque gentis adoleſcentes clam, & diu latentes in ſpecu, aut in abditis ſaltibus huiuſmodi multa docent, quò fortiores ad bella procedant. Præterea de ſideribus, atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de natura rerum, de Deorum immortalium vi & poteſtate diſputant multa, & Iuuentuti tradunt. Sed quòd narratur, eos profiteri ſcire, Quid ipſi Dij velint: quódque horrendum eſt dictu,

 ho-

homines occidere, vel ſacrificij, vel habendæ ſanitatis cauſa, ſuaſq; aras cruore captiuorum adolere, & hominum fibris conſulere Deos; id vniuerſum à Gallorum opinionibus, & non ex hac prima Druidis inſtitutione deſcendiſſe videtur. Natio eſt enim omnium Gallorum admodum dedita religionibus, atque ob eam cauſam, qui ſunt affecti grauioribus morbis, quiqúe in prælijs ac periculis verſantur, aut pro victimis homines immolant, aut ſe immolaturos vouent, adminiſtriſq; ad ea ſacrificia Druidibus vtuntur; quòd pro vita hominis, niſi vita hominis reddatur, non poſſe Deorum immortalium numen placari arbitrantur; publicéque eiuſdem generis inſtituta ſacrificia habent. & ad harum rerum originē reſpiciunt ij, qui Britannos dicunt, Hoſpitibus feros: Druidumq; Barbaricos eſſe ritus, moremqúe ſiniſtrum Sacrorum.

Quam ob rem Auguſtus Cæſar ab ea doctrina ciues Romanos primùm abſtinere iuſsit, & Imperator Claudius eruditionem his adiectionibus ſacrilegam effectam deinde penitus aboleuit. Druys, vita defunctus reliquit omnibus magnum ſui deſiderium, & his Philoſophis maximum, quos excellenti doctrina præditos, optimo rerum diuinarum humanarumque ritu inſtituit, & ijs loca litteris exponendis idonea, diſciplinæqúe exercendæ commoda donauit, ſubminiſtratis in omni genere rerum opibus, quibus viuerent; felix Princeps, etiam herede Bardo filio Britannorum Rege quinto, inuentione carminum, & illius Muſicæ, quæ ab eo Barditus dicitur, 22 perquàm inclyto. Nam ex
22 ea vocati ſunt Bardi, pòſt in Galliam tranſmiſsi, Poëtæ melodes, qui cum organis, ac lyra ſuauiter canebant: & illuſtrium virorum facta verſibus

ſibus Heroicis compoſita buccinabant. Horum exiſtimatio tanti erat vt, cum exercitus paratus ad pugnam, enſibus vtrinque diſtrictis, iaculiſque portentis quaſi iam cõcurſurus eſſet, non ipſorum amici modò, verum hoſtes etiam, interuentu Barditus, cantuq́ue percepto confeſtim reſilirent, & à prælio quieti penitus abſtinerent. ita Mars Muſis, & furor militum, cedit placiditati virorum ſapientium: qui certo anni cuiusq́ue ſtatuto die in finibus Santonum, quæ regio eſt Aquitaniæ, Oceano finitima, cõſidere ſolebant. Huic Bardo ætate iuueni, moribus tamen benè maturo, Druys pater, optimus Reipublicæ inſtitutor, commendauerat ſuos magiſtros Philoſophiæ, vt eorum conſilio inſtructus adminiſtrare ſummam rerum feliciter poſsit. Bardo ſucceſsit Longho filius. Bellum intulit 23 populis Scandiæ, quondam inſulæ, circa Britanniam conſtitutæ, quos à ſe deuictos, poſtea Longhobardos, de ſuo ac filij, nempe Bardi Iunioris nomine vocauit. Nam illud eſt perſpicuum Longhobardos duxiſſe originem è Scandia, quę fuerat Oceani Septemtrionis inſula; tantæ quidem magnitudinis, vt alter orbis quoque terrarum appellaretur; & officina gentium, quòd incredibilem numerum, vimq́ue populorum ad quęrendas alibi nouas habitandi ſedes effuderit. Itaque cum pariter ferret Britannia populos, & reges populorum, qui cupiditate imperandi, & loca, quæ poſsident, dilatandi, raperetur; neque Sarron morte præuentus id facere, vt cogitauerat, rectè potuerit, Longho primus omnium Britannorum principum, bella feliciter tentauit in eadem inſula, quæ nunc eſt ...cta continens. Iam verò ſecundus iſtè Bardus patre defuncto fit Rex, auctumq́ue per eundem imperium benè 23

ac beatè gubernauit. Inuentum ab avo Musicæ genus ad Germanos, inter quos sunt Lõghobar-
24 di, 24 transportauit. & tandem relicto filio Celte decessit. eo rebus gerendis nondum per ætatem
25 idoneo, Lucus fit rex interim. 25 postea fortissimus ipse Princeps Celtes Bardi Secũdi filius rem administrat, à quo populi Celtæ nomen accepe-
26 runt. 26 Habuit Secundus Bardus vxorem Galatheam, ex qua Celtes natus est. qui & ipse filiam suscipiens vnicam, dixit eandem quoque Galatheam. quæ nupsit Herculi, ediditq; filium
27 Galathem, à quo Galli. 27 Celtes post nuptias filiæ cum Hercule celebratas morte sublatus est. eius filia cæpit imperare cum marito, qui fuit Osiridis filius, & Dardani, qui Troiam condidit, atauus. hic populos docuit modum honestè, ciuiliter, ac generosè viuendi, circumiens omnes Galliæ prouincias. cum autem venisset in Britanniam, vt eadem humanitatis officia præstaret, locus ille, quo primum appulit, dictus est,
28 Herculis promontorium, 28 & prouincia tota de Galathis nomine cæpit vocari Gallia. Rebus pòst in continente, vt optabat, constitutis, vrbéque Alexia ædificata, parat Hercules iter ad Italiam, & ingentes altissimorum apud Allobroges montium rupes arte frangit, omnibusq; illac transituris commodam viam, & à latronibus tutam facit; anno decimo vincit hostes, & Italiæ dat pacem, filiumq; natu maiorem Tuscum ibi statuit Principem, atque omnium ordinum consensu Galathem declarat Regem Celtarum. Ipse pòst rediturus ad Celtiberos diligenter ambos verbis nouissimis monet, amicitiam inter se mutuam seruare, nulla re magis vnquam Regna confirmari. Hi monitorum patris benè memores, se complectuntur charitate, verè

verè fraterna. In cuius tantæ beneuolentiæ ſignum, Thuſcus Galathi Siciliam inſulam liberaliter donat, hominesq́ præſcribit illò ducendos in coloniam. 29 Tandem Sicilia diſcedens 29
nauibus Galathes peruenit ad Galliam, ingrediturq́ Aquitaniam. deinceps eius filius Narbon imperare cœpit. Hic à fundamentis, licet in humili loco, ſtruxit vrbem magnificam, nobilem, ac diuitem, & à ſe dictam Narbonem. Quò cum Romani duxiſſent coloniam Conſulibus Marco Porcio Catone, & Quincto Martio Rege, cœpit ab hoc Martio Conſule vrbs illa dici, Narbo Martius. quam cum Senatus, Populuſq́ Romanus poſtea iuberet eſſe Prouinciam Romanam, manſit in hodiernum vſque diem illud loci nomen, Prouinciæ. Iſte princeps videtur in Britannia, ſummam rei adminiſtraſſe, poſt reditum Galathis è Sicilia. idcircóque dicitur, patre mortuo, apud Celtas rurſus regnare, quod eſt, iterata vice imperare. Sed defunctus eſt vita, relicto filio Lugdo, qui ſumpſit imperium, & in Britannia creditur iecisse prima fundamenta oppidi, quod Lugdon; 30 eiúſque quod in Gallia Cel- 30
tica Lugdunum appellatur. ei mortuo filius Beligius iure ſuccedit. de quo Belgici dicti ſunt Galli, qui nunc Belgæ vocantur, & ab extremis Galliæ finibus oriuntur, pertinentq́ ad inferiorem partem fluminis Rheni; ex qua re nomen hodiè ſeruant inferioris Germaniæ. Hi ſpectant in Septemtriones, & orientem ſolem: omnium fortiſsimi ſunt propterea, quòd à cultu, atque humanitate prouinciæ longiſsimi abſunt, minimèq́ ad eos ſæpè commeant mercatores; atq́ ea, quæ ad effœminandos animos pertinent, important; proximiq́ ſunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt, quibuſcum continenter bel-

lum gerunt. Ex his, qui migrarunt in Britanniam, quidam incolunt vrbem mediterraneam, Gallenam Atrebatum nominatam. quòd eorum maiores è Belgio transiuisse ortosque esse prædicant Atrebatibus : qui sunt populi Belgarum, finitimi Ambianis, Neruijs, & Morinis. Huius tantæ vetustatis ignoratio longa fecit quosdam existimare Britannos aliquando
31 vixisse sub imperio Belgarum. 31 qui tamen, vt hactenus copiosè demonstrauimus, pari iure potestatis in Regno cum Gallis semper vtebantur. Eam ob rem apud Suessiones Belgarum populos, qui proximi Rhemis erãt, Iulij Cæsaris tempore scribunt, fuisse Diuitiacum regem totius Galliæ potentissimum, qui cum magnæ partis earum regionũ, tum etiam Britanniæ imperium obtinuerat: nimirum quòd ibi constitutos Belgas regeret, adolescens illò missus disciplinæ Druidum discendæ causa. Sic & Comius Atrebas in his regionibus Britanniæ dicebatur habere magnam auctoritatẽ, quòd à Iulio Cæsare victus fugisset ad suos populares in ea parte insulæ, quæ respondet Atrebatibus Galliæ, qui maritimam partem continentis ad Sequanam flumen tenuerunt, & illò quondam migrauerunt. Tandem Beligius moritur sine liberis, vltimus Rex ex illo nobili genere Galathis. Nemo enim, qui recto stemmate succederet, inuentus est. proinde cõmuni consensu Principum itum est, vt natura fieri solet, ad propinquos Herculis, & ad sanguine proximos; inter quos repertus est Iasius anno superiore creatus Italorum prin-
32 ceps, qui nunc eligitur Celtarum Rex. 32 vxorem ducit Ipitim Cibelem, virginem nobilissimam. nuptiæ celebrantur apparatu magnifico, & ipso vnà cum cæteris fratre Dardono præsente.

sente. Quæ res, & splendore Principum totius ferè terrarum orbis, potentissimorum, excellentiaq́ omnis generis ornamentorum, & sumtuum magnitudine, prius exulceratum pro contentione regni animum Dardani facilè mouit ad vindictam. Illud quoque magis auxit hanc inuidiam, quòd innocentissimus frater Iasius, ne periret memoria tantæ nuptiarum amplitudinis, iusserat statuas, ac imagines fieri, quibus expressa singula commendarentur omni temporum æternitati. deinde filius Iasio nascitur pulcher ille Corybantus. Ita solus & imperio, & imperij nunc herede felix, videbatur esse Iasius, nisi maximarum rerum comes, hæc inuidia fuisset eum persecuta. Dardanus enim vir audax, & animi magni, bellóque fortis, cum videret sibi spem tolli successionis in regno, petit à fratre, fieri partitionem bonorum patris. quæ cum pro suo desiderio facta non esse videretur, ipse bellum ciuile, ferox, atq́ crudele molitur, quo fratrem è regnis pellere conatur. quibus rebus cognitis, Siceleus Iasio suppetias fert. Cum Dardanus iam neque precibus, neque armis id obtinere, quod vellet, poterat, horrendum facinus aggreditur. In portu proximo nauibus paratis ad fugam, in easqúe impositis rebus pretiosissimis, quas habebat; militibusq́ fortissimis, & fidissimis comitibus eò introductis, nemine propter inducias paulò antè factas suspicante nefas, Dardanus Iasium, armatus nudum, frater fratrem in balneis se lauantem, manu propria interfecit. equis dispositis fugit ad naues, quibus raptim solutis vehitur in Samothraciam, vbi latuit secretè tamdiu, donec inde recedens ad Phrygiam, ibi vrbem à se Dardaniam primò, & postea Troiam à suo nepote

Troe, dictam, ædificauerit. Iasio succedit in regno Italiæ, non item Celtarum, filius Corybantus, Celtis postulantibus Allobrogem Herculis ortum sanguine. qui à montibus Apenninis Italiæ, ad Pyrenæos vsque, & rursum ab his ad mare magnum Oceani, extremosq; fines Rheni fluminis imperauit: quos limites esse Regni
33 Britannici vsque ad Orcades 33 insulas ex eo constat, quòd ipsorum Rex iure prisco salutetur Imperator ab insulis Orcadibus ad montes vsque Pyrenæos. Hoc Principe mortuo, summa rerum peruenit ad Romum Allobrogis filium: à quo dicuntur Romandi Galliæ Belgicæ populi, & oppida duo ad Rhodanum flumen sub vrbe Vienna constructa, Romomum, & Roma; quam asperè Rhomam proferentes quidam, perinde, ac si nomen esset Græcum, Valentiam interpretantur; Sicut Romam vrbem Romuli, nomina-
34 re Valentiam 34 conati sunt. ex qua re profectus est error eorum, qui Valentiam hanc dixerunt à Valente & Valentiniano Cæsaribus esse conditam. Mortuo Romo, Paris eius filius in regno succedit. Condidit oppidum principio
35 quidem paruum, cui nomen Parisius: 35 ad hodiernum vsque diem manet, in ciuitate omnium artium nunc pulcherrima, disciplinarumq; magistra, scholis ac gymnasijs litterarum inclyta. de quo principe dicti sunt etiam Parisi, Britanniæ populi antiquissimi, Giruijs proximi, in ciuitate ab Eboraco ad orientem solem constituta. Hic in fata concedens reliquit heredem regni, filium Lemanem, qui Narbonensis prouinciæ populos aliquot de se Lemanos, ipsumque lacum dixit Lemanum. in quem Rhodanus influit, rursusq; effluit ad pontem vrbis Geneuæ. Sicut & in Britannia fluuium, qui Lemanis

ap-

appellatus influit in Oceanum. Cum res admi-
nistrasset feliciter atque diu, moritur Olbio filio
successore relicto. quem regnasse per xij. quo
tempore ferunt: eique successisse Galathem
Iuniorem, qui Sarmatas vicerit, Galatas Asiæ
constituerit, innumerásque colonias ex Olbio
patre, vt Olbiam Galliæ Narbonensis vrbem,
ipsamque insulam Britanniæ Olbion 36 nomi- 36
nauerit; quæ pòst Albion dicta est, & eius in-
colæ, Albiones vocati sunt. Ceterum illo vita
defuncto, regnat apud Celtas Namnes, & po-
pulos in Gallia dixit à se Namnetes illos, qui
Nantes hodiè vocantur, & insulæ respondent
ex altera parte continentis. iste filius ac heres
Galathis, sui loco, dum moritur, sufficit Rhe-
mum filium, à quo dicti sunt Rhemi, Celtis &
Suessionibus inter Belgas populi proximi, &
idcirco eodem iure, ijsdemque legibus, cum illis
viuunt. Horum vrbs prima, est ipsa Rhemo-
rum, quam condidit; & sine liberis masculis
obijt, vnica filia superstite. eam paulò prius,
quàm moritur, in matrimonium dat Phranico
37 Hectoris sanguine Principi nato. qui deinde 37
iure mariti, Gallis imperat, vir fortuna par
Æneæ qui Regi Latino, & affinitate, & suc-
cessione regni Latinorum iungebatur. Ab
hoc oritur nomen Phranicæ, (sic enim Bri-
tanni vocant eam, quæ nunc Francia dicitur.)
& peragrata Britannia reuersus per ostia Rhe-
ni, creditur in eis locis consedisse, quibus ad
Rhenum Francos habitare dicunt, palustri-
bus illis quidem, sed proximis vicinitate po-
pulorum Armoricorum, qui sunt Britanniæ
continentis. Post administratam summam
rerum, Phranicus in Gallia, eam commen-
dat Druidibus, per quos regebatur interim,

dum ipſe viueret in Pannonia: cum Britanni
38 feliciter nauibus appellentem Brotum 38 ſibi Regem conſtituerent. Is erat filius Syluij Poſthumi, Latinorum regis tertij, & nepos ex eodem fratre, Aſcanij regis ſecundi, ac rurſum ex hoc, nempe filio nepos Æneæ, regis primi Latinorum.

LIBRI

LIBRI PRIMI AB ORIGINE AD BROTVM *Antiquitatum Notæ.*

1. SICILIAE maximè similis. Pomponius Mela lib. 3. de situ orbis. c. 3. vt adhuc, inquit, habuimus declaratum, Britannia inter septemtrionem, occidentemque proiecta, grandi angulo Rheni ostia prospicit. deinde obliqua retrò latera abstrahit, altero Galliam, altero Germaniã spectans. tum rursus perpetua margine directi litoris ab tergore abducta, iterum se in diuersos angulos cuneat triquetra, & Siciliæ maximè similis, plana, ingens, fœcunda, verùm ijs, quæ pecora magis, quàm homines benignius alant. Hæc postrema exceptio de pecoribus magis, quàm hominibus alendis, non intelligitur de insula tota, sed de vna parte Cornualliæ. Sic enim Iordanus Episcopus Rauennas in lib. de rebus Geticis, Menna, inquit, quam Cornelius Tacitus annalium scriptor narrat, est in extrema parte Britanniæ. metallis plurimis copiosa, herbis frequens, & his feracior omnibus, quæ pecora magis. quàm homines alant. Nequis autem putet hanc similitudinem Britanniæ cum Sicilia in eo consistere, quòd sit plana, ingens & fœcunda tantùm, Ioannes Boëmus Aubanus lib. 3. de moribus omnium gentium c. 26 Anglia, inquit, quæ & Britannia dicitur ab eruditis, est insignis insula in Oceano, forma triangulari Siciliæ similis.

2. REGES populorum. Idem Mela de fructibus insulæ loquens, Fert nemora, inquit, saltus, ac prægrandia flumina, motibus alternis fluentia modò in pelagus, modò etiam retrò; & quædam habet flumina gemmas, margaritasque generantia. fert populos, regesque populorum. de quibus margaritis ita Iulius

Solinus

Solinus polyhistoris c. 54. dat & India margaritas, inquit, dat & litus Britannicum. sicut Iulius Cæsar thoracem, quem Veneri genetrici dicauit in templo eius, è Britannicis margaritis, factum esse, subiecta inscriptione testatur. Hos verò Reges quos, Britannia fert, ne quis putet esse friuolos, Cornelius Tacitus in vita Iulij Agricolæ, Britanni olim Regibus parebant, nunc per principes, inquit, trahuntur factionibus & studijs: nec aliud fuit aduersus validissimas gentes vtilius pro Romanis, ad eos deuincendos, quàm quòd in commune non consulant, & rarus habeatur conuentus duabus aut tribus ciuitatibus ad propulsandum commune periculum. ita dum singuli pugnant, vniuersi vincuntur. Inculti tamen omnes populi, Regesque populorum sunt, inquit Iordanus, malè repetens verba Melæ, qui cum dixisset Britanniam ferre populos, regesque populorum; excepit hoc de populis tantùm: Sed omnes sunt inculti, atque vt longius à continenti absunt, ita magis ignari alienarum opum; ipsi quidem dites, sed pecore tantùm ac finibus; vltroque infecti corpora sunt, sed vtrum ob decorū, an propter quid aliud, hoc incertum est. Ita Pomponius Mela loquitur apertissimè non de Regibus, sed populis interiorem partem Britanniæ incolentibus. quorum hominum, inquit, Cæsar lib. 5. de bello Gallico, infinita est multitudo, creberrimaque ædificia ferè Gallicis consimilia. Pecoris magnus numerus. Leporem, gallinam, & anserem gustare fas non putant. hæc tamen alunt animi voluptatisque causa. Plerique frumenta non serunt, sed lacte & carne viuunt, pellibusque sunt vestiti. Omnes verò se Britanni glasto inficiunt, quod ceruleum efficit colorem: atque hoc horridiore sunt in pugna aspectu: capilloque sunt promisso, atque omni parte corporis rasa, præter caput, & labrum superius. Non oportet ergo dubitare cum Pomponio Mela, vtrum Britanni se tingerent ob decorem, an propter terrorem hostibus inferendum; cum Boëmus Aubanus illud Cæsaris repetens, glasto, inquit, ora inficie-

inficiebant, vt in pugna horridiores essent; & capillo promisso solebant præter caput, rasitare ceterum corpus. & hoc maximè dicendum esse videtur, cum Dionysius Afer vetustatis auctoritate clarus, scripsisset poëma de situ orbis, & in eo, sunt Germani bellaces, inquit, atque Britanni.

5. PARI spatio transmissus. Infrà dicimus, transmissum ex Gallia in Britanniam esse triginta millium passuum. & Caius Plinius à promontorio Silurum scripsit breuissimum ex Britannia in Hiberniam traiectum, esse triginta millium passuum: est reprehensus tamen à Gulielmo Cambdeno in chorographia Britanniæ de Dimetis Penbrochijs quòd existimaret idem Plinius gentem Silurum pertigisse vsque ad illud promontorium. Quæ res nihil impedit, par spatium transmissus de quo nunc agimus, esse triginta mill anorum, vt hodiè vocant; siuè Silures, siue alij populi habitarent in eo loco, quem Claudius Ptolomæus Octopitarum, & Angli nunc Sancti Dauidis vrbem appellant, quòd is fuisset Episcopus in ea Siluester Giraldus huius loci terram saxosam, sterilem, & infœcundam vocat, neque siluis vestitam, neque fluminibus distinctam, neque pratis ornatam; sed ventis solùm, procellisque semper expositam, præter incommoda multa quæ sensit vrbs, à piratis Dacorum excisa sæpenumero. A cuius loci rupibus cum Gulielmus Rufus Anglorum Rex prospiceret Hiberniam inde non magno quidem pelago disiunctam, se facilè nauibus constraturum pontem affirmauit, quo ex Anglia in Hiberniam pede sicco transiretur. Certè cum Henricus Secundus ex Hibernia rediret, vehementia procellæ trusus, appulit littoribus huius oræ nudatis tunc quidem sabulo tenus; ex quibus apparuit facies terræ longis retrò sæculis operta; & arborum stipites in ipso mari stantium ac vndique præcisarum, & ictus videbantur quasi recentes securium, terraque nigerrima, & ligna truncorum hebeno simillima, adeo vt non iam littus, sed lucus esse putaretur. Quæ cuncta mirandis rerum immutatio-

nibus

nibus ostendunt, aut forrè a diluuij tempore, inquit, Giraldus, aut si longè pòst, sed antiquites tamen, hunc locum fuisse præcisum, & maris semper excrescentis, terramque eluentis sua violentia, paulatim ibidem alueum esse factum.

4. VICIES centena millia passuum. Caius Iulius Cæsar lib. 5. de bello Gallico, Insula omnis Britannia, inquit, est in circuitu vicies centena millia passuum. Sed Iulius Solinus c. 24. cum dixisset Britanniam ex amplitudine magna nomen alterius pęnè orbis mereri, Octingentis enim, & amplius millibus passuum, inquit, ad longum porrigitur, si eam in Caledonium angulum vsque metiamur. Paulus autem Orosius lib. 1. historiarum c. 2. hæc insula habet in longum, inquit, millia passuum octingenta, in lato millia ducenta. cui consentit Beda lib. 1. Ecclesiasticæ historiæ Anglorum, non plus ducentis millibus latam esse affirmans, nisi terras in mare procumbentes etiam numerauerimus. Quo sensu, in duobus millibus, inquit Iordanus, trecentis decem stadijs eius latitudo, vbi est patentior, & longitudo non vltra septem millia, centum triginta duo stadia extenditur. Sed omnibus vndique computandis, & ceteris insulæ partibus vnà metiendis, ambitus ipse Britanniæ, inquit Aubanus, quadragies octies, & septuaginta quinque millibus passuum constat; quæ tricies sexies centena millia passuum conficiunt. Hęc veterum declaratio amplitudinis Britannię, quamquàm bonis coniecturis innititur, tamen hodie, inquit Cambdenus, certiorem accepit insulæ dimensionem ex itineribus plurimorum. Nam à Taruisio circumactis, & per occidentem curuatis littoribus ad Belerium promontorium, plus minus octingentis duodecim millibus passuum; indeque ad Austrum conuersa fronte littoris versus Cantium, trecenta viginti millia passuum numerantur. Rursus ab hoc loco secundum mare Germanicum recessibus angulorum plenis, per septingenta quattuor millia passuum reditur ad Taruisium. qua computatione, numerus

pas-

passuum minore quidem, quàm Iulij Cæsaris, circuitus Britanniæ totius est, mille octingenta triginta sex millia passuum. Hi autem, qui spacia cœli cum partibus terræ accuratè comparauerunt, Britanniam subiecerunt octauo climati, & eam concluserunt parallelis octauo decimo, & vicesimo sexto. Diem maximum, horarum, quas dicunt æquinoctiales, octodecim cum semisse definiuerunt. Atqui Belerium in conuexo terræ situ ab occidente vltimo complexi sunt sexdecim temporibus, & quinquaginta scrupulis, quos vocant. Cantium verò promontorium temporibus viginti & vno, secundum sui longitudinem describunt; latitudinemque in parte Austri, quinquaginta gradibus, & scrupulis decem. Taruisium autem, quinquaginta nouem gradibus, atque scrupulis quadraginta metiuntur. qui situs bonitatem insulæ singularem demonstrat.

5. GRAECI τρινακρίαν. Seruius Honoratus ad Virgilium lib. 1. Æneidos, Trinacria, inquit, Sicilia dicitur propter tria ἀκριὰ, id est, promontoria, Lilybæum, Pachynum, & Pelorum. Latinè autem Triquetra dicitur. Et Pausanias lib. 5. regionum veteris Græciæ, de amne Alpheo, inquit, meante subter mare, seque immiscente fonti Arethusæ apud Syracusas, quare non credam, nihil planè video, cum ipsius Apollinis voce fidem rei factam esse meminerim. Is enim Archiam Corinthium iubens proficisci ad coloniam deducendam Syracusas, vsus est his versibus.

Trinacriam supra, medio iacet insula ponto,
Ortygiam dixêre, vbi cana fluenta refundit
Alpheus pulchræ sese immiscens Arethusæ.

Nam hæc Ortygia est insula in Sicilia, & pars quidem Syracusarum, ponte coniuncta reliquæ vrbi, habetque in se fontem Arethusam. Ergo Sicilia, inquit, Solin 9. c. 10. diffusis tribus promontorijs triquetra specie figuratur. Pachynus meridiem, Pelorus Italiam, Lilybæus Africam versus extenditur. Et Diodorus Siculus lib. 6. rerum antiquarum c. 1. Sicilia optima omnium insula-

ſularum, inquit, ceteras antecellit rerum antiquitate: primum appellata eſt olim Trinacria ab eius forma. Deinceps Sicania dicta eſt ab incolis. poſtremò ab Italis, qui Siculi dicebantur, in eam vulgò profectis, Sicilia. Sicanos autem, qui antiquitus habitauerunt in ea, præcipui ſcriptores tradunt indigeres eſſe. Idemque Diodorus c. 8. de forma Britanniæ ſcribens, Eſt hæc inſula, triangula, Siciliæ ſimilis, inquit, latera habens inæqualia, cum per obliquum verſus Europam protenditur. vbi minimum abeſt à continenti, eſt promontorium qui Carion appellatur, procul à terra ferè ſtadijs centum eo tempore, quo mare fluit. Alterum promontorium Velerium nomine, dicunt abeſſe à continenti per nauigationem dierum quattuor. Pars cetera, quam Orcham vocant, ad mare ſpectat. Minimum latus adiacens Europæ, aſſerunt portendi ſtadijs ſeptem millibus. Lateris ſecundi longitudo à Carione vſque ad promontorium, complectitur ſtadia quindecim millia; tertium latus viginti millia ſtadiorum. Ita vniuerſæ inſulæ ambitus eſt ſtadiorum millium duorum & quadraginta. Quæ Diodori Siculi diligens Britanniæ comparatio promontoriorũ trium, conſentiens cum totidem promontorijs Siciliæ, demonſtrat eam eſſe τρινακρίαν, etiam hac ſimilitudine, figuræ triangularis, ſicut nota prima dicebam.

6. SPATIO ac cælo maxima. Cornelius Tacitus in vita Iulij Agricolæ, Britannia, inſularũ, quas Romana notitia cõplectitur, maxima, inquit, ſpacio, ac cœlo in Orientem, Germaniæ; in Occidentem, Hiſpaniæ obtenditur. Gallis in meridiem etiam aſpicitur. Septentrionalia eius nullis contrà terris, vaſto atque aperto mari pulſantur. Iam verò ſpacium, eſt terræ; cœlum, eſt aëris, ſiue ætheris, in ſuperioribus climatis, quæ Nota proxima deſcripſi. Et quia Tacitus non dicit omnium inſularum maximam eſſe Britanniam, videndum nobis eſt, an verè maxima ſit. Nam Iulius Solinus c.54. eam cum Taprobana comparans, Antequàm humana temeritas, inquit, exquiſito penitus mari

fidem

fidem panderet, insulam Taprobanen, diu homines putauerunt orbem alterum esse, & quidem eum, quem Antichthones, qui nostris pedibus eunt contrarij, habitare crederentur. Sed Alexandri magni virtus non tulit ignorantiam publici erroris vlterius permanere, suique nominis gloriam in hæc vsque secreta mundi propagauit. Missus igitur est Onesicritus præfectus classis Macedonicæ, qui terram istam quanta esset, quid gigneret, quomodo haberetur, exploratum daret notitiæ nostræ. Patet enim in longitudinem stadiorum septem millium: in latitudinem quinque millium. Scinditur amne interfluo. Margaritis scatet, & gemmis omnibus. Sita est inter ortum, & occasum. Dierum viginti, primò in eam cursus fu[illegible], sed hoc, quia cum papyraceis, & Nili nauibus illò ibatur: mox cursu nauium nostrarum, factum est iter septem dierum. Mare vndosum interiacet altitudinis non amplius senûm passuum. Nulla ibi est obseruatio syderum in nauigando, vtpote vbi Septemtriones nequaquàm conspiciuntur; vergiliæque nunquam apparent. Lunam ab octaua in sextam decimam tantummodo vident supra terram. Lucet ibi Canopos, sydus clarum, & amplissimum. Solem orientem habent dextrà, occidentem sinistrà. Itaque nulla nauigandi obseruatione suppetente, per quam ad destinata pergentes, locum capiant, secum alites vehunt, quarum petentium quidem terram meatus habent, quasi magistros regendi cursus. Et hæc tantum nota fuerunt in Claudij Cæsaris principatum. tunc enim fortuna patefecit viam scientiæ latiorem. Nam libertus Annici Plocamij, qui tunc rubri maris vectigal administrabat, Arabiam petens, Aquilonibus raptus præter Carmaniam, quinto decimo demum die appulsus est ad hoc littus: portumque inuectus, qui Hipporus nominatur, septem deinde mensibus sermonem perdoctus, ad colloquia Regis admissus est, & hæc, quæ compererat, reportauit. Homines corporum magnitudine omnes alios antecedere, crines fuco imbuere, cæruleis oculis,

truci visu, terrifico sono vocis esse prçditos, & eos, quibus immatura mors est, æuum trahere in annos centum: in alijs omnibus annosam ætatem, & pænè vltra humanam fragilitatem extēdi. Noctis partē quieti destinare. lucis ortum antè vertere vigilia. modicè ab humo ædificia tollere. annonam habere semper eodem tenore. Vites nescire, pomis abundare, colere Herculem. In electione Regis non præualere nobilitatem, sed suffragium vniuersorum. Margaritas legere plurimas, maximasque. Conchæ sunt enim, in quibus hoc genus lapidum requiritur; ipsisque inest sensus etiam, quandoquidem partus suos maculare timent: cumque flagrātioribus radijs dies excanduerit, ne fuscentur lapides calore solis, subsidunt, & se profundis ingurgitant, vt ab æstu vindicentur. Lapis iste in aqua, mollis est vnio, & euisceratus duratur. nunquam reperiuntur duo simul, inde nomen vnionibus datum est. vltra semunciales inuentos esse negant. Margaritas dat etiam litus Britannicum, vt superius Nota 2. retuli ex eodem Solino. cuius descriptio Taprobanæ minor est stadijs triginta millibus, quàm est Britanniæ, secundum ea, quæ Diodorus Siculus Nota præcedente relatus expressit. Quamquam ego notitiam Romanam de qua loquitur Cornelius Tacitus, non puto esse notitiam illam, quam Solinus scientiam appellat Romanorum; sed vt Iustinianus l.1. de officio Præfecti Prætorio Africæ, vocat notitiam, qua declarat emolumenta singula, quæ Consulares, & Præsides, & vnusquisque pro eorum officio, debeat ex publico consequi. Nam Britannia fuit Prouincia Romanorum, ad quam regendam Præsides mittebantur, vt libro 3. demonstrabimus; quemadmodum Sicilia, in quam plerumque Prætores ad gubernandum ibant. Sed Cornelij Taciti tempore fuit Britānia insularum maxima, scilicet earum, quas huiusmodi Notitia, & emolumentorum pro Præsidibus descriptio Romana complectebatur. Longè pòst euênit, vt Taprobana in eum ordinem recensendi per Romanos adduceretur. Nam

Flauius

Flauius Vopiſcus in vita Imperatoris Floriani, Hic fuit frater, inquit, Taciti Cæſaris germanus, qui poſt ipſum arripuit imperium, non Senatus auctoritate, ſed ſuo motu, quaſi hereditarium eſſet Imperium; cum ſciret in Senatu fuiſſe Tacitum fratrem adiuratum, vt non liberos ſuos, ſed optimum aliquem faceret principem. Denique vix duobus menſibus imperium tenuit, & occiſus eſt Tarſi à militibus, qui audierunt Probum imperare, quem omnis exercitus legerat. Duo igitur Principes fuerunt ex vna domo, quorum alter ſex menſibus, alter vix duobus imperauit, & fuerunt quaſi quidam Interreges, inter Aurelianum, & Probum. Eorum ſtatuæ duæ, pedum tricenûm ex marmore fuerunt Interamnæ, quòd illic ipſorum cenotaphia in ſolo proprio conſtituebantur; ſed hæ ſtatuæ fulmine deiectæ, ita contritæ ſunt, vt membratim diſſipatæ in ſolo iacerent. Quo tempore ab Aruſpicibus reſponſum eſt, Quandoque futurum ex eorum familia Imperatorem Romanum, ſeu per feminam, ſeu per virum, qui det iudices Parthis ac Perſis: qui Francos & Alemanos ſub Romanis legibus habeat: qui per omnem Africam Barbarum non relinquat: qui Taprobanis præſidem imponat: qui ad Romanam inſulam proconſulem mittat: qui Sarmatis omnia iudicet: qui terram omnem, quam Oceanus ambit, captis omnibus gentibus, ſuam faciat. Hæc Vopiſcus, per inſulam Romanam intelligens aliquam poſitam in Oceano, & quidem Britanniam. Proſper enim Aquitanus ſcribens contra Collatorem, Celeſtinus Pontifex, inquit, Britannias liberauit morbo Pelagiano, quando quoſdam inimicos gratiæ, occupanteſque ſolum ſuæ originis, etiam ab illo ſecreto Oceani ſecluſit, & ordinato Scotis Epiſcopo, dum Romanam inſulam ſtudet ſeruare Catholicam, fecit etiam Barbaram, eſſe Chriſtianam. nam, vt Cambdenus in Chorographia Hiberniæ ſcribit, anno poſt Chriſtum natum plus quadringentis trigeſimo primo, Celeſtinus Pontifex Romanus Palladium Epiſcopum miſit illò: tametſi morte præ-

reptum in Britannia, nihil eum ibidem præstitisse, Nennius atteftetur. Certè cum Prosper numero pluratiuo Britannias dixit, vtique Romanam insulam vocauit Britanniam; & alteram, quam dixit Barbaram, intellexit Hiberniam, quò Romana potestas armorum, nunquam peruenisse creditur.

7. MARE Britannicum. Idem Cambdenus, Britannia, inquit, vndique circum-funditur vastissimo, & apertissimo, Oceano, qui tantis æstibus concitus accedit, & recedit, vt octogenis cubitis supra Britanniam, eundem intumescere scribat Pythæas Massiliensis. & Caius Plinius tam latè campos vicinos quandoque hunc Oceanum inundare narrat; & quandoque refugiendo nudare; vt non solùm flumina retròagat, sed aut terrestria deprehendat animalia, aut marina destituat in littoribus. Tot enim, tantaque monstra sunt ita sæpè derelicta, vt non temerè vocet Horatius istum Oceanum *Belluosum*; *qui remotis*

Obstrepit Oceanus Britannis.

Et Iuuenalis, *Quanto*, inquit, *Delphino est*
Balæna Britannica maior.

Sanè Iulius Firmicus homo Christianus in libello quem scripsit de errore profanarum religionum, Constantem & Constantium Imperatores affatus, Hieme tumentes, & sævientes, inquit, vndas Oceani Britannici calcastis sub remis vestris, & insperatam faciem Imperatoris expauit Britannus. Varias tamen hoc mare sortitur appellationes pro varietate locorum. ad Austrum, quà pulsat Galliam, dicitur Britannicum, Ad ortum, quà Germaniam habet, Germanicum vocatur; ad Septemtriones, Hyperboreum, ad Occasum spectans, Deucalidonium, Hibernicum, & Vergiuium nominatur; nō quidem à vergendo, quòd inter Hiberniam & Britanniam vergat, vt ait Cambdenus, ipse dubius vtrum ab Hibernis, an à Britannis vocabuli significationem deducat, licet Humfredus, Britannos id Moruueridum, quasi mare viride vocare scri-

ſcribat, & inde vocabulum antiquum Vergiuium defluxiſſe arbitretur. Sed cum tenue fretum fluens per Cantium promontorium Solinus appellet, Gallicum, ſcire vehementer cupio, cur iſtud mare quod ex altera parte reſpondet Galliæ ad meridiẽ, non vocetur Gallicum, ſed Britannicum. Et ſubitò, quis diceret, inde maris Britannici nomen eſſe datum, quòd in altera parte continentis ſit Britannia minor; à cuius incolis Beda, eumque ſecutus Pomponius Lætus ſcripſit, ipſos Britannos deſcendiſſe. Quod tamen Beda non affirmat pro certo. Sed, lib. 1. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ gentis Anglorum, In primis hæc inſula Britones, inquit, ſolum habuit incolas, à quibus nomen accepit, quique de tractu Armoricano, vt fertur, Britanniam aduecti, partes illius Auſtrales ſibi vendicarunt. Hunc inter omnes de Britannia ſcriptores veritatis amicum, vt appellat Cambdenus, teſtem publici tantummodò rumoris, qui tunc ferebatur, audimus. quẽ in eo, quod ait, Britonas ſolos in principio habitaſſe inſulam, expreſsè refutans Pomponius Lętus in vita Diocletiani Cæſaris, Britanniam circumfluam Oceano, inquit, Aborigines tenuêre. nomen indiderunt Britanni continentis, qui ſunt intra Gallos, & Hiſpanos; vocati poſt Britones. & hi accolæ Oceani ſunt inſula potiti: eò deinde conceſſêre Hiſpani, Galli, & Germani. Contra quem hac in re Iulius Rabillius Roſſus, qui diu peragrata Britannia cum Franciſco ab Eſte Principe Ferrariæ, ſcripſit hiſtoriam de ijs, quæ in Anglia contigerunt; relatus à Sanſouino lib. 4. de gubernatione Regnorum, Anglia, inquit, eſt inſula in mari Oceano Septemtrionali; ab antiquis Albion dicta, quòd albos montes a longè nauigantibus oſtenderet, atque pòſt Britannia ex ipſorum Rege Britanno; denique Anglia ex Anglis Saxonię populis, qui vocati ad auxilium, Britannos oppreſſerunt. de quibus ſingulis rebus opportuno loco dicemus. Nunc in tanta varietate opinionum, mihi videtur certius, Britanniæ nomen cognitum à Iulio Cęſare, fuiſſe antiquius, quàm vt à

Britonibus inderetur. Nam ille vir tantus, & tam diligens inuestigator gentium Armoricarum, quas ipse vocat, secuti Beda, nusquam in suis Commentarijs facit mentionem Britannorum continentis, & multo minus Britonum, ex quibus illa regio Galliæ Britonia dicitur à Ioanne Sleidano. adeo constat eo tempore populos Armoricos, non fuisse dictos Britannos, vt potuerint à se insulę primos incolas nominare Britannos, priusquam Cęsar in Galliam veniret. Quocirca satis imprudenter Polydorus Vergilius lib. 1. Anglicæ historię, laudat Pomponium, quòd sequatur opinionem Bedę de nomine insulę indito; & opinionem Cęsaris, de indigenis, qui in ea nati, tenuerint ipsam primi. nam eosdem, quos Lętus vocat indigenas, Cęsar appellat Britannos. & probabile est, hos continentis populos Armoricos nominasse mare istud Britannicum, per quod nauigatur in Britanniam; sicut ex aduerso populos insulę Britannos vocauisse fretum illud Gallicum, per quod breuissimo traiectu itur in Galliam.

8. PROMONTORIO Belerio. Gulielmus Cambdenus in Danmonijs, Extremum, inquit, promontorium, quod incumbit Oceano Vergiuio, & septemdecim tantùm temporibus in globosa terrę superficie à Fortunatis, vel potius ab Asoris insulis definitur, & à Diodoro Siculo Belerium appellatur, fortassis à Britannica dictione Pel, quæ remotissimum significat, nomen accepit. sic ille palpitando semper vocabula Britannica, studet inde nomina locorum producere. Sed ego Nota 5. superius, cum non haberem Diodorem Græcum ad manum, ex eo Latino, quem fecit Poggius Florentinus, Velerium nominabam, littera prima repræsentante digamma Æolicum, de quo in oratione. 1. Nota 5. plus dixi, & Gellius lib. 14. c. 5. Hæc verba, inquit, riuus & cliuus, non terminantur in. vs syllaba, sed ea, quę per duo. v. scribenda est. propter cuius syllabę sonum declarandum reperta erat noua littera. F. quæ digamma vocatur. Attamen

Felerium nemo dicit hoc promontorium, ſicut Hiberni Vergiuium Farigium appellant. Sed ad elidendam Britannicę linguę illam etymologiam ſatis eſt, Claudium Ptolomęum vocare Bolerium promontorium, quod Antiueſtæum ab ipſo dicitur, more ſollemni Græcorum, qui nomina locis imponere ſolent ex nominibus locorum oppoſitorum, veluti Rhium, & Antirrhium in ipſa Gręcia; Bacchium, & Antibacchium in ſinu Arabico; Barrium in Italia, & Antibarrium, quod è regione proſpiceret in Illyrico; ſic perſcrutatus ſedulò non poſſum expedire me, inquit, Cambdenus, An locus aliquis Veſtęi nomine ſit inſignitus, qui obijceretur Antiueſtęo. Qua in re gratificabor ipſi, Veſtæũque fuiſſe arbitror in Sena inſula, quam hodiè Verſan appellant, poſitam in Britannico mari, & aduerſam littoribus Oſſiſmicis, vt Pomponius Mela ſcribit. quos populos Oſſiſmos, apud eum notat Oliuarius Valentinus, eſſe continentis Britannos, qui nunc Britones, & circa promontorium Sancti Matthæi habitare dicuntur. Hæc inſula Breſtæ obiecta, Siambis à Plinio lib.4.c.16.nominatur. Et fuit inſignis olim inſula oraculo Gallici numinis, cuius antiſtites, perpetua virginitate ſanctæ, numero nouem erant; Galli eas Cenas vocabant, & ingenijs ſingularibus prędiras, ipſas putabant ſuis carminibus maria & ventos concitare, ſéque vertere in alia quæ vellent, animalia; & eos ſanare morbos, qui apud alios ſunt inſanabiles; item ſcire ventura, & ea quoque prædicere; ſed nonniſi dedita eſſent illa nauigantibus, & his etiam, in id tantùm profectis, vt ſe conſulerent. Quod numen Gallicum, quia non explicat Mela nominatim, Andreas Schottus adnotauit ex Dionyſio Afro, in illis Britanniæ inſulis Baccho ſacra fieri à mulieribus. Nam ita Priſciano interprete Latino dicit iſte poëta Græcus:

Aſt aliæ Oceani, iuxta Boreetidas actas
Sunt geminæ, Rhenique Britanides oſtia cernunt.

Hic etenim lasso perrumpit Tethya cursu.
Has tamen haud habeat spatio superare per orbem,
Insula. & Taprobanam postea numerans, Britannia minorem esse ita significat, vt præcedente Nota demonstraui: & magis adhuc potest apparere, quòd Orosius scribat, insulam Taprobanen habere decem ciuitates; sed Euagrius, deuictis à Iulio Cæsare Gallis, Germanis, & Britannis, quingentas ciuitates, quas incolebant, Romano imperio adiunctas fuisse testatur; vt in oratione 4. Nota 2. dixi. Nunc quod ad hanc rem pertinet,

Nesiadum, inquit Dionysius, *spatio nec distant littora longo,*
In quibus vxores amnitum Bacchica sacra
Concelebrant, hederæ folijs, tectæque corymbis.

Non loquitur iste de virginibus, sed de vxoribus eorum, qui amnium accolæ sunt, quòd hę sacra Bacchi celebrent. Quamquam potest quis legere, Samnitum, cum Strabone, apud quem Possidonius, In Oceano, inquit, parua insula pelagi non longè ab exitu Ligeris amnis præiacet. quam inhabitant Samnitarum mulieres Bacchi numine afflatæ, ipsi quidem propitiantes Deo, eumque festis ritibus exorantes. quo sensu possumus eas vocare Semnas Gręcè, quasi puras & castas. præsertim cum Artemidorus ibidem notet, in hac insula Britanniæ proxima, (nam vsque ad ostium Ligeris mare Britannicum extendi Veteres tradiderunt) fieri sacrificia Cereri ac Proserpinæ, similia Samothracum. Verùm enim verò huic interpretationi resistit id, quod Pomponius Mela scribit istas mulieres perpetua virginitate sanctas esse. quæ probabiliter etiam Vestæ, more cōsueto Romanorum, sacrificabant vittatæ, alboque vestimento, (quod Alexander ab Alexandris suffibulum lib. 5. c. 12. vocat) oblongo & quadrangulo tectæ in capite suo. de quo genere vestis poterit etiam quis eas Græcè ξένας, quasi peregrinas appellare. Herodotus enim scribit ξένους

à La-

à Laconibus peculiariter intelligi barbaros. quo nomine ſicut Romani vocabant Gallos, & Britannos, ita viciſſim ipſi dicebant Romanos eſſe barbaros, quòd ignota genti ſuæ, peregrinaque lingua vterentur. Quin etiam Adrianus Turnebus in Plutarchi de oraculorum defectu libro à ſe Latino facto, vocat eaſdem Zenas, ideoque laudatur à Schotto & Cambdeno. quibus ego conſentirem, ſi hæ virgines eſſent ſacerdotes Ζηνὸς, id eſt, Iouis. Nunc autem video, quòd antiqua lectione κενὰς, hoc eſt, vacuas & vanas Galli vocauerint ipſas, quia ventos captare ac vertere profitebantur, quòdque nonnulli Veſtam effinxerint virginem manu geſtantem tympanum, in quo ventus continetur. Denique quod antiſtites Veſtæ carminibus vetuſtiſſimis, monumentiſque vterentur, & earum præcipua cura fuerit in cuſtodiendo igne perpetuo, vt ad l. 83. Decemvirorum expoſui. atqui mos erat in Sena inſula, habere facem altam diligenter accenſam, quæ noctu prçluceret nauigantibus, quam Speculam Britanniæ vocat Oroſius, quòd ipſa Sena vbi erat hoc ſignum, ignibus procul ſublatis datum, in mari Britannico ponatur inter Nereum Gallecię antiquum promontorium, atque inſulæ Britanniæ promontorium Antiueſtæum: quamquam Solinus eandem Senam appellet Siluram ab ora, quam gens Silurum Britanna detinet, in eaque habitantes viros pariter ac feminas dicat oſtentare ſcientiam rerum futurarum, & diſtinguere turbidum fretum. & Ammianus Marcellinus lib. 14. ſcribat eſſe ſtationē propè Bithyniam, quæ Cœnos Gallicanos appellatur; tanquam hæ virgines Καιναι, id eſt, nouæ, ritibuſque Gallorum abſurdæ viderentur. nam Galli ſunt, inquit Mela, qui eaſdem Cænas vocant. Præſtat tamen vulgatam Cenarum appellationem ſeruare propter captatos, vt dixi, vētos, & Veſtæ numen ſimiliter, ob ignes publicè accenſos. Nam Oroſius Brigantia, inquit, Callecię ciuitas eſt,

ſita in ſecundo angulo totius Hiſpaniç, & altiſſimam pharum erigit ad ſpeculam, vt antè dixi, Britanniæ, vnde per Oceanum Cantabricum ſatis longum eſt iter ad Senam, & ab hac deinceps in Antiueſtæum, quod à continente diſtat nauigatione quattuor dierum, vt ex Diodoro Siculo demonſtraui Nota 5, ſuperius. Quæ quidem maris, certè ſui natura globoſi, tanta longitudo impedit illius phari, ad hanc ſpeculam in Britannia proſpectum, quem dum inter ſcopulos inſulæ Cambdenus quærit, profectò nectit ſuos, vt aiunt, corymbos. Iam verò remotiſſimum Britanniæ promontorium in Septemtrione, vtrique tam Diodoro, quam Ptolomæo dicitur Orcas, à quo nomen acceperunt fortaſſis Orcades inſulæ, quarum viginti, vt ait Oroſius, deſertæ ſunt, & tredecim incoluntur. nam inde videntur in mare quodammodo proiectæ, ſparſęque. Sanè Ptolomæus Taruedum quoque nominat promontorium, quod ceteri Taruiſium. idque non malè: quandoquidem taruus Britannicè, ſignificationem habet finiendi: nam in hoc vltimo loco viſus omnium terminatur.

9. CITRA Caledoniam. Cornelius Tacitus, Formam, inquit, totius Britanniæ Liuius veterum; Fabius Ruſticus recentium eloquentiſſimi auctores, adſimulauere ſcutulę oblongæ, vel bipenni. & eſt ea facies citra Caledoniam, vnde etiam tranſgreſſus eſt; ſed immenſum illud, ac enorme ſpacium procurrentium extremo iam littore terrarũ, velut in cuneum tenuatur. Hanc oram nouiſſimi maris, tunc primùm, cum in ea Iulius Agricola bellum gereret ſub Domitiano Cæſare, Romana claſſis circumuecta, Britanniam eſſe inſulam affirmauit; ac ſimul incognitas ad id tempus inſulas, quas Orchadas vocant, inuenit, domuitque. Deſpecta eſt & Thyle, quam hactenus nix, & hyems appetebat. ſed mare pigrum, & graue remigantibus eſſe perhibent; & proinde ne ventis quidem attolli mare illud dicitur; credo, inquit Tacitus, quòd rariores; terræ, monteſque (vt pote cauſa & materia tempeſtatum) &

pro-

profunda moles continui maris, tardius illud faciant impelli, ac moueri. Naturam Oceani atque æstus multi retulerunt, vnum tamen ego, inquit, addiderim, nusquam latius dominari mare, multumque fluminum ferre huc & illuc; nec littore tenus adcrescere, aut resorberi, sed penitus influere, atque ambire iugis etiam, interique montibus, velut in suo. Hæc Tacitus fidelissimus author descripsit ex ore Agricolæ soceri sui; qui classe Romana circumiens Britanniam, demonstrauit eam esse insulam, quod ante pro certo ipse non sciebat; qui domuit Orchadas prius incognitas sibi, & inde vidit insulam Thylen. fuit ergo constans eruditorum hominũ opinio de Britãnia quondam, vti terra cõtinenti. & Orcadas non à Vespasiano, cũ Claudius Cæsar esset in Britannia, fuisse captas. & Thylen insulam, nõ esse aliquam solùm, vt homines noui quidam dubitare volunt, sed etiam vltra Orchadas posse videri. nec obstat huic opinioni, quod ante dixisset Publius Virgilius Ecloga. 1. Bucolicôn, penitus toto diuisos orbe Britannos; & ibi Seruius in commentarijs adnotasset, hoc ita dictum, quia fuerat insula Britanniæ olim coniuncta continenti. quæ sita nunc est insula in Oceano Septemtrionis, & alter orbis a poëtis veteribus appellatur. nam id affirmare per experientiam nemo potuit, antequam Romana classis circumnauigasset: qualiter his annis superioribus Hispana classis admirabili bellico apparatu fecit. & in hoc recessu Solinus Vlyssem narrat esse Calydoniæ appulsum. idque manifestum facere, aram Græcis litteris inscriptam voto. Sed in Scotiæ chorographia Cambdenus, hanc aram in Vlyssis potius honorem, inquit, quàm ab ipso Vlysse positam esse iudicarem. Quod ei non erat necesse iudicare, postquam Aurelius Cassiodorus lib. 12. variarum c. 15. Scillacium, inquit, prima vrbium Brutiorum est, quam Troiæ destructor Vlysses creditur condidisse. nam si vir iste tantus author, & homo Christianus dicit in patriam suam, vsque ad Italiam peruenisse Vlyssem, & vrbem Scyllacium condidisse

didiſſe: quid opus erat Cambdeno negare ipſum totius orbis maximum peregrinatorem Vlyſſem veniſſe in Britanniam, votique cauſa poſuiſſe duntaxat aram? idque contra fidem antiqui ſcriptoris Iulij Solini, qui potuit eius rei veritatem melius intellexiſſe? Scio quidem Seruium ad lib. 6. Æneidos ſcribere, Vlyſſem fingi in extrema parte Oceani fuiſſe. quod ipſe Homerus, inquit, falſum eſſe oſtendit ex qualitate locorum, quæ commemorat, & ex tempore nauigationis. dicit enim circa vnam noctem nauigaſſe, & ad locum veniſſe, vbi ſacra perfecit. quod de Oceano non procedit: de Campania manifeſtum eſt. Hæc ille; tamen ad 7. librum Virgilij cum ait:

Quibus actus vterque,
Europæ, atque Aſiæ fatis concurrerit orbis,
Audijt, & ſiquem tellus extrema refuſo,
Submouet Oceano, Seruius tellurem extremam Oceani dicit, eſſe Britanniæ inſulę, quò perueniſſet notitia excidij Troiæ, neque per alium probabilius, quàm per Vlyſſem, vt in ſua oratione tunc Ilioneus ſignificare videtur. vnde apparet ea, quæ commemorantur de qualitate locorum, & de vnius noctis nauigatione, non ad hiſtoriam, ſed ad ornatum poëmatis pertinere, ſicut idem Seruius ad lib. 9. ex Homero ſumptum eſſe ornandi cauſa tantum ſcribit hunc verſum:

Alcādrumque, Haliumque, Noëmonaque, Prytanimque.

vbi Prytanis nomen viri militaris eſſe videtur, ex inſula Britannia, quæ dicebatur à quibuſdam antiquiſſimè Prytania. Neque ſecundo mouet quod Hieronymus in Chronicis, Claudius de Britannis, inquit, & triumphauit, & Orchadas inſulas Romano imperio adiecit. In cuius gloriæ perpetuam memoriam filium ſuum antea dictum Germanicum, voluit appellari Britannicum. nam, vt rectè Cambdenus, in inſulis Britannis ait, Iulius Agricola primus Britanniam claſſe circumuectus, Orcadas ad id tempus incognitas, tam

inuenit, quàm domuit. Tantum verò abest, vt eas Claudius deuicerit, vt Adriani Cęsaris tempore viuens Iunius Iuuenalis Satyra 2.

Arma quid vltra
Littora Iuuernæ promittimus, inquiat, *& modò captas*
Orchadas, ac minima contentos nocte Britannos.

Quibus versibus videtur Cambdenus poëtam intelligere, quasi dicat eo tempore captas Orchadas, circa quod ille poëta scripsit. sed oportet scire, factum id esse longius antea. cum ipsemet Iuuenalis viueret sub Domitiano Cæsare, cuius cædem describit in fine Satyræ 4. annis viginti priusquam Adrianus regnaret. Denique non obstat, quod Solinus, Multæ sunt, inquit, circum Britanniam insulæ, è quibus Thule est vltima. in qua, solstitio æstiuo, transitum faciente sole de sydere Cancri, nox est pænè nulla: brumali autem solstitio perinde nullus est dies. A Calydoniæ promontorio his, qui petunt Thulen nauigatio est bidui. Sunt inde Hæbudes insulæ quinque numero, quarum incolæ nesciunt fruges, piscibus tantùm, & lacte viuunt. Rex vnus est vniuersis. Nam quotquot sunt, omnes angusta interluuie diuiduntur. Secundam verò à continenti stationem Orcades præbent, quæ ab Hæbudibus porrò sunt septem dierum, totidemque noctium cursu pertinguntur. Ab Orcadibus autem vsque Thulen est nauigatio quinque dierum ac noctium. Nunc si tanta loci distantia est, aliquis dicet, quomodo verum erit, quod ait Tacitus, ab Orcadibus despectam fuisse Thulem? & ipse Solinus antea dixerat, nisi bidui nauigationem esse à promontorio Calydonię his, qui ad Thulen proficiscuntur? Ob has difficultates Cambdenus, An Thule, inquit, aliqua fuerit, valdè dubitat Sinesius; & eam nusquam comparere scribit Gyraldus deque ea per sententiam ancipitem viri docti à se inuicem distrahuntur. Plerique Islandiam, quasi cœlo rigenti, perpetuaque glacie terram damnatam, vulgo

vocatam Thulen putant. Ceteri Schetlandiam frigore obrigentem, & vndique procellis expositam, cuius incolis, perinde atque Islandiæ solet piscis vento siccatus, & contusus esse pro pane, quibus assentitur Cambdenus propter eius primum situm apud Ptolomæum, qui est 63. graduum ab Æquinoctiali, & vt Saxo Grammaticus refert, inter Noruegiam & Scotiam interiacet, atque inde bidui tantum nauigatione dicitur à Calidoniæ promontorio, siue à Cathenesia distare. Cui Mela consentit, dum Thilem Græcis, & Latinis carminibus insulam celebratam, dicit appositam esse Bergarum littori. Nam Bergæ, quæ Plinio Bergos dicitur, est vrbs Noruégię, quam idem Plinius Nerigon appellat. Postremo licet Aldus Manutius inter Calydoniam Gręciæ, vel Caledoniam Scotiæ syluam nihil distinguat, sed vtramque per ypsilon expressit typis suis; attamen Schottus hanc per. e. secundam Latinorum vocalem indicat; vtriusque nihilominus secunda syllaba manente longa, & tertia breui. quæ res, inquit ipse, multos in poëtarum, historicorumque lectione fefellit. Cui Cambdenus astipulatus, Kaledion, inquit, Britannicè significat ea, quæ dura sunt, & ab id Caledonij videntur esse dicti, homines duri, asperi, & inculti, moribusque agrestiores, vt parte maxima Septemtrionales habentur, qui ex rigore cœli, & aëris, sunt natura truciores, & ex abundantia sanguinis audaciores.

10. ITIVM ab itando. Gulielmus Reginaldus historicus, dum hæc legeret, Iccium vocari dixit, tertia Latina littera duplicata; meminique Ioannem Baxollum dum scriberet de morte Stephani Gardineri, Episcopi Vintoniensis, & regni Anglorum Cancellarij, narrasse illum è Gallia redeuntem ad Iccium portum incidisse in morbum ictérum, quo peremptus est. Sed Raimundus Marlianus in suo Indice ad Commentarios Iulij Cæsaris, Itius portus, inquit, est inter Belgas, Morinis, Oceanoque finitimus, Ambianis & Atrebatibus proximus, à Britannia distans triginta millibus

pass-

passuum, & traiectui commodissimus. Cui ad dextram est insula Zelandia, & Hollandia, & Flandria. ad sinistram autem partem Commitatus, qui Pontus dicitur & est pars Picardiæ in ducatu Normanniæ. Consistit ex opposito Angliæ. Illic est oppidum populorum, quibus Caletis nomē est. Id adiecto Itij portus nomine vt quibusdam placet, Calitium nuncupatur. dictus autem videtur Itius ab itando, & ex aduersa parte in Anglia sunt Iceni populi; qui fortè Itij portus, inquit Marlianus, accolæ fuerunt. Quibus rebus assentiens Cambdenus in descriptione Cantij, Ex aduerso Britanniæ, inquit, consederunt in continente Morini sic antiqua lingua Celtarū dicti, quasi maritimi, siue maris accolæ. quorum regio nunc vocatur Comitatus Guinearum, & Comitatus Boloniæ, duosque habuit olim nominatissimos locos, Gessoriacum, & Itium, vnde Cæsar commodissimum è Gallia in Britanniam scribit esse traiectum, plurimique fuisse credunt illud oppidum, quod hodiè Callais vulgò appellatur. Sed Michaël Hospitalius Galliæ Cancellarius, & antiquarum rerum peritissimus vir, Caletum asserit minimè vetustum, fuisse tantummodo viculum, quem vulgus Burgadum vocat, donec Philippus Bononiæ Comes incinxerit mœnibus, paucis annis prius quàm ab Anglis expugnaretur: ante quæ tempora nemo legit aliquos inde soluisse nauibus in Britanniam. Itium existimo igitur, ait Cambdenus, alibi quærendum, scilicet inferius propè Blanestum ad Vitsan, quod verbo alludit satis ad Itium. Huc enim omnes ex insula transmisisse, indeque in eandem soluisse obseruamus ex historijs. vsqueadeo, vt Sanctus Ludouicus Rex Galliæ dum religiosa peregrinatione viseret in Anglia sepulchrum sancti Thomæ Cantuariensis, ibidem exorauerit, vt inter Vitsan & Douerum nemo periret naufragio. tanquam eo tempore commodissimus inde traiectus fuisset, sicut alibi sanè fretum hoc, magis non coarctatur. Quamuis ad communem opinionem sustinendam existimare debemus id, quod plerumque

verum eſt, nauigantes in tranſmittendo non tam quærere maris compendium, quàm portuum ſecuritatem in vtroque latere. Quæ res nautas hodiè facit inter Dubrin & Caletum traijcere, qui ſuperioribus ſæculis priuſquā portus ad Vitſan obſtrueretur, tranſmiſerunt inter Vitſan, & Dubrin; ſicut antea, inter Rhutupias & Geſſoriacum; vnde Claudius Imperator, & alij bellorum duces in Britanniam nauibus ſoluerunt. Propter quem ordinarium in Britanniam traiectum Plinius Geſſoriacum vocat, portum Morinorum Britannicum; & Ptolomæus in locum Itij, Geſſoriacum nauale deſcripſit. Nam fuiſſe Geſſoriacum, illud maritimum oppidum, quod Ammianus Marcellinus Bononiam vocat, contra Hectorem Boëthium Scotum; & Adrianum Turnebum Gallum affirmat Cambdenus; cum ex Beato Rhenauo, qui vidit antiquam militarem tabulam, in qua ſcriptum erat, Geſſoriacum, quod nunc Bononia; tum ex itinerum ratione, quæ reſpondet diſtantiæ, quam Antoninus Auguſtus ponit inter Ambianos, & Geſſoriacum. Sed maximè propter factionem Carauſij piraticam, quam incluſam Geſſoriacenſibus muris, & ibi captam eſſe retulit Panegyricus Conſtantio Auguſto dictus. & alter Conſtantino Magno eius filio, eandem factionem Carauſij fuiſſe deuictam ad Bononiam commemorat: adeo vt Bononia & Geſſoriacum neceſſariò fuerit vnum, idemque oppidum; atque ſub eo tempore, vetuſtius Geſſoriaci nomen inceperit aboleri. Nec enim credendum eſt; tantos oratores, apud principes tantos verba facientes, in huius loci notatione (recenti ſaltem tunc memoria) quidquam errauiſſe. ita fortiter Cambdenus. à quo non diſſentio in oppido Geſſoriaco demonſtrando. ſed ipſe portus maris interior, & tùm fortaſſe commodior excipiendis nauibus, ac tutior locus eis ſeruandis, quaſique brachio ponti ad conſcendendum ſecurior, manſit ſub antiquo nomine Morini. vnde Marlianus ſcribit, breuiſſimum in Britanniam, quæ nunc Anglia dicitur, eſſe traiectum,

ha-

habere continentes ſyluas, & paludes, eiuſque finibus comprehendi Comitatum, cui nomen eſt Pontus, ad Monaſterium ſancti Bertini Audomarenſis iure directo pertinens, eodemque adhuc manente veteri nomine Ponti, regio illa in illum vſque locum deſcribitur à pleriſque, inquit, & Gallicè Terauana nuncupatur. Nam, Britannia inſula Oceani, per longum, vt ait Oroſius, extenditur in Boream, à meridie Gallias habet. cuius proximi m litus tranſmeantibus aperit ciuitas, quæ dicitur Rhutubi portus: vnde haud procul à Morinis proſpicit in Auſtro poſitos Menapios, Batauoſque. Et Antoninus ciuitatem Bononenſium à ciuitate Morinûm quaſi diuerſam nominans, à portu Geſorigiacenſi ad portum Ritupium ſtadia quadringenta quinquaginta numerat. quod iter Britanniarum à Geſſoriaco de Gallis Rutupis in portu Britanniarum ſatis obſcure deſcribitur, niſi per hanc vtriuſque littoris inter ſe quaſi comparationem intelligatur.

11. VNAM terram fuiſſè. Macer in l. 3. de officio adſeſſorum, Si prouincia eadem, inquit, poſtea diuiſa ſub duobus Præſidibus conſtituta eſt, velut Germania, Myſia; ex altera ortus, in altera adſidebit, nec in ſua prouincia videtur adſediſſe. Ad quem Viuianus notans exēplū, Anglia, inquit, & Gallia fuit diuiſa in duas prouincias, & ambæ poſtea fuerūt ſub duobus Præſidibus conſtitutæ. Nam Anglia, inquit, & Gallia fuit vna terra ab initio. Anglus ergo poterit Aſſeſſoris officio in Gallia fungi, & Gallus in Anglia. vnam terram appellat Viuianus continentem, ſicut Vlpianus l. 99. de verborum ſignificatione, continentes prouincias accipit eas, quæ iunctę ſunt Italię, vt Galliam; & prouinciam Siciliam, quæ modico freto diuiditur ab Italia. propter quam modici freti diſtantiam Virgilius lib. 3. Æneidos Siciliam vocans Trinacriam, vt nos ſuperius Nota 5. poſt addit, quòd ea cum Italia, protinus vtraque, tellus Vna fuit. Sic Diodorus lib. 5 c. 14. Tradunt priſci rerum ſcriptores, inquit, Siciliam olim fuiſſe coniunctam Italiæ: ſed poſtea ex huiuſmodi cauſa inſulam

euasisse. Qua parte angustus continens ab vtroque latere maris æstu collidebatur; ipsa terra maris fluctibus dirupta fecit aquam peruiam. à qua scissura locus is appellatus est Rhegium, ac multis annis postmodum ibi condita ciuitas, idem nomen Rhegium sortita est. Et Ioannes Iucundus Veronensis in diuisione totius Galliæ per ipsum apposita Commentarijs Iulij Cæsaris, Ex fluuiorum distinctione aptior, inquit, partitio esse videtur, vt omnis Gallia in tres partes diuidatur. quarum vnam incolant Belgæ, aliam Aquitani, tertiam, qui patr a lingua Celtæ, Romana Galli dicebantur. Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, à Belgis Matrona, & Sequana diuidit. In qua diuisone Prouinciam, quæ latissimè patebat, Cæsar prætermisit, quòd ea populo Romano pacata esset. Sed postea Octauius Augustus, vt Strabo scribit, aliter Galliam partitus est, primùm inserta Prouincia; deinde sublato Celtarum nomine, quod esset vniuersæ genti commune, pòst amplificata per ipsum Aquitania; & adiectis aliquot oppidis quæ Garumnæ & Ligeri fluminibus interiacerent; ita fecit omnem Galliam citeriorem quadripartitam, vt Belgica & Aquitania retinuerint priscum nomen, & Lugdunensis atque Narbonensis introducerentur, à duabus nobilissimis, rerumque omnium copia & emporio florentissimis ciuitatibus nomine deducto. Consequentibus autem temporibus cum summa rerum administraretur per Imperatores varios, omnis Gallia distributa est in multo plures Prouincias. Et sanè Ammianus Marcellinus, atque Sextus Rufus tradiderunt, diuisam fuisse Galliam in octodecim prouincias; addita Britanniæ insula. Quo sensu mihi videtur Pausanias lib. 1. Historiarum dicere, ad Oceanum, non sanè flumen, sed extremum mare, quò nauibus peruadi possit, accolere Hispanos, & Gallos, & in eo Britanniam insulam esse. Atque Sextus Aurelius Victor in vita Diocletiani Cęsaris scribere, Carausium in Gallijs; Achilleum apud Ægyptum, & Iulianũ in Italia factos Imperatores, diuerso exitu perijsse.

Nam

Nam vterque sub Gallorum, & Galliarum communi nomine, Britannos etiam intelligere videtur. cum Pausanias lib. 10. scribat Brennum duxisse Barbaros, qui ab vltimis Oceani finibus in Græciam irruperunt, & habebant quandam equestris pugnæ institutionem, voce patria Trimarcisian dictam. equum enim eos, marcham appellare. Id quod Humfredus in fragmento Britannicæ descriptionis repetens, Quid, inquit, planius dici potest? cum in hunc vsque diem Britanni Latinum verbum tres, masculino genere tri exprimāt, & equum vocent march, vnde trimarch dicuntur illi tres equi, pugnæ talis equestris: Carausij verò factio tametsi fuit inclusa captaque ad Bononiam Galliæ vrbem, vt in præcedente Nota dicebam; tamen ipse sicut Brennus erat natione Britannus, vt idem Humfredus affirmat. &, vt Eutropius lib. 9 historiæ Romanæ scribit, à Maximiano iussus occidi, purpuram sumpsit, atque Britannias occupauit. Ita cum per omnem terrarum orbem res essent turbatæ, & Carausius in Britannijs, inquit, rebellaret, Achilleus in Oriente, Africam Quinquegentiani infestarent, Narseus Orienti bellum inferret, Diocletianus Maximianum Herculeum ex Cæsare fecit Augustum; Constantiumque & Maximinianum, Cæsares creauit.

12. GRAECE αὐτόχθονες. Diodorus Siculus, In Oceano Galliæ montibus Hercinijs oppositæ sunt insulæ plures, quarum, inquit, maxima est Britannia priscis temporibus experta nullius aduenæ imperium: Neque enim Dionysium, neque Herculem, neque Heroa aut Ducem quempiam accepimus eos bello tentasse. Nunc Caius Cæsar, qui propter res gestas appellatus est Deus, omnium primus Britannis subactis coëgit eos dare certum tributum. Britanniam tradunt incolere Aborigines, qui priscorum more vitam degunt. vtuntur enim in pugna curribus, veluti antiquos Græcorum Heroas in bello Troiano vsos esse ferunt. Domos ex calamis, aut lignis, vt plurimum,

compactas habent. frumenta cum aristis reponunt sub tectis, inde terentes, quod vsui satis sit in diem. Simplices moribus, integrique sunt, longè remoti à Græcorum hominum astutia, versutiaque. ducunt vitam simplici, vilique cibo, & à delicijs diuitum alieno. Insula plena est, hominum multitudine. Aer, qui spectat ad Septemtrionem, est frigidus. Reges ibi, principesque sunt plures, & inuicem sibi pacem seruant. Ita Poggius Aborigines Latinè vocat eos, quos Diodorus ἀυτόχθονας, id est, natos in ea terra. Nam Cæsar, Britanniæ pars interior ab ijs incolitur, quos, inquit, natos in insula ipsi memoria proditum dicunt: maritima pars ab ijs, qui prędæ ac belli inferendi causa ex Belgio transierunt: qui omnes ferè nominibus ciuitatum appellantur, quibus orti ex ciuitatibus eò peruenerunt, & bello illato ibi remanserunt, atque agros colere cœperunt. Hominum est infinita multitudo; vtuntur numo æreo, aut lamnis ferreis ad certum pondus examinatis pro nummo. Nascitur ibi plumbum album in mediterraneis regionibus: in maritimis ferrum, sed eius exigua est copia: ære vtuntur importato. Materia cuiusque generis, vt in Gallia, est, præter fagum, atque abietem. Sic exprimit Cæsar mores, quos priscorum esse, scripsit Diodorus, & supra retuli Nota 2. quem auctorem vtrumque tam Græcorum quàm Latinorum grauissimum irridens Cambdenus in Britanniæ primis incolis, Cęsarem cum Diodoro, inquit, omittamus, quòd voluerunt Britannos fuisse ἀυτόχθονας, hominesque blitarum, & fungorum instar è terra suspicati sunt in principio germinasse. Sanè quidem in homine historico hęc est magna verborum leuitas. nec enim iste potuit ignorasse M. Catonem scripsisse Origines, & Titum Liuium dixisse, Aborigines primò habitasse in Italia, priusquam Æneas illò veniret, aut regnum Latinorum institueretur. quorum tamen neuter de prole Deucalionis, & Pyrrhæ, quasi nata ex lapidibus protectis, fabulatus est;

aut de populis fungis vnquam imaginabatur, licet in origine mundi fuerit, propter ignorantiam dei, Portius Cato vir destitutus vera fide, qui dubitans, ait, Siue ab æterno, mundum existimemus, vt Chaldæi: siue ignis tenuerit in principio cuncta, & sensim elemẽta coëuntia in suum locum produxerint homines, vt Phœnices; siue ante aureum seculum, inundatio possederit terras subrutas, & ex siccata humo, apparuerint homines, vt Sagæ arbitrantur; semper originis Principatus tribuitur Scythis; à quibus auctis colonias per orbem missas esse ferunt; & ex his venisse Ianum, quem esse Noachum, qui vnà cum vxore ac filijs tribus, & eorum vxoribus in arca saluus, cessante diluuio exiuit, & cum eisdem apparuit, vitemque syluescentem fecit satiuam, & vsum vini primus hominibus ostendit, vt scribitur Genesis c.9. atque inde vocatum Ianum, quòd Hebræi vinum appellent Iain, existimat Gilbertus Genebrardus in sua Chronographia. Et Paulus Æmilius lib. 2. de rebus gestis Francorum scribit, Carolomanum Aistulphi Regis Oratorem missum ad Pontificem & Regem Franciæ, in Concilio disseruisse de commigratione Longhobardorum in Italiam, exemplo multarum nobilissimarumque gentium: quæ relicta vetere patria, cum diu vagę peterrassent, aliquo tandem certo loco consedissent. Neminem mortalium in cœlo, vel è terra natum: aut vt stirpes radicibus actis tellure teneri adeo, vt solum vertere nequeat. suam cuique virtutẽ, vel fortunam dedisse patriã: eos indigenas credi, quorum origines ob vetustatem ignorarentur. Equidem fundos populos, ex oratione Ciceronis pro Cornelio Balbo didici puer, illos esse, in quibus ius Quiritium, quod est Romanorum ciuile, ac proprium, tanquam in fundo resedisset, ipsorum auctoritate sumptum, & approbatum sic esset, vt eo se obstringerent. Id quod Britannos aliquando fecisse non recordor, quandoquidem suis moribus, suisque legibus vsi sunt semper, licet in oratione 4. eos donatos esse Romana ciuitate dixerim, tanquam municipes Romanorum,

non vt eorum fundos populos vixisse. Municipes enim sunt, vt ait Gellius lib. 16. c. 13. ciues Romani ex municipijs, suo iure, & legibus suis vtentes, muneris tantum participes honorarij cum populo Romano, nullis alijs necessitatibus, neque vlla populi Romani lege adstricti, cum nunquam populus eorum fundus factus esset. Quocirca miratus est Adrianus Imperator, quòd populi Italicenses, ex quibus ipse ortus fuit, & Vticenses, antiqua municipia, dum suis moribus quietè, legibusque suis liberè vti possent, ab eo desideralient in ius coloniarum mutari: maximè, quòd Tiberius Cæsar Prænestinos orantes, vt ex colonia in municipij statum redigerentur, hoc illis tribuerit, pro referenda gratia, quòd in eorum finibus ex capitali morbo reualuisset. Omnes igitur habitatores, vt ait Seruius ad Virgilium lib. 8. Æneidos, aut indigenæ sunt, aut aduenæ, aut conuenę. qui de vno loco veniunt, conuenę; qui de diuersis, aduenę: qui geniti sunt in ea ipsa regione, in qua habitant, indigenę, dicuntur, Gręcè ἀυτόχθονες, non tanquam ex semet-ipsis nati, sine parentibus, essent: non herclè magis, quàm testamentum dicitur ἀυτόγραφον, quasi sine manu scriptum, id nempe, quòd propria testatoris, & non alterius manu scribebatur.

13. DIVERSVS à Gallico. Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenę an aduecti, vt inter Barbaros, inquit, Tacitus, parum est compertum. Habitus corporum varij sunt, & ex his argumēta sumuntur. Namque rutilæ comæ habitantium Caledoniam, & artus magni, asseuerant eorum originem esse Germanicam. Silurum vultus colorati, & torti plerumque crines, & posita contra Hispaniam regio, Iberos veteres traiecisse, easque sedes occupasse, fidem faciunt. Proximi Gallis, & similes eis sunt, seu durante originis vsu, seu procurrentibus in diuersa terris, positio cœli dedit habitum corporibus. In vniuersum tamen existimanti, credibile est, Gallos vicinum solum occupa-

nisse. Sacra eorum deprehendas esse similia; nimirum persuasione superstitionum. sermo haud multum diuersus est. in deposcendis periculis eadem audacia, & vbi aduenêre, in his detrectandis eadem formido. plus tamen ferociæ Britanni præ se ferunt, vtpote quos pax longa nondum emollierit. Nam ad Gallos, qui gerendis bellis floruerunt, segnitia cum otio mox intrauit; pariterq; se virtutem ac libertatem amiserunt. id quod certis nationibus Britannorum deuictis olim, idem euênit: cæteri enim Britanni tales adhuc manent, quales antiqui Galli fuerunt. Hoc de similitudine sermonis inter Britannos maritimos, & Gallos in continente proximos, à Cornelio Tacito scriptum, Cambdenus producit ad omnes. Si priscos Gallos, inquit, & Britannos docuero, vsos fuisse lingua eadem, vtrosque populos eiusdem originis olim fundamentum habuisse, vis ipsa veritatis extorquebit. Quamquam enim Iulius Cæsar scripserit Gallos à Britannis esse discretos, attamen eos dialecto tantùm discrepasse fatetur Strabo. vtuntur omnes, inquit, lingua non eadem vsquequaque, sed paululum variata. qua varietate duntaxat loquendi, quam Græci dialecton vocant, veterum Gallorum linguam distare à Britannica significat ipse Cęsar, qui moris id fuisse scribit, vt Galli, disciplinæ Druidum diligenter studiosi, in Britanniam proficiscerentur. quę disciplina cum contineretur nullis libris, oportuit eos eodem, quo Galli, sermone vsos esse in docendo; alioqui se mutuo intelligere nequiuissent. Contrà tamen Humfredus, Quòd quidam, inquit, affirmant Gallos vsos esse Britannica lingua, idque ex vocabulis Gallicis à Rhenano, Sidonio, & Lazio citatis, hoc apparet falsissimum. Equidem memini C. Iul. Cæsarem, cum dimicaret in Gallia, & ab hoste raptus equus eius portaretur armatus, occurrisse cuidam de hostibus qui eum nosset, & insultans ait, Cecos Cęsar, quod Gallorum lingua, inquit, Seruius ad lib. 11. Æneidos, significat, dimitte. & ita factum est, vt ipse Cęsar captus bello, feliciter dimitteretur. attamen hoc

verbum cecos, quod est Gallicum, nemo pro Britannico, vel Germanico recenset. quamuis Cornelius Tacitus Britannorum & Gallorum sermonem non multum à se diuersum esse fateatur. & in libro de moribus Germanorum, dextro Sueuici maris littore, inquit, Æstiorum gentes alluuntur, quibus ritus, habitusque Sueuorum est, lingua Britannicæ propior. Et Iudocus Villichius in posteriorem partem libri eiusdem c. 25. commentatus, Mare Sueuicum, inquit, dictum esse ab accolis Sueuis vix ambigit quispiam, cum & hodiè Suedicum à Suetia, quæ Suionum Sueuorum fuit regio, nominetur; in cuius litore populi Efflui sunt, propè sinum Venedicum, qui nunc Curiensis appellatur; in cuius finibus sunt Suidini, quorum opera succinum in eodem litore legitur. Est autem elegans Effluorum descriptio, à moribus Sueuicis; ab habitu seu cultu, qui nec ab aliis Sueuis varia; à lingua, & dialecto, quæ proxima Britannicæ, fuit; & hæc fuit olim bona ex parte, perinde atque hodiè, est, ferè Germanica: sed per vicinas nationes & transmigrationes est corrupta. Sic habemus nunc ex Tacito duces Galliæ atque Germaniæ populos, Britanniæ situ loci oppositos, illò migrasse suamque linguam in sermone quotidiano seruauisse. Quid de tertio genere, Hispanorum nempè qui paulo longius absunt, dicemus? de quorum migratione Tacitus etiam commemorat, de sermone refert omnino nihil. Sed Gaufridus Arthurius lib. 1. Britannorum Principum c. 20. narrat Gurguntium Regem ex Dacia victorem, dum rediret domum, inuenisse triginta naues plenas viris ac mulieribus. quorum aduentus causam cum Rex inquisiuisset, Partholomus eorum Dux, adorato Principe, veniam, & pacem rogat. se pulsum ex partibus Hispaniarum dicit, mariaque illa circumiuisse, vt habitandi sedes quæreret: summopere petere, vt eas in aliqua parte Britanniæ sibi liceret habere. quibus rebus, (non inquit, per interpretem) cognitis, Rex Gurguntius misit Hiberum, & Hermionem homines Hispanos

gum eis ad insulam Hiberniam, tunc vacuam ab incolis, qui peste mortui plerique fuerant. Nam in Cornauijs Camdenus ex Lazio demõstrat primũ origine sermonem vsitatum in Britannia, fuisse Hebraicum.

14. ORBIS initio. Polydorus Vergilius lib. 1. Anglicæ historiæ, Incredibile, inquit, est Britanniam aliquando caruisse habitatoribus, quæ potuit illos accipere eodem tempore, quo ceteræ terræ acceperunt; & eos non expectare ab Hispania, Germania, Gallia, vel Latio, vti recentiores scriptores ferunt. Proinde licet hinc credere, ab ipso propè orbis initio, insulam habitatam fuisse, & eandem post diluuium, vnà cum alijs terris, accepisse suos habitatores, quos Cæsar indigenas vocat. Non ibo tamen inficias, quin deinde postea Germani, Galli, & Hispani, populi finitimi, admisti eisdem indigenis habitauerint in ea, sicut scripsit Cornelius Tacitus, & sicut hodiè faciunt, atque inter ipsos, Britanni continentis, à quibus, vt primis aduenis, & tanquam frequentioribus Beda perhibet insulæ nomen imminutatum esse. Plinius autem videtur significare insulam nomen inuenisse ex illis paruis insulis, quæ inter hanc, & Hiberniam iacent. Albion ipsi nomen, inquit, tum erat, cum omnes vocarentur Britanniæ. Qua de re Gildas qui sapiens appellatus est, homo Britannus loquens, aliquid lucis adfert huic origini, dum in descriptione Britanniæ, Hæc erecta ceruice, inquit, & elata mente, ex quo inhabitata est, nunc deo, interdum ciuibus, nonnumquam etiam transmarinis Regibus ingrata consurgit. Qua oratione Gildas innuit primos insulæ habitatores cognouisse verum Deum, quales fuerunt ij, qui post diluuium, oppleuerunt terram multitudine hominum, atque ita Britanniam ab initio non caruisse incolis. Gildas demonstrat etiam, ciues aliquando rem administrasse; quandoque Romanos, quos non vno in loco vocat transmarinos reges. Hæc ita commentatus Polydorus, transmarinos reges longè quærit, dum eos existimat esse Romanos, qui sunt etiam transmontani, propter Alpes

interiectas vltra mare; quæ inter Galliam, ipsamque Romam, sicut Apennini montes collocantur: Nequid amplius dicam de Regum nomine, quo vsus est Gildas, & quo nihil odiosius apud Romanos audiri potuit. Ergo probabilius est, hos transmarinos Reges, de quibus locutus est Gildas, fuisse Celtarum Reges, qui Galliam tenuêre, Britanniamque rexerunt, & verè transmarini reges sunt. Quapropter vt ab ipso propè orbis initio, quos Polydorus Vergilius prætermisit, incolas repetam; Flauius Iosephus lib. 1. Antiquitatum Iudaicarum c. 4. Cain fratris interemptor, inquit, hæsitans, nec habens, quod pro se posset deo dicere, sacrificium celebrauit, veniamque poposcit sæuioris pœnę homicidij; qui ex illa terra proiectus cum vxore sua post multam peregrinationem filios suscepit, terminosque terræ primus posuit, ac muris communiuit, & illuc suos domesticos, conuenire omnes coëgit. hanc verò ciuitatem à seniore filio suo Henochiam appellauit. Quam Berosus lib. 1. Antiquitatum Chaldaicarum, scribit fuisse, vrbem maximam gigantum, qui vniuerso terrarum orbi dominabantur ab occasu solis vsque ad ortum, quique vastitate corporis, ac robore confisi, armis inuentis omnes opprimebant, libidinique inseruiebant. Et Ioannes Annius Viterbius in commentarijs ad Berosum, de peccato, inquit, oppressionis, deque peccato luxuriæ Moyses non tacuit c. 6. Genesis, dum ait, vxores sibi accepisse, quas elegerant ex omnibus siue matribus, siue alijs; siue suæ, siue diuersæ religionis essent in cultu Dei. quam ob rem ex his nati sunt gigantes, viri armis potentes, & à seculo famosi; hoc est, vitæ sceleribus infames. Per Gigantes enim Diodorus lib. 6. historiarū & Macrobius lib. 1. Saturnalium, scribunt, homines intelligi vastos corpore, famosos moribus, deorumque contemptores, & hominum similiter oppressores. Hi fuerunt in oriente, in quo vrbs Enochia nunc est diruta; cuius tamen maxima, & ingentis molis fundamenta visuntur adhuc, quam vrbem incolæ vocant Caym, vt nostri merca-

tores, inquit Ar[illegible], & peregrini referunt. Hi gigantes Enochij ab occasu solis, vt de eis scripum est, ad ortum vsque dominari non poterant vniuerso terrarum orbi, nisi consisterent in hoc orbis angulo, qui sub occasum solis ponitur; & angulus terræ dicitur, sicut Ægyptus Isaiæ c. 10. scribitur, angulus esse populorum. Nam Radulphus Bochingus Cicestrius lib. 1. polychronicôn c. 39. Angliam nominari, quòd sit angulus orbis, ex Isidoro narrat. vetereśque Chaldæi perinde, ac Britannorum antiqui libri, de historijs, & poëmatis diligenter conscripti, viros bello strenuos, & potentes armis solent vno verbo Gigantes appellare, ipsaque Britannia dicebatur antiquissimè terra gigantum; & admirabilis illa structura lapidum ingentium Ambrio monte positorum, quo loco plurimi Reges sepeliuntur, à Gaufrido Arthurio lib. 6. c. 1. chorea gigantum nominatur.

15. VIRAGO Cesara. Siluester Girardus c. 11. appendicis rerum Hibernicarum hunc aduentum Cesaræ ab antiquis scriptoribus eiusdem insulæ, pro certo tradi narrat. quamquam Ricardus Stanihurstus adnotauerit id fieri non potuisse, cum ante diluuium nullæ fuerint naues, quibus aduecta Cesara ferebatur. At si vera sunt, quæ hactenus probabiliter à nobis narrantur de Britannia terra, vt ante diluuium, continente; ipseque Siluester à promontorio Silurum in Hiberniam traiectum esse tam breuem scribat, vt pontonibus via possit intersterni, & olim fuisse ibi quoque continentem, fortè sub diluuij tempore, per signa quædam à nobis demonstretur Nota 3. superius; quidni Cesara, sicut Enochij fecerunt antea, pedestri via illuc venire potuisset? Cambdenus tamen in chorographia Hiberniæ conatur alio modo rem illudere. per immutationem nominis: de Cæsarea, inquit, fabella præ se fert nomen Cæsarum, quasi quis eorum venisse videatur ad Hiberniam, quę nullo vnquam tempore in Romanorum potestatem concesserit. Qui vir idem in principio libri sui disputat, An vllæ fuerint ante diluuium insu-

insulæ? nam in sacris libris de origine mundi scriptis, nullæ commemorantur tunc insulæ. Attamen ipse putat ad ornatum totius vniuersi fuisse sparsas in æquore terras, quas insulas vocamus; sicut lacus in terra diffusos, & montes in aëre sublimi vectos. Rursus idem Cambdenus disputat, An in mari Britannico naues primùm repertę fuerint? Quidam enim sic arbitrabantur. sed ipse, vitiles tantùm naues corijs intectas Britannis in vsu antiquo fuisse credit, quod vnà cum Plinio Lucanus his versibus affirmat.

Primùm cana salix madefacto vimine paruam
Texitur in puppim, cæsóque induta iuuenco,
Vectoris patiens tumidum super emicat amnem.
Sic Venetus stagnante Pado, fusóque Britannus
Nauigat Oceano. Quibus ex opinionibus illud perspicuum fit; naues ante diluuium inuentas fuisse, quibus iretur ad insulas, quæ tunc erant: nec ideirco fabulam esse de nauibus Cesaræ. deinde si ea venisset itinere terrestri vsque ad mare Britannicum, potuisse tamen ex eo loco transmittere nauibus vitilibus in Hiberniam. Quæ nimis anxia illorum hominum disquisitio est, huius rei tanquam incredibilis; cum valdè probabilis author Suidas, Regem Ægyptiorum Thulem, scribat vsque ad Oceanum fuisse dominatorē, & insulæ Thylæ nomen indidisse. maiores enim opes hominum erant ante diluuium, quàm post illud, & ad quidlibet audendum, tentandumque promptior eorumdem audacia fuit. quod Andreas Alciatus in adnotationibus suis ad Cornelium Tacitum probat, Lipsius improbat. Cambdenus rem refert, sed ambigit, vtrum aliqua omnino fuerit insula Thyle. verum enim verò præstat authoritatem veterum sequi: cum Alciatus pro magnitudine Regis huius narret, eum consuluisse Serapidis oraculum, An quis ipso esset potentior? responsumque ei, quòd Deus esset potentior; ille nimirum qui est trinus, & vnus, vt Christiani loquūtur, & credunt. Nam insulam Thulen existerę verè, nos supra Nota 9. plenè demonstrauimus.

16. CE-

16. CYCLOPAS & Læstrygonas. Thucydides lib. 6. Athenienses decreuêre, inquit, rursus in Siciliam maiori, quàm antè cum apparatu transmittere ad eam subigendam, si possent: ignari eorum plerique, & magnitudinis insulæ, & multitudinis incolentium tum Græcorum, tum Barbarorum. Est enim Siciliæ ambitus non ita multo minor, quàm octo dierũ circumnauigatione, onerariæ naui: & quum tanta sit, viginti fermè stadiorum intercapedine prohibetur, ne sit continens. Incoluerunt autem eam ab initio, atque tenuerunt permultæ gentes, quarum feruntur antiquissimi, in quadam parte duntaxat insulę habitantes Cyclopes, atque Læstrygones, quorum ego neque genus, neque vnde venerint, neque quò abierint dicere habeo, inquit Thucydides. sufficiat quod & à poëtis memoratum est, & apud se quisque de illis sentit. Post hos Sicani primi demonstrantur incoluisse, atque (vt quidem ipsi prædicant) etiam priores, quippe quum sint illius terræ indigenæ: sed veritas arguit eos Iberos esse, oriundos à flumine Sicano, quod est in Iberia, & à Ligybus eiectos, & insulam prius Trinacriam nominatam, vt supra demoustraui Nota 5. pòst ab eis tunc dictam Sicaniam, qui loca incolunt adhuc ad occasum vergentia. Cum igitur Thucydides nos de populis his allegat ad poëtas, videtur Iunius Iuuenalis Satyra 15. significare illos esse fabulosos, atque confictos.

Bilem aut risum, inquit, *fortasse quibusdam*
Mouerit, vt mendax aretalogus, In mare nemo.
Hunc abicit, sæua dignum, veráque Charybdi,
Fingentem immanes Læstrygonas, & Cyclopas?

Nam Vlyssem vocat Græcè Aretalogon, tanquam artis, virtutisque suæ, vel alienæ laudatorem tempore importunum, & verbis garrulum, quasi qui per occasionem variæ peregrinationis mentiatur, & multa dicat falsè, veluti quòd Læstrygones & Cyclopes populi, carnibus humanis vescerentur. sic enim Iudocus Badius ex præcedente versu rectè interpretatur, non quòd

nulli

nulli essent populi Læstrygonum nomine famosi, quorum sedes antiquissima, inquit Plinius, Formiæ fuerat apud Caietam. Et Pomponius Mela lib. 2. c. 5. In Sicilia, inquit, Ætna, quæ Cyclopas olim tulit, nunc assiduis ignibus flagrat. denique Iulius Solinus c. 10. gentem Cyclopum, inquit, vasti testantur specus; Læstrygonum sedes adhuc hic vocantur in Sicilia. Qua ratione Gaufridus lib. 7. c. 5. in ipso vrbis Legionum ingressu turrim giganteam commemorat, forsitan à gigantibus ædificatam, de quibus Nota 14. dixi. Nam Gyraldus in itinerario Cambriæ, Hæc vrbs, inquit, erat antiqua, & authentica (sic enim vocat eam verbo Græco, quasi ab ipsis authoribus inhabitationis insulæ positam) à Romanis olim coctilibus muris egregiè constructa fuit. turrim giganteam, thermas insignes, & vbique tam intra muros, quàm extra eorum ambitum, ædificia subterranea, ductus aquarum, & hypogeos meatus habet.

17. AD Britannias. Moyses c. 10. genesis, Filij sunt Iapheti Gomer, inquit, & Magog, & ceteri. Ab his diuisę sunt insulę gentium in regionibus suis, vnusquisque secundum linguam suam, & familias in nationibus suis. diuisas insulas, Volphangus Musculus existimat esse remotissimas, gentesque & familias esse Iapheti, qui primus occupauit insulas Europæ, quales sunt Anglia, inquit, & Sicilia. Quod antea significans Theophilus Antiochenus, Cum priscis temporibus, inquit, pauci homines essent in Arabia, & Chaldæa, post linguarum diuisionem aucti, multiplicatique sunt. Hinc abiêre quidam versus Orientem, quidam ad partes maioris continentis: alij sedes quæsituri profecti sunt ad Septemtrionem, nec prius desierunt vbique terram occupare, quàm accesserint etiam ad Britannias sub Arctois climatibus. Horum nomina propter honorem (inquit Iosephus lib. 1. c. 11.) homines imposuerunt gentibus, quas condiderunt, & terris, quas apprehendere potuerunt. Iaphetus habuit filios septem, qui habitauerunt regionem à Tauro, & Ama-

& Amano montibus incipientem, & pertingentem vsque ad flumen Tanaim. In Europa verò vsque ad terram Gazirorum, cum nullus habitator ibidem existeret, gentes illius terræ diuersis nominibus se appellabant. Qui nunc enim à Græcis Galatæ nuncupantur, olim dicti sunt Gomeritæ, quos Gomer instituit. Magog verò Magogas à se nominatos instituit, qui nunc à Græcis Scythæ sunt appellati. Hæc Iosephus manifestè de Galatis, & Scythis Europæ loquens eosdemque Galatas esse populos, qui postea Galli dicti sunt, Pausanias lib. 10. probat ex epitaphio Cydiæ Atheniensis à Gallis occisi.

Cydiæ erat parma hæc iuuenili corpore clari,

Hospes, quam sacram conspicis esse Ioui. Nam propinqui scutum eius dedicauerant Ioui Liberatori: tum sequitur:

Huic cubitum inseruit flammato corde sinistrum,

Cum premeret Mauros armipotens Galatas.

In pugna nimirum inita cum Gallis ad Thermopylas. Sed nemo facilè dixerit, cur Galatas hos appellet Mauros, cum eius nominis homines in Africa, vbi sunt Mauri, non inueniantur; licet in Asia Galatæ fuerint: nisi credamus inter hos Gallos fuisse plurimos milites Britannos, qui patria voce, maurum, appellant magnum, vt Humfredus & Cambdenus affirmant. Britannos enim Strabo refert proceritate corporum superare Gallos, & huius magnitudinis argumentum erit, quod nos ipsi adolescentes vidimus, inquit Strabo, Romæ Britannos, qui etiam semisse pedis altissimos homines superarent. Iam verò Franciscus Belleforestus lib. 2. ad Cosmographiã Sebastiani Munsteri, agnoscit hos Gomeritas tanquam primos à diluuio habitatores Galliæ. atque Cambdenus, in his vltimis Europæ finibus, inquit, Gomerus Iapheti filius natu maximus, Gomeris qui postea Cimbri dicti sunt & originem dedit, & nomen imposuit. rursus etiam hi, qui nunc sunt Galli, ait Zonaras, Gomeri vocabantur à Gomero, & ab his Galliæ Gomeris Britannos

nostros

nostros, inquit Cambdenus, originem duxisse, nomenque in originis argumentum detulisse, semper existimaui; & ipsum proprium, ac peculiare nomen Britannorum, qui se Kumeros vocant, persuasit mihi quoque inde vocari Cumbriam totam, quę nomen traxit ab incolis, qui veri ab initio Britanni fuerunt, seque sua lingua Kumbros appellauerunt. nam & Marianus Scotus hanc regionem, Cumbrorum terram dixit. Quam opinionem de Cumbris, vt postea Cimbri dicerentur, probat Humfredus Lhuidus, nisi quòd ad suos Cambros, qui nunc Valli dicuntur, omnem rem trahat; in quo reprehenditur à Cambdeno. Sed quia nomen eorum scribit ypsilo, Græcorum littera, quam v quinta vocali exprimunt Grammatici Latini, non offendetur Lhuidus, mihi notus Patauij cum in familia Comitis Arundelij versaretur, si hanc, vt magis antiquam, originem Cumbrorum, quàm Cambrorum amplector. nam ille Humfredus, Cum ego Cymbros, inquit, qui tot cruenta bella gessêre cum Romanis, viderem eodem nomine dici, quo nostrates, cogitaui, quid authores optimi de gentis eiusdem origine sentirent. ijsque perlectis inueni multa, quibus persuasus, ausim hanc gentem affirmare Britannicam fuisse. primum est commune nomen cum nostris. Deinde lingua eadem, quod est argumentum maximum. nam Plinius lib.4.c.13. Philemon, Morimarussium à Cymbris vocari scribit, id est, mare mortuum, vsque ad promontorium Rubeas. & Britanni veteri lingua sua mor maru, dicunt mare mortuum. quod neque Germani, neque Dani, nec Suenones, nec Slaui, neque Lithuani, neque Lyuones sic appellant. ex quo perspicuum fit, nullam harum nationum fuisse Cymbros. Rursum in vita Marij Plutarchus affirmat eos ex remotissima regione decessisse, nec vnde venirent, neque quo irent cognitum fuisse, sed tanquam aliquas nubes vnà cum Teutonibus obuoluisse terram, & in Galliam Italiamque irrupisse. qua ex re Romani arbitrabantur eos esse Germanos, quia magno corpore, horrendisque oculis

præ-

præditi forent. Cum igitur Plutarchus ignotam relinquit originem Cymbrorum, nostrique annales, inquit Lhuidus, referunt Britannos habuisse semper consuetudinem maximam cum Germanis Borealibus, illud est verisimile, Britannos Cymbros traiecisse in Daniam, quæ inde Cymbrica Chersonesus dicta est; atque pòst adiunctis sibi Teutonibus mouisse bella in Romanos, & primò fudisse in Illyrico Papirium vnà cum exercitu suo. Deinde in Gallia vicisse Aurelium Scaurum vnà cum legionibus suis, ipsomet occiso à Rege Belo, quod nomen in hunc vsque diem familiare Britannis est. tum propè Rhodanum profligasse Manlium & Cæpionem, 12000. Romanorum interemptis. Sed tandem à Mario in Italia ferè omnes cæsi sunt ad Athesim: quique superfuêre prælio, ad Germaniam elapsi diuidebantur in duas partes, quarum vna reuersa in Britanniam est: & altera Germaniam egressa, consedit ad mare Balteum, & à Germanis postea dicti sunt Æstiones, quorum linguam idcirco Britannicæ similem esse, Nota 13. referebam.

18 A qvo primum Britanni. Berosus lib. 4. Ab exordio, inquit, regni Nymbroti, quod habuit primus in Babylonia, Comerus Gallus Italiā tenuit: Samotes possedit Celtas, & Iubal occupauit Celtiberos. & lib. 5. Iubal anno eius duodecimo, inquit, Celtiberos cōdidit; & paulò pòst Samothes, qui & Dis appellatur, Celtas fundauit colonias: neque quisquam illa ætate fuit isto sapientior, ac propterea Samothes dictus est. ad quem Ioannes Annius à Viterbo notans, Celtas, inquit, siue Galios Francigenas condidit Samothes, à quo primum Britones, deinde Galli, dicti fuerunt Samothei; & præcipuè Philosophi, sectatores eius. vnde Diogenes Laertius lib. 1. de vitis philosophorum, A Barbaris, inquit, philosophiam initia sumpsisse plerique authores dicunt. etenim constat apud Persas fuisse claros Magos, & apud Babylonios & Assyrios, floruisse Chaldæos; & apud Celtas, & Gallos honori habitos esse Dryudas; & eos, qui Samothei vocabantur, quique,

 vt ait

vt ait Aristoteles, fuere diuini & humani iuris peritissimi, & ob id religionibus deditissimi, atque propterea Samothei sunt appellati. Quod ab Annio scriptum de primis Samotheis in Britãnia, Ioannes Caius Londini mihi notus iam senex, repetit lib. 1. de antiquitate Cantabrigiensis Academiæ; scholas nemirè Gigantum temporibus in Britannia fuisse conditas. Nam vt à sæculo Aboriginum rem ordiamur, inquit, etiam Gigantes, insulæ aborigines, habuisse sensum sapientiæ, morumque probitatem dilexisse, ac litteras excoluisse Gildas memorabilis scriptor rerum Britannicarum, & integræ fidei historicus, attestatur. tum Berosus etiam atque in eum commentatus Annius, scribunt, pium quendam Gigantem, qui (quoniam omnibus suo tempore viuentibus erat sapientior) Samothes dictus est, & cognomento Dis appellatus, statim post inundationem terrarum, habitasse insulam, Aboriginibusque in Britannia simul, atque Celta imperasse; à quo & insula primum Samothea dicta est, & populi nominati sunt Samothei, maximè Philosophi, qui sectatores extitêre religionis eiusdem Samothis; quos Laërtius tamẽ non σαμοθεοὺς, vt Annius existimauit, sed Druidas intelligens, σοφοὺς καὶ σεμνοθεοὺς, appellat. Hęc ita Caius, non benè iudicans eosdem esse Druidas, qui sunt Semnothei, nempe vates sic appellati à deorum cultu, religioneque, cum Laërtius exprimat eos esse, duo diuersa genera sapientium. neque rursum benè vocat Caius Samothem pium gigantem, nisi fortè propter pietatem erga Deum, quæ σεμνότης Græcè & sanctimonia Latinè dicitur; quamuis idem Caius dicat non alios fuisse gigantes, quàm procerum genus hominum, & incorruptæ magnitudinis, quos natura primo sæculo produxisset; eosque non à monstruosa (vt stultum vulgus putat) magnitudine sic appellari, sed à solo, in quo nati sunt; quos Græci γηγενεῖς, id est, terræ filios, seu, vti Liuius, aborigines, seu vti

Cæsar, indigenas, & Gaufridus lib. 1. de rebus gestis Britannorum c. 9. Gœmagotos vocat. Nam alibi natum, & aliunde venisse Samothem in has partes orbis terrarum scribit Ioachimus Perionius lib. 1. de origine linguæ Gallicæ, eundemque Ditem appellatum, in Celtis primùm fundasse colonias, hoc est, ijs in locis, quæ Celtæ id est, Galli incolunt, idque anno ab inundatione terrarum centesimo quadragesimo tertio. Sed id à Beroso scriptum Perionius reprehendit, addens Mosen & Iosephum nullam Samothis, qui Dis appellaretur, gentisque Gallorum origo esset, mētionem facere omnino. adeo perspicuum certè est, non à Dite patre, si verum sequamur, inquit Perionius, nos originem duxisse, vt veteres Galli putauerunt. nam ea quæ de Dite feruntur, poetarum furore inuenta, & ad fabularum similitudinem traducta sunt. Sanè quidem Annius longè ante Perionium, rectè animaduertit non per omnia cum Moyse consentire Berosum, cui tamen idcirco non abrogat fidem de persona Samothis, cum in libris sacris multa inter Hebræos & Chaldęos diuersa scribantur, quę sibi tamen aduersa non sunt: quamquam mihi suspectę semper habitæ sunt illę genealogię tum alia littera scriptę, tum per arbores explicatæ in Beroso, qui mos est nouus, & antiquitati planè incognitus. Proinde malim dicere, Magogum fuisse illum ipsum, qui statim à Beroso dictus est Samothes, quòd illa ætate hominum, esset inuentus nemo sapientior. Nam Ditis appellatio nimis frequens apud veteres historicos est, quàm vt fabulosa credatur, cum Tacitus lib. 20. mentionem faciat amplissimam de Ioue Dite, qui fuerit olim apud Ægyptios, & Alexander ab Alexandris lib. 3. c. 4. In diebus Sigillariorum Saturnalibus proponebantur imaguncule, inquit, & simulachra venalia, quę pro suis capitibus homines in sacellum Ditis Romani deferebant. Porro iste Samothes plerumque versatus in locis subterraneis definiuit initia temporum à nocte, fecitque regna continentis, & insulæ conterranea.

19. Filio suo Mago. Idem Berosus lib. 5. Ninus Iouis Beli filius fuit tertius Babyloniæ rex, inquit, & annos quinquaginta duos imperauit; quorum penultimo, regnauit apud Celtas Samotis filius Magus, à quo illis oppida plurima sunt posita: & Annius notans ad eum, Magus, inquit, qui secundus successit in Gallijs rex, nominis vocabulo Scythicus est, non Persicus, qui magum vocant philosophum. sed Scythæ Magog dicentes, intelligunt de tecto, quasi magus existat, domuum ædificator, aut palatiorum tector. cuius rei facit argumentum, quòd ab eo plura sint oppida, quæ vetusta lingua Gallica denominationem habent in mago, vt Nouiomagum, Rhotomagum; & cetera, quæ Perionius addens, Berosus scribit eundem Ditem, inquit, anno quarto Nini Babyloniç regis tertij, hoc est, centesimo decimo post aduentum suum, condidisse leges populis suis; quæ autem fuerint hæ leges, non exponit: eundemque genuisse filium Magum, qui primo & quadragesimo Nini anno præesse Regio dominatu cęperit, à quo etiam multę vrbes, multaque oppida nomen inuenerint. In his esse existimo, ait Perionius, quæ nomen retineant, Nouiomagum, Maguntiam, & Rothomagum. Cui consentiens Natalis Talipes lib. 2. de Republica Druidum c. 2. Apparet ergo, inquit, hunc fuisse principem, qui primus in vrbes populos reduxit; & si volumus etiam credere poëtæ Ligurino, qui primus extruxerit ciuitatem Maguntiam. ait enim:

Nomen ab infuso recipit Maguntia Mago,
Quæ statione sua, Rhenum contingit; at inde
Prærapidam fines extendit ad vsque Mosellam.

Quas ad res ædificando perficiendas Deus, ei dedit abundanter omnia, quæ erant necessaria, vitęque longinquitatem ad annos quinquaginta & vnum, quot imperauit. Certè Iudocus Villichius ad Cornelium Tacitum libro de moribus Germanorum notans, In tugurijs, inquit, Britanni ab initio vnà cum armen-

mentis ſtabulabantur. quod ante illum Alexander ab Alexandris lib. 5. c. 24. Britannis & Sueuis ſcripſit eſſe commune, vt vnà cum armentis habitarent in tugurijs. adeo magnum beneficium præſtitit hic Princeps in domibus populo ædificandis, ex quibus oppida, & vrbes conſtituerentur. Ac in primis illud quidem probabile eſt, ab hoc rege fuiſſe dictam, Magos vrbem Britāniæ, quam Antoninus Magnos vocat. Nam ibi Præfectus militum Pacenſium ſub duce Britanniarum, Imperatoris Honorij temporibus egit, & huius loci, qui ſunt incolę Mageſetæ nominantur: Comiteſque Mageſetenſes appellari Cambdenus in Siluribus ſcribit. Idem in Icenis, vrbs antiqua iacet ad Thetum fluuium, inquit, è Suffolcia profuſum loco vliginoſo, quam Antoninus Sitomagum vocat, id eſt Britannicè, vrbem ad Situm fluuium. Plinius enim docet magum, ſignificare vrbem. Nam de Nouiomago inſulæ vrbe perantiqua, non benè conuenit quęnam illa ſit. Humfredus, Meridialium Saxonum ciuitatem, inquit, crediderim eſſe Neomagum, vbi nunc eſt ſita Guldefordia. Cambdenus verò, pluribus, inquit, paraſangis aberrauerunt illi, qui vel ad Buchingamiam, vel ad Guildefordam ſtatuerunt Nouiomagum: ſic enim Antoninus vocat vrbem quę Noiomagus dicitur Ptolemæo. Hæc enim præcipua fuit ciuitas Regnorum, & cognita quidem Marino Tyro vetuſtiſſimo Geographo, quem idem Ptolomæus reprehendit, quod Nouiomagum Britanniæ per climata magis ad Boream, & per itinera magis ad Auſtrum collocauerit. nam Cæſaromagum, id eſt, Cæſaris vrbem, quam Antoninus Italico milliari diſtantem a Durolito ponit, iudico, inquit, Cambdenus, in honorem Cæſaris Auguſti conſtructam eſſe, cum Reges amici Senatus populique Romani, atque ſocij, vt ait Suetonius, ſinguli condiderint in ſuo quiſque regno Cæſareas vrbes ad honorem Auguſti.

20. VOCANT Satronidas. Beroſus, apud Babylonios, inquit, quintus regnauit Zameis Semiramidis

filius qui Ninus Iunior appellatus est. Eius anno primo cum Sabatius obijt, Ianus pater Cranum filium creauit Coritum. His temporibus apud Celtas regnauit Sarron. qui vt contineret ferociam hominum tunc recentium, instituit publica studia litterarum. & Annius, ex nomine Sarronis, arguit Sarronidas dici Gallos, illos doctos viros, de quibus Diodorus Siculus lib. 6. c. 9. Philosophi sunt apud eos, inquit, quos vocant Saronidas, & quos præcipuè colunt. moris enim ipsis est, nullum sacrificium facere absque philosopho. nam existimant sacra fieri oportere per viros diuinæ naturæ conscios, tanquam deis propinquiores, quorum intercessione à dijs esse petenda bona credunt. Sanè quidem Annius litteras & philosophiam, existimat apud Gallos fuisse ante Sarronem; nempe Samothis ætate. sed non tunc erant gymnasia publica, inquit, quæ sola mitigant humanam ferociam. Qua in re consentiens cum eo Perionius, Mago, inquit, mortuo, Saronem tenuisse regnum scribunt, eum, qui, vt ferociam nouorum tunc incolarum contineret, publica studia instituerit. Et Caius, magis perspicuè, post Samothen inquit, Sarron quidam Britannorum Celtarumque Rex tertius fuit, qui ab infantia literas & artes præclaras adamauit, publicaque litterarum studia Britannis & Gallis primus instituit. Cambdenus autem in Belgis, Sorbiodunum olim in itinerario Antonini dicebatur, quod vulgus Latinorum, inquit, Sarum vocat & Sarones Sarisburiam. quibus verbum buria, sonat burgum, pro duno, quod Britanni, & Galli, vt in oratione 4. Nota. 5. dicebam, addiderunt oppidis illis quæ sita sunt editiore loco. vsque adeo, vt quidam Britannicæ linguæ callentissimus vir mihi fuerit interpretatus, inquit Cambdenus, Soruiodunum significare collem siccum; & probabiliore certè coniectura, quàm ij vtebantur, qui à Sarrone Berosi mago; aut a Seuero Imperatore Seueriam dixerunt. tamen paulo pòst idem Cambdenus laudat viuiarium amplissimum Claridon, adiacens huic vrbi antiquæ, Mi-

chaë-

chaëlis Mascherti legum doctoris carmine tali:

Nobilis est lucus, certis clusura, Saronam
Propter, & à Claro vertice nomen habet.
Viginti hîc nemorum partito limite, boscis
Ambitus est passus mille cuique suus.

Qui poëta si fuit in omni meliori doctrina versatissimus, vt ait Cambdenus, profectò Saronam, quam vocat vrbem, diceret à Sarone Magi filio potius extructam, quod affirmant plerique antiquitatum studiosi, quàm à Soruioduno per vnius viri interpretationem, fortasse falsam de colle sicco. neque enim Claridunum vbi eram cum Georgio Penrudoco Equite honoratissimo, vocatur Britannicè Sorduum, licet ipsum fuerit collis quidam perpetuus, atque siccus: neque probabilior est historicis ea coniectura, quam facit Cambdenus ex proprio sermone vnius cuiusque gentis ferè semper in toto libro suæ chorographiæ. Villichius enim, huiusmodi coniecturas, inquit, cum nō sint adeo στοχαστικαί, ipse non tanti facio, vt doctorum virorum iudicio, iustoque consensui eas ante ponam. Hæc Villichius: quem in ea re probo. ac vt id semel expediam breuiter, quod Cambdenus disputat, vtrum à personis, an ex rebus accidentibus, populi, locaue initio nomen acceperint? constat quidem istud, tam ex sacris, quàm è prophanis libris, origines plerasque omnes fluxisse à personis. & siqua remaneret apud posteros ea de re ambiguitas, eandem electione personarum facta per historicos, qui res gestas à personis describunt, penitus fuisse diremptam. vt in origine Brutiorum, quos Agathocles bello petijt, dictos eos esse putat Diodorus Siculus ab indigena loci appellatione Brutios, quòd eorum plerique omnes fugitiui serui essent, & gens nimirum bruta. Trogus Pompeius contrà narrat, Dionysium Siciliæ tyrannum fatigatum querelis sociorum Lucanorum, sexcentos Afros misisse ad compescendos eos, quorum castellum proditum sibi per Brutiam mulierem, hi expugnauerunt, ibique ci-

ciuitatem statuerunt concurrentibus ad opinionem nouæ vrbis ex omni loco pastoribus, qui se Brutios ex nomine Brutiæ mulieris vocauerunt. Iustinus vero istas differentes sententias animaduertens, lib. 24. historiarum, probat eam, quæ est Trogi Pompeij de persona Brutiæ mulieris. Rursum Dionysius Afer Saronicum sinum, qui Corinthiacum Isthmum alluit nominans de aquis,

Æquoribus, inquit, *geminis Isthmos pulsatur, ab ortu*
Semper in immensum qua mergitur vnda profundum,
Nomine quam Danai dixere Saronida prisco.

Sed Plinius lib. 4. c. 5. appellationem deducens de arboribus, Sinus, inquit, Saronicus olim querno nemore redimitus, nomen inde habuit, quòd antiqua Græcia ita quercum appellaret. quem Cambdenus in Brigantibus imitatur, dum auclandam à quercubus (vt Græcè Sarron) opidum denominatum esse refert. nam auca, quercus & robur; landa, tellus est Anglicè; vel regio, vt ait Villichius, Germanicè. Pausanias autem lib. 2. & plerique omnes eum secuti, à Sarrone Rege sinum Saronicum vocari arbitrantur. nam ille successit Althepo, & Saronidi Dianæ templum ædificauit loco palustri ac vadoso, quæ ob eam causam Phœbœa palus dicebatur. Hi Saronem ipsum narrat, cum venandi studio plurimùm delectaretur, ceruum vsque ad mare persecutum, atque inde cum fugientem acrius vrgeret, se in eam alluuiem demisisse. nantem verò longius à litore feram cum prædæ cupiditate captus non dimitteret, in pelagus prouectum; ibi & labore confectum, & maris æstu iam propè submersum obijsse diem suum. Eius cadauer ad Phœbeam paludem in Dianæ luco conditum, & illud æstuarium esse appellatum ab eo casu pro Phœbea Saronidem paludem.

21. VTRIVSQVE populi Rege Druide. Idem Cambdenus in primis incolis Britanniæ vtramque gentem continentis, & insulæ suos Druidas habuisse, idque ex Cæsare ac Tacito probat. Sed quocumque

no-

nomine, hi suis Celtis & Britannis innotuerint, mihi persuasissimum, inquit, est hanc appellationem Druidum à Græco sermone δρῦς, quod est robur, siue quercus, profluxisse, non solùm, quòd visco ex robore nihil sacratius eis fuerat, nec vlla sacra facerent sine illa fronde, verùm etiam, quòd Diodorus Siculus hos Gallorum sacerdotes eodem sensu σαρόνιδας vocauerit, quæ dictio quercus, siue robora significat; ita refugit iste personas duorum Regum, vt confundat etiam duo genera diuersorum philosophorum, quos instituerint. Nam idem Diodorus exprimit tria genera hominum ab antiquis principibus eruditorum. Sunt apud eos, inquit, melodiarum poetę, quos Bardos appellant. Hi cum organis & cum lyra cantant; nunc illos laudant, nunc illos vituperant. tum addit secundum genus philosophorum, quos vocat Saronidas, qui pręcipuè coluntur: deinde tertium recensens, vtuntur insuper diuinatoribus, inquit, qui apud eos plurimi existimantur, & omnis plebs eis obtemperat, quòd augurijs, & sacrificijs futura prædicent. hos Druidas esse non ipse nominat: sed apertè multo magis Strabo, tres passim nationes eximio honore præditas refert, Bardos, vates, & Druidas; vatésque sacrificiorum curam habere. Certè Berosus apud Celtas, inquit, Dryius peritiæ plenus regnabat, cum Aurunus Crani filius imperaret in Italia. Cui consentiens Perionius, Druidem siue Dryum, inquit, deinceps imperium tenuisse narrant, Saronis filium. & Petrus eius nepos, ab hoc, inquit, Druydas appellatos esse autumo, quos Cęsar lib. 6. de bello Gallico, & rerum diuinarum procurationi, & adolescentum disciplinę, atque institutioni pręfuisse dicit. sic existimo, inquit patruus illius Ioachimus. idque vt credam facit hoc, quod istis temporibus fieri animaduertimus. vt enim gymnasia literaria multa Lutetię Parisiorum esse videmus, quorum partim nomen à conditore, partim etiam ab amplificatore habent: sic illorum quasi sacerdotum collegium

non à Sarone, qui instituit, sed à Druide qui auxit, nomen retinuisse arbitror nisi fortè ipse Druys, quòd esset doctus a Sarone Rege cum studia publica instituit, præpositus est Collegio, & ex eo nomē inuenit; vtrumque, inquit, Petrus, est probabile; sed posterius mihi magis probatur, propterea quòd Cæsar eo ipso libro, vnum Druidibus omnibus præfuisse scribit. Enimvero Caius, Sarone, inquit, mortuo successit Druys Britanniæ Rex quartus, à quo philosophi Druydes appellati sunt; tametsi Plinius lib. 16. c. vlt. scribat Druydes à δρῦς per interpretationem Græcam videri posse nominari, quòd sine fronde quercus nulla sacra facerent, quæ nominis eorum interpretatio multo posterior est hominum institutione prima. Hi philosophi & nomen, & originem in Britannia primum acceperunt, ac postea Gallis idem nomen, & scientiam impartiuerunt, communi vtriusque nationis existente Rege Druyde. Atque vt initium à Druyde in Britannia habuere annis ante Christum 1013. sic & finem in Britannia post Christum natum annis 179 habuerunt. ita Caius reijcit interpretationem nominis à Plinio factam, vt in appellatione Græca Saronidis retineatur memoria personę Saronis Regis, quemadmodum Nota 20. superius explicaui.

22. MVSICAE quæ ab eo Barditus dicitur. Regnabat apud Celtas Bardus, inuentione carminum, inquit Berosus, & musicæ apud illos vir inclytus. Atque Perionius, Druidis filius Bardus regali potestate, inquit, mortuo patre pręfuit, vir musicæ & carminum inuentione apud suos in primis clarus & nobilis. atque haud scio, an huius instituto Druides id facere cœperint, quod eos tum Cæsar solitos facere scribit: nimirum illos, qui multi vel sua sponte, vel à propinquis parentibusque missi disciplinæ causa ad Druides conuenirent, magnum versuum numerum solitos ediscere. Verisimile est enim Bardum, qui musicam & poëticam ibi inuenisset, eoque dono clarus haberetur, facilè

& au-

& authoritate sua, & doctrinæ opinione suis persuasisse, vt quæ homines ibi discerent, ea ad versus numerosque reuocarentur: quamquam non ignoro versum Latinè dici oportere in libris scriptis, id quod lineam vulgò appellant, seu carmine, seu prosa oratione compositi sunt. hæc Perionius, de cuius religione queror, quòd toties dicat, ibi Bardum inuenisse musicam, & ibi homines discere versus, & ibi disciplinæ Druidum causa conuenisse, nec vnquam nominet Britanniam, vbi hæc omnia facta sunt, vt eodem ipso libro sexto Iulius Cæsar expressit. Quam ob rem Caius apertè primos musicos, inquit, Britannia peperit, teste Iulio Cæsare. quos Bardos olim dicebant, & adhuc dicunt Cambri, à Bardo quodam Rege Britannorum quinto, & homine quidem inuentione carminum, ac Musices inclyto. qui suffectus est in regnum, postquam Druys regnauisset annos duodecim. Sed Moyses c. 4 Genesis Iubal fuit pater, inquit, canentium cithara, & organo: quod Genebrardus in Chronographia exponens, Iubal, inquit, musices, & instrumentorum eius inuentor erat. atque inde vocabulum iubilandi fluxit in aliquot linguas. quò fortasse respexit Perionius, qui Bardi Musicam dixit, non quidem omnem, sed eam esse poëticam. Nam ita memini Terentium in Prologo 3. Comœdiæ, studium Musicum appellare id, quod poëticum est; & in prologo 5. nominare artem Musicam, quæ verè sit poëtica. quibus rebus adductus ipse sum, vt hoc genus musicæ certum, quod poëticis numeris excogitauit Bardus, vocarem cum Cornelio Tacito Barditum. nam ille in suo libro de moribus Germanorum, Ituri ad prælia, inquit, primi omnium virorum canant Bardi. & sunt illis quoque carmina, quorum relatu, quem Baritum vocant, animos accendunt. vbi meus liber à Ioanne Frobenio typis excusus, cum adnotationibus Andreæ Alciati, habet in margine positum Barditum. quæ omnino verior est lectio, cum in omnibus exemplis hoc verbum scribatur littera prima maiore, vt à nomine viri proprio descendens sitque

relatus

relatus carminum rithmicorum, vt ait Natalis Talipes libro 2. c. 5. & quidem ab hoc Rege ad mouendá, pacandáue corda hominum institutus; qui non potest esse sonus bestiarum. Quamquam Iudocus Villichius in eundē locum Taciti commentatus, a sono confuso, inquit, quasique voce non articulata, Mars dicitur ἀλαλάξιος, voce, strepituque militari, quo pugnantes in prælio vtuntur. Sunt enim qui gruum vocem imitantur, vt Troës Homerici, & hodiè milites Turcici. Sunt & qui vocem exprimunt asininam; propter quam rationem vociferandi, Marti asinum nonnulli mactabant. Sunt etiam, qui vocem elephanti repræsentant, vt est Germanorum barritus, qui vox est Elephanti. nam Festus, barrire, scribit elephanti proprium ac familiare esse. Quæ consuetudo fuit & Scythis cum inirent pugnam classico dato, vt in occursu primo ad excitandum ardorem vehementissimo clamore vterentur. qui clamor si erat consonus, neque impar, neque varius, faciebat eos alacres in prælium, quòd inde sibi futuram victoriam pollicerentur. Eodem modo Germani suo barritu futuræ pugnę, vt ait Tacitus, fortunam augurabantur. Quare Flauius Vegetius lib. 3. de re militari c. 18. Clamor, inquit, quem barrhitum quidam vocant, non prius attolli debet, quàm acies vtraque sese iunxerit. Imperitorum enim vel ignauorum est de longè vociferari, cum hostes magis terreantur, si vnà cum telorum ictu, iste clamoris horror accesserit. Vbijs autem & Treueris hoc erat in more positum, vt virorum cantu, feminarumque vlulatu terrorem hostibus incuterent, voceque tumultuosa ipsos obtunderent. Siquis vero alias, inquit Villichius, etymologias hac de re velit inquirere, per me licebit. sanè quidem interpretationes nominum viris propriorum, vocat etymologias, quibus, vt à personis, rerum gestarum auctoribus recedatur operosè nimis aliqui laborant, sicut Nota 20. superius demonstraui. Humfredus autem in lingua Britannica dicit, omnia

ferè

ferè nomina hominum, locorumque esse significatiua, & suas haberè proprias, vt non sit necesse, Græcas etymologias quærere; & antiquissimos esse vates Britannorum Bardos. Sanè quidem vestitus ab hoc Principe Bardo institutus cum capitis operimento in militia quidem cucullus, extra verò militiam sine ligamento capitis, Bardiacus vocatur à Iulio Capitolino in vita Pertinacis Imperatoris, ad quem & Ioannes Baptista Egnatius idem notauit. Non possum autem obliuisci quod in oratione 1. Nota 12. dixi de fistula Caij Gracchi, quam tibiam concionatoriam vocat Aulus Gellius lib. 1. c. 11. & de ciuili forensique Eloquentia interpretatur. de quo genere dicendi sic scribit Iuuenalis Satyra 15.

Gallia causidicos docuit facunda Britannos,
De conducendo loquitur iam Rhetore Thule.

Nam, vt ibi notat Iudocus Badius, in vrbe Lugduno florebat Ars Oratoria, multique tam ex Britannia, quàm è Thule, vltima Britanniæ regione, illò venientes docebantur agere causas disertè. Quamquam Viglius Zuichemus in commentarijs ad Institutiones lib. 2. tit. 12. mauult intelligere versum hunc de disciplina Iuris ciuilis, quam Trebatius Iulij Cæsaris temporibus fundauerat in Gallia, quamque sic excoluerunt Galli, vt iure Romano manifestè viuerent. Sed altera quæ dicitur militaris Eloquentia in dialogo de claris Oratoribus apud Cornelium Tacitum, & in poëtis, qui benè facta canunt, etiam nunc magnopere laudatur, illa venit à Rege Bardo. de quo Bardiacus Iudex nominatur ab eodem Iuuenale Satyra 16. Qui

Legibus antiquis castrorum, & more vetusto
Ius dicit. quemque morem incitandi se ad pugnam Lacedæmonij bellatores summi non cornuum tubarúmue signis imitabantur, sed tibiarum modulis, sicut ait Thucydides, in prælijs vsi sunt, vt in pugnando fierent moderatiores. Nihil enim adeo in principijs præliorum ac in congrediendo cum hostibus rati sunt aptius ad salutem, virtutemque, quàm si per-

si permulcti mitioribus sonis, non immodicè ferocirent. Cum igitur procinctæ classes erant, & acies instructa, cæptumque in hostem progredi, tibicines inter exercitum positi, canere inceperunt. Ea ibi præcentione tranquilla & venerabili, ad quandam quasi militaris Musicæ disciplinam, inquit, Gellius, vis & impetus militum, ne sparsi dispalatique proruerent, cohibebatur. Quid ille militum Romanorum clamor ardentissimus, quem in congressibus præliorum faciebant, num erat contra tam probabile institutum? Certè ad hostem procul distantem ibant gradu clementi silentique: cum autem propè ventum esset ad manus, tum hostem è propinquo propulsabant impetu, & clamore terrebant.

23. BELLVM intulit. nam aureum sæculum, in quo nullum erat bellum, iam finiebatur cum inciperet regnare Magus, anno quinquagesimo primo, eodemque penultimo Imperij Assyriorum regis Nini, qui finitimis populis intulit bella primus; quoniam antea, vt ait Iustinus, fines imperij magis tueri, quàm proferre mos erat, & intra suam cuique patriam regna finiebantur. Nam Amandus Zirixæus in Chronicis, (quæ tanto pluris æstimantur, quòd Franciscus Titelmannus Hassellensis, vir grauissimus, & philosophus eruditissimus ea laudauerit, & ediderit,) anno Nembroti 13. missum esse scribit virum, qui nomine Dis, cognomine Samothes dicebatur, quòd illa ætate nemo inuentus esset ipso sapientior, atque peritior, vt Saturnus Galliæ fieret. à quo dicti sunt Samothei, qui apud Gallos fuerunt diuinarum, humanarumque rerum peritissimi, ac religionibus deditissimi. Præfuit hic Gallis, eosdemque litteris instruxit, & legibus formauit annis 156. Sed Natalis Talipes lib. 2. c. 1. Separatio hominum, inquit, dispersioque in vniuersum orbem terrarum accidit anno ab orbe condito plus mille septingentis nonagesimo septimo; & post diluuium centesimo quadragesimo. quo tempore Gomer venit in Italiam, & inde post ad Galliam. Cui Villichius

chius conſentiens, à Gomero, inquit, poſtquam anno decimo Nimbroti ex Armenia in Italiam colonias deduxerat, Combri dicti ſunt, qui poſtea Cymbri, cum ex Italia decedentes Septemtrionis loca peterent, ibi Cimbricam Cherſoneſum nominauerunt quam Holſati hodiè, atque Schondaniani aliquot incolunt. de quibus ſupra dixi Nota 7. Nam in Europa conſtituebantur quatuor tunc regna, Italicum, Hiſpanicum, Gallicum, & Germanicum. & anno Regni Nembroti decimo Gomer Italicum, duos annos poſtea Iubal Hiſpanicum: & paulo pòſt, Samothes cognomento Dis, Gallicum, atque vigeſimo quinto anno Nembroti Tuiſcon Germanicum regnum inſtituit. ſic Talpes. ſed Bartholomæus Chaſſanæus in Catalogo gloriæ mundi ſcribit, anno poſt diluuium quinquageſimo octauo habitatam fuiſſe Galliam, priuſquam illò Gomer perueniſſet; quod ab eo dictum, eſt, contra Ioſephum; qui Galatas Europæ vocat ab initio Gometitas, quoniam eos Gomer inſtituit. Horum tamen primus rex appellatur Dis Samothes, id eſt, Latinè Vnilinguis, quia nunquam locutus eſt alia, vt ait Talpes, quàm vnica lingua. cum enim ceteri mutauerint ſermonem maternum; iſte non commutauit idioma, ſed vt Heber apud Moyſen, ſcribitur monoglottos ſemper extitiſſe, ita Samothes: & inde, credo, tantæ ſapientiæ vir habitus eſt, quòd hanc ignorantiæ pœnam non pateretur. Venit autem in Galliam ex Armenia poſt diluuium anno centeſimo quadrageſimo, eiuſque poſſeſſionem accepit cum vxore, liberis, & domeſticis magno numero, a poſteritate dictus Saturnus Gallus, eo quòd Saturni vocarentur seniſſimi familiarum nobilium Regum, qui condiderunt vrbes; & eorum primogeniti nominarētur Ioues, & deinceps nepotes, appellarentur Hercules fortiſſimi. Sanè quidem iſtud eſt credibile, populos, qui diu vixerant ſine capite, ac gubernatore, ſimpliciter & ſecundum legem naturæ vixiſſe, in quo genere viuendi paſſus eſt Samothes eos creſcere ſpacio centum & octo

annorum prius, quam eis daret leges; quas incepit promulgare anno quarto Regni Nini Babyloniorum Imperatoris tertij. vnà cum his legibus homines docebat multa præcepta Philosophiæ, ac in primis Astrologiam; deque animæ immortalitate maximè disserebat. quadraginta septem annos post legislationem vixit, & in vniuersum circiter trecentos, quorum centum quinquaginta quinque regnauit. Ab eo processerunt philosophi primi totius Europæ quidem, nominati Samothei, vel secundum aliquos Semnothei. Et consequenter idem Talipes c.2. Magus Ditis Samothis filius primonatus, inquit, regnare cœpit anno post diluuium trecentesimo. quanto spacio plerique omnes affirmant aureum seculum fuisse finitum. Itaque nihil est miri, si Sarron Magi filius bella mouere cogitauit; quæ Longho tamen primus omnium intulisset. qui fortasse cognomento Boreas fuit appellatus. quippe Seruius Honoratus ad Virgilium lib.2. Georgicôn ex Asclepiade notat, Boream fuisse Celtarum regem, qui filiam Cyparissam amiserat, & nouum arboris cupressi genus in eius tumulo primus seuerit, ob eamque causam esse luctuosam cupressum; sicut omne bellum est luctuosum. Nam Britannos cum Borealibus Germanis habuisse semper maximam consuetudinem supra dixi Nota 17.

24. LONGHOBARDI. Talipes c.3 scribit anno septimo supra bis mille ab orbe condito, & à diluuio quidem plus trecentis quinquagesimo primo regnasse Sarronem Magi filium, qui primus vniuersitates studiorum publicas, & communes instituit; vrbesque, & Collegia eam ob rem fundauit, & salaria Professoribus omnis generis litterarum certa præscripsit, qui suum regnum amplificasset, nisi morte præuentus fuisset anno Imperij sexagesimo primo. Idem scribit c.4. Druidem Sarronis filium incepisse regnum anno ab orbe cōdito supra bis mille quinquagesimo quarto, & à diluuio plus quadringentis anno decimo: qui esset quinquagesimus quintus supra ducentos à prima fun-

fundatione regni Gallici. Plus ait tanquam ex Beroſo, quod equidem non legi, à Druide philoſophiam, aſtrologiam, & augurandi ſcientiam, apud Celtas inuentam fuiſſe; ab eoque monſtratam artem diuinandi Samotheis philoſophis, dediſſe cauſam, cur hi mutato inde nomine, Druides appellarentur. diſciplinam enim Druidum in Britannia repertam eſſe Cæſar ipſe demonſtrat. & Albion primus in Britannia, vt ait Caius, aſtrorum ſcientiam docuiſſe creditur. Pergit tamen Talipes, & Druidem ſpacio quattuordecim annorum tantum regnaſſe refert. mox c. 5. narrat hunc reliquiſſe ſuperſtitem filium Bardum ætate quidem iuuenem, ſed motibus ſenem. qui cœpit imperare anno ab orbe condito ſexageſimo octauo ſupra bis mille; vir inclytus cãtionibus rithmicis, quibus cor hominis moueri, ſedarique commotum poſſit. quarum cantionum artem docuit diſcipulos à ſe Bardos dictos, vt eandem in vniuerſitatibus ſtudiorum exercerent, quod annis plus mille octingentis ab eius morte feciſſe dicuntur à poëta Lucano, cum ait:

Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi,

& Ammianus Marcellinus lib. 15. rerum geſtarum, loquens de Gallorum origine prima, Per hæc loca, inquit, hominibus paulatim excultis viguere ſtudia laudabilium doctrinarum, inchoata per Bardos, & Eubages atque Druidas. & Bardi quidem fortia virorum illuſtrium facta heroicis compoſita verſibus, cum dulcibus lyrę modulis cantitarunt. Eubages verò ſcrutantes ſumma, conabantur ſublimes res naturæ pandere. Inter hos Druidę ingenijs celſiores, vt auctoritas Pythagoræ decreuit, ſodalitijs aſtricti conſortijs, erecti ſunt quæſtionibus occultarum rerum, altarumque; & humana deſpectantes, pronuntiarunt animas eſſe immortales. Poſtremo Talipes ſcribit, Bardum regnaſſe ſpatio ſeptuaginta quinque annorum. & c. 6. Longhonem huius Bardi filium incepiſſe regnum anno ab orbe condito ſupra bis mille & centum, quadrageſimo tertio, quod adminiſtrauit viginti octo annos; interim

loca multa bello vincens imperio ſuo iunxit, & nominatim eam, quæ de ipſius ac filij vocabulo, appellatur Longhobardia, & incolæ Longhobardi, Germaniæ populi; licet poſt in Italiam perrumpentes ibi regnauerint plus annis ducétis, donec à Carolo Magno victi bello fuerint. Nam eos eſſe Germanos, & poſteriore Druidum religione hominis occidendi contaminatos, Cornelius Tacitus oſtendit. vetuſtiſſimos, nobiliſſimoſque Sueuorum, inquit, ſe memorant eſſe Semnones; & fides antiquitatis firmatur religione. Stato enim tempore omnes eiuſdem ſanguinis populi legationibus coëunt in ſyluam augurijs patrum, & priſca formidine ſacram, cæſoque publicè homine celebrant ritus horrenda primordia. Fortuna Seninonum adijcit eis auctoritatem: centum pagis habitantur. Contrà, Longhobardis accidit paucitas, nobilitaſque ex eo, quòd plurimis ac valentiſſimis nationibus cincti, non per obſequium, ſed prelijs & periclitando tuti ſint. vbi Villichius ex Ptolomęo ſcribit Germaniam, nationes obtinere, quæ circa Rhenum fluuium ſunt, Sueuos Langobardos, deinde Tingeros, quos facilè quis conferret cum Brabantis, qui ſunt vicini Geldrenſibus, eoſdemque eſſe certis rationibus comprobaret. ſicut Marlianus Longhobardos opinione multorum fuiſſe ſcribit eos, qui nunc Veſtephali dicuntur. Sunt etiam apud eundem Ptolomæum Laccobardi, quos abſque controuerſia Tacitus intelligit, cum ſint valentiſſimis nationibus, vt Chaucis, Cheruſcis, & Cattis vndique cincti. Poſtea ijdem Langobardi tuti ſunt, inquit, non quòd ſubditi eſſent, ſed quòd in cunctis periculis vicinorum tanquam ſocij, auxilia ferrent. Quare Langobardi, quos vocat Ptolomæus, ſunt Rheni accolę & Laccobardi ſunt ipſius Albis, vbi hodiè tam Magdeburgenſis, quàm Halberſtadienſis Epiſcopatus eſt. Sunt & apud eundem Ptolomæum λογγιβάρδοι, ſicut in exemplaribus Græcis conſtanter legimus. ſed illud conſtat, mediam interio-

rem-

remque terram incolere Sueuos Angelos, qui magis in oriente sunt, quàm Longibardi, dum isti versùs Septemtriones ad medium vsque fluuij Albis extenduntur. & in loco isto reuera Longibardi sunt, quos antea Ptolomęus accolas Rheni fecerat. atque sic reperies cuncta sibi probè respondere: licet vocabulum quandoque videatur esse permutatum, cum sit planè Germanicum; nimirum à promissa barba, inquit Villichius, quam fouebant, ijdem Langobardi Germanorum dialecto sic appellati. Qui quidem Langobardi, fuere Saxones circiter vicies mille, & Alboino duce intrauerunt Italiam, Pannoniamque concesserunt Hunnis, Attilæ reliquijs, à quibus nomen Pannonię in Hungariam mutatum est, & Vincentiam, Veronam, Mediolanum, breuiter omnes Insubres per deditionem acceperunt; qui populi & ipsi pòst à victoribus suis Langobardi vocati sunt, & idem nomen retinent, vulgò dicti hodiè Lombardi. Hęc Villichius, existimans Langobardos à longis barbis vocari Germanicè, quòd langus sit idem, qui longus dicitur Latinè. Sed altera pars nominis, non est barbus, in vllo vnquã auctore probabili lectus scriptusque secunda littera, sicut in Friderici Imperatoris Secũdi Ahenobarbi, & Domitij Aënobarbi, Romani: præterquam quòd ipse Villichius animaduertit in Ptolomæo certius appellari eosdem Longibardos; & fateatur etiam nunc eosdem Lombardos nominari, vltima syllaba per tertiam litteram, tamquam à Bardi nomine expressa. sanè quidem Innocentius Tertius Pontifex Romanus c. 16. de testamentis, eorum ius vocat Longobardorum. Et Alexander ab Alexandris lib. 1. Genialium dierum c. 26. Priscis Longobardis, inquit, maximum amoris vinculum fuit, apud aliquem ponere barbam. Is enim astrictus erat intimo fœdere, apud quem suam lanuginem quis eorum deposuisset. Quibus ex verbis apparet Longobardos antiquos, sicut Britannos fuisse rasos, vt antè dixi Nota 2. neque barbas nutriuisse. Paulus autem Diaconus de Longobardis loquens,

eorum veſtimenta, inquit, erant laxa, & maximè linea, qualia ſolent habere Angli-ſaxones, ornata quidem inſtitis latioribus, vario colore contextis. Præterea mos ipſorum ſcribendi frequentiſſimus eſt iuxta conſuetudinem ſuperiorum Germanorum, vt ait Villichius qui ex duplici vv. primum vertunt in G, veluti è VVilelmo, Guilelmus deriuetur. Quod ſcripturæ genus familiare Britannis fuiſſe teſtatur Alanus Aureus Iuriſconſultus in epiſtola Iuoni Cauellato præceptori ſuo dicta, & Gaufrido Arthurio per Iudocum Badium typographum pręfixa, cum ait: *Diſcrepantia ſubinde vocabula ſunt in orthographia. Nam ea, quæ Saxones, & illorum ſequaces per duplex uu ſcribunt, ferè Britones ſolent per Gu ſcribere. vnde nunc VVintoniam, nunc Guintoniam; quandoque Noruuegiam, quandoque Norguegiam ſcribi videbis.*

25. REX interim. Ætate Armatritis Babyloniæ Regis, apud Celtas, inquit Beroſus, Longho regnauit: eiuſdemque Armatritis anno trigeſimo quarto apud Celtas regnabat Bardus Iunior. & anno Belochi 35. regnare cœpit apud Celtas Rex Lucus. Cui Perionius conſequenter ſcribit Longonem, mortuo Bardo patre, regnauiſſe, Longone autem mortuo Bardum alterum ſucceſſiſſe in illius locum. tum Lucum ſiue Lucium. niſi ſit error in Latinis exemplaribus Beroſi, quod mihi videtur, inquit Perionius, propterea quòd libro 2. Samothis poſteros enumerans, à Bardo hoc Celtem procreatum aſſeuerat: ego autem ſupra dixi Nota 18. cauſas iuſtæ ſuſpicionis contra illam poſteritatis arborem, quæ dicitur de Samothe; cenſeoque textum, qui fertur Beroſi, quo Lucus nominatur, eſſe certiorem; licet ille pater Celtis non fuerit: ſed eum in adminiſtrando regno Celtes ſiue Celta ſecutus eſſet, ex quo Celtæ ij, qui tertiam Gallię partem incolunt, dicti ſunt; quo quidem nomine, veteres Græci, vt Plato & Ariſtoteles, vniuerſos Gallos intelligunt. Talipes autem, quum Longho regnaſſet viginti octo annos, inquit, filius eius Bardus Iunior ſuccedens imperauit annos triginta ſep-

ta ſeptem. Qui Bardus habuit etiam filium dictum Lucum, & is cœpit imperare anno ab orbe condito ſupra bis mille ducentos octauo, nec amplius quàm vndecim regnauit, magnęque ſpei filium ſuperſtitem ſibi ſucceſſorem reliquit Celtem. Profecto Annius hunc eſſe Lucum arbitratur, à quo Lucij populi, vt Ptolomęus deſcribit, propè Pariſium habitantes nomen acceperunt. & inde conſtat eundem vocari Lucum & non Lucium, ſicut Romani ſuum regem, Tullum; ſed Marcum Ciceronem, Tullium appellauerunt. nam Lucius Britannorum rex poſtea fuit, ſic more Romano dictus Lucius, quòd in vrbe Roma fuiſſet educatus adoleſcens, & ab Eleutherio Pontifice Romano cum populis ſibi ſubiectis receptus in numerum Chriſtianorum. Hunc Lucum in Britanniam veniſſe, vrbémque antiquiſſimam Ptolomæo dictam Lucopibiam ſtruxiſſe, ipſumque appellatum cognomento Bretanum fuiſſe, probabile eſt, ex cuius filia Celtice, Parthenius Nicęus author imprimis antiquus, Herculem ſuſcepiſſe refert, Celtum Celtarum patrem, & à quo Bretano Britanniã vocari putat Heſychius. quam notionẽ nominis neque Cambdenus improbat quòd hanc Inſulam Gręci βρεταvίαν appellent. ſed omnino Iulius Rabillius Roſſus approbat, ſupra relatus Nota 7. nec enim aliquem inuenio Regem nomine Britannum, niſi fortè cognomento Bretanum, hunc qui Celticen habuit filiam. Licet idem Cambdenus in Brigantibus vocet Lucum fictitium Regem, nec aliud Lucum priſcis Celtis, quam turrim ſignificare dicat, ſed inconſtans eundem Lugum & Lutum, & quid non? appellat. Ego autem memor eius, quod Franciſcus Belleforeſtus conqueritur, ſe nunquam inuenire potuiſſe nomen Britanniæ, quid ſignificaret, aut vnde naſceretur; item eius, quod Iſidorus ait, Britanniam à vocabulo ſuæ gentis eſſe cognominatam; quódque vocabula prima gentis eſſent Hebræa, ſicut ante demonſtraui Nota 13. poſt diligentem ſuper ea re

habitam inquisitionem cum viro doctissimo Ioanne Pallante Germano & Hebraïcarum litterarum Regio professore, credidi nomen insulæ Perad-cain impositum à primis Cumeris, significare quandam diuisionem possessionis. quod Humfredus non animaduertés, Pridcain Britannicè, quasi formam candidam vocat, & Eliota vir Equestris ordinis in sua Bibliotheca Latino-Britannica, & Ricardus Paceus appellant, vt nota dixi 9. Prytaniam, quòd Athenienses suos reditus publicos πρυτανεῖα Græcè nominarent. sed Ioannes Bodinus Brettaniā à Bretta, Hispanorum dictione, quę terram significaret. Brettam verò opidum Germanię, vbi fui, & vidi domum in qua natus est Philippus Melanchthon, non ab Hispanico sermone, sed à Britannis, qui cum Helena Constantium secuti sunt, dictam esse scribit Adolphus Mekerchus in commentario de veteri pronunciatione linguæ Græcæ. ipseque Philippus Melanchthon in epigrāmate quod scripsit Ioanni Stofflero, eiusque libris Astrologicis præfixit, se Prettanum littera decimaquinta, & non Brettanum secunda littera pronunciauit. Ergo cum ab ipsis Græcis insula dicatur quoque Πρέτανις, vti Cambdenus fatetur, valdę probandum est initio quidem habuisse nomen Perettanię, tanquam à diuisa possessione. Nam & ita Pomponius Mela sub finem operis appellat Dolbritaniam, quæ procul à mari Gallano separetur: & Virgilius Britannos toto orbe diuisos; non solùm quòd insula mari separetur vndique à terra, vt superius dicebam, sed quoniam ipse populus ab alijs in terra continente manentibus, possessione nouorum locorum diuideretur, vt de Cumeris Nota 17. vel de paruis insulis circum iacentibus, & possessione diuersis, vt Nota 14. demonstraui.

26. CELTAE nomē acceperunt. Berosus vndecimi Babyloniorum Regis Balei tempotibus, inquit, apud Celtas regnat Celtes, à quo nomen habuerunt montes illorum maximi, qui diuidunt eos à Celtiberis. quem

Perio-

Perionius adeo magnopere probat, vt de interposita persona Luci suspicetur errorem esse librorum Latinorum, quem supra confutaui Nota 18. nam & Talipes contra, refert Celtem Luci filium, Annius Lucum fuisse Regem, nec à luce vocabulo Latino dictum, sed ab Etrusco, sermoni Scythico valdè cognato, quo Luceres, & Lucumones, dicuntur principes. Nam ita Seruius ad Virgilium lib. 2. Æneidos, propter duodecim populos Tusciæ, inquit, duodecim Lucomones (qui lingua Etrusca, reges sunt) Tusci habebant. Equidem libenter Appianum Alexandrinum veterem historicum audio hac de re loquentem in libro, quem Illyricum inscripsit. Græci existimant Illyrios eos, inquit, qui supra Macedoniam, & Thraciam à Chaonibus & Thesprotis ad fluuium Istrum sedes habent. Eam regionem Romani subijcientes mensuræ, longitudinem sex millium stadiorum, latitudinem mille & ducentorum contineri putant, & prouincię cognomen asserunt ab Illyrio Polyphemo habuisse ortum. quippe Cyclopi Polyphemo, ac Galatheæ Celtum, & Illyrium, & Gallum filios extitisse, progressosque eos ex Sicilia imperasse Celtis, & Illyrijs, & Galatis ab ipsis cognomentum adsumentibus. & hæc mihi, dicit Appianus, inter pleraque à multis memorata, placuêre. Qua ex narratione perspicuum est, Celtas, & Galatas diuersos esse populos; à Celto & Gallo filijs Galatheę matris appellatos. nec esse verum, quod ait Villichius, Celtam apud Græcos significare tam Germanum, quàm Gallum. quòd lingua Celtarum sit Germanica, & in paucis admodum dialectis habeat discrimen. nam Gelter idem esse, quod multum valere, ac inde Geltam apud Germanos vocari pecuniam, quę & ipsa plurimum vbique valeat. denique Græcos rectius Galatas scripsisse per gamma, quàm Romanos Celtas scripsisse per cappa litteram. postremò reprehendi posse merito Perionium crediderim, quia negat à Græcis Galatas vocari eos, qui Galli sunt continentis, tametsi verbum illud vsurpetur sepenumero pro

his Gallis, cum ab alijs veteribus, tum ab Aristotele, & à Strabone: sed eos propriè, dicit esse Galatas, quos Gallogræcos Liuius, Iustinus, ceteríque Latini nominant. nam isti sunt in Asia, sed Galatas in Europa Iosephus pro Gallis nostris vsurpat, vt supra dixi Nota 17. verum enim vero temporis ratio non patitur, vt iste Celtes, quem Berosus ait Bardi Iunioris filium esse, & apud Celtas regnasse, ab eoque montes illorum maximos qui diuidunt Celtas & Celtiberos, nomen habuisse de conflagratione syluarum; credatur fuisse natus ex Polyphemo Cyclope, quem Vlysses multa post secula viuens obcæcauerit. nisi quis Bardum cognomento Græco πολύφημον, hoc est, multæ famæ virum appellauerit. Nam, vt Seruius ad Virgilium libro tertio Æneidos notat, quòd multi dicunt Polyphemum habuisse vnum oculum, aut duos, aut tres, id totum fabulosum est. Etenim fuit ille vir prudentissimus, & ob hoc dicebatur habuisse oculum in capite, id est, iuxta cerebrum, eo quòd ex prudentia rerum plus videbat. verumtamen Vlysses eundem superauit prudentia, & ob illud fingitur eum obcæcasse. Nam Galathea istius Bardi vxor erat, de qua natus est Celtes. & Appianus adijcit Apollinem Celtarum tellurem concussisse, vrbesque destruxisse, nec impositum prius tantę cladi finem esse, quàm & ipsi pari modo è laribus egressi sunt, & in Illyrios, qui cum eis vnà deliquissent, pervenêre. quos peste iam confectos, & ob id debiles, cum facilè vicissent, ex contrectatione rerum eorum correpti morbo Celtæ, in fugam abierunt, & ad Pyrenen vsque mutanêre loca. Cuius loci situm Dionysius Afer describit his versibus:

Pyrrhenes sequitur mons, post hunc Celtica tellus
Eridani fontis contingens rauca fluenta,
Hîc electra legunt alnis stillantia Celtæ
Succina, quæ memorant mellis vinique colore,

Que

Quæ paleas rapiunt tractu, frondesque caducas.

Et de flagratione mõtium, qui Pyrenei dicuntur, Diodorus Siculus lib. 6. c. 9. scribit eos, longitudine & magnitudine alios excellere. nam à mari quod iacet ad meridiem, vsque ad Oceanum sub Arcto situm, Galatiam siue Galliam ab Iberia diuidere. per Celtiberiam quoque protendi tribus millibus stadiorum, in quibus cum syluæ sint frequentes, aiunt priscis temporibus igne à pastoribus iniecto regiones montanas omnes fuisse combustas, & inde nominatos esse montes Pyreneos. quæ notatio nominis haud multum dissentit ab eo, quod Appianus dixit, Apollinem combussisse tellurem Celtarum. Attamen iste Celtes Natali Talipedi videtur esse multo antiquior illo Celto Appiani, quum antequam Troia cœperit esse, regnauerit iste in Britannia, & Gallia. nec est absurdum diuersos homines eiusdem nominis vixisse diuersis in orbe terrarum aut locis, aut temporibus, sicut antè de Sarrone Nota 20. dicebam. nam à montibus Pyreneis, vt etiam ab Apenninis; & à Rheno, atque Oceano, Britannorum Imperium terminari scribit Humfredus: illorumque Regem iure prisco ab insulis Orcadibus ad montes vsque Pyreneos, Imperatorem salutari, fatetur Gerardus Leghus in suo libro de armis, & insignibus, Anglicè conscripto.

27. GALATHEM à quo Galli. Berosus ait Herculem Osiridis filium, qui Libyus dictus est, cum in Italiam per Celtas transiret, permissu parentum ex Galathea genuisse illis Galathem regem, qui tempore Altadis duodecimi Regis Babyloniorum apud Celtas regnauit, & à quo Samothei, sunt dicti Galli. Et Annius, Sæpè variatum est, inquit, nomen Celtarum. Nam in principio à Samothe regè dicebantur Samothei; deinde à Celto, Celtæ; pòst à Galate, Galatij; tum à Beligio, Belgæ; rursus à Romanis, Galli; postremò Francigenæ. Itaque filius Herculis Galates, nomen dedit Gallis. Etenim Ammianus Marcellinus lib. 15. scribit, Aborigines primos habitasse terram Galliam,

 qui

qui poſt appellati ſunt Celtæ de nomine Regis, quem vnicè diligebant; & Galatæ quoque, de nomine matris eiuſdem Regis. quippe Galatas vocari, Græcè, qui Latinè Galli dicuntur. & Diodorus Celticis olim, inquit, vir egregius imperauit; ex quo filia corporis magnitudine, decoréque ſupra naturæ modum ceteras excellens oriebatur. Hæc elata nimis & viribus, & ſpecie ſua, contempſit omnes, qui eam petebant in vxorem. Cum veniſſet interim Hercules in Celticam, ibidemque vrbem Alexiam condidiſſet, hæc admirata virtutem eius, præſtantiamque corporis, permiſſu parentum appetiuit illius concubitum; eique iuncta filium genuit Galatem, qui ſuos coæuos tum virtute animi, tum viribus corporis excedebat. poſtea vir factus, cum ſuſcepiſſet regnum paternum, pluréſque oras ſibi propinquas, rebus præclaris bello geſtis, ſubdidiſſet; cumque nominis eius gloria plurimùm efferretur, omnes ſubditos ſibi à ſuo nomine Galatas appellauit. ex quo tempore omnis ea regio, Galatia dicta eſt. Natio, vt plurimùm ad Arctum ſita, & regio frigida, quæ tempore hyemis oppletur niuibus pro aqua. & tanta quidem frigiditas aeris eſt, vt neque vinum ea regio, neque oleum producat. qua re coacti homines ſibi comparant ex hordeo potum, quem zythum appellãt. vltra Maſſiliam hi, qui mediterraneas regiones, quique iuxta Alpes, & montes Pyrenæos incolunt, Celtę appellantur. vltra hos, qui ad Notum habitant oras verſus Oceanum, & Hercinium montem, quique deinceps ad Scythiam vſque pertingunt, hi dicuntur Galatę. quas tamen omnes gentes Romani nomine communi Galatas appellãt. ex quibus verbis Diodori, locorumque diuerſitate, quam allegat, intelligimus Celtas à Celte patre dictos, non omnino eoſdem eſſe populos, vt ſupra quoque dixi, qui Galatę vocati ſunt ab eiuſdem filio Galathe, niſi quòd proximè Samothei appellarentur ij, qui ab hoc principe Galli ſunt dicti; & Nota 11. dixi ſupra, Celtarum nomen vniuerſæ genti eſſe commune. Nam vtrumque intelligi rectè poteſt

ſic,

ſic, vt omnes vocarentur Samothei vſque ad Celtum, quem Talipes lib.2. c.7. vocat vltimum regem ex ſanguine Samothis antiqui.deinceps ab hoc Celte nominarentur populi Celtæ tam Galatæ, quàm Scythæ, de quibus loquitur etiam Diodorus. Nam illud quidem perſpicuum eſt, non modo Gallos, verum Scythas Europæ populos hoc nomine cenſeri. quos viſit Adrianus Imperator, dum in Britanniam armatus millia paſſuum aliquot pedibus ambulans, contendebat. quod factum optimi Principis, ignauus poeta Florus irridens,

Ego, inquit, *nolo Cæſar eſſe,*
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

vt in vita Claudij Trebellius Pollio, & Spartianus in Adriani vita demonſtrauerunt. Quam ob rem in Catalogo Regum Britannorum de Libyo Hercule patre huius Galathis, fit mentio, diciturque Celtes ipſe, Iupiter Celticus, quòd eſſet ſocer Herculis, & propter nuptias filiæ, iam vice patris eius exiſtimaretur. Atenim Herculis tanti Herois pater, vt antè Nota 23. dicebã, aut eſſe, aut dici nemo, niſi Iupiter poſſet. A cuius filio Galate accipies, inquit Perionius, vnde omnes Galli dicti ſint. vnde pars illa quam Belgæ incolunt, à Beligio nempe dicta ſit. vnde pars illa, quã in Galliæ diuiſione tum nonnulli alij, tum Cæſar Auguſtus Lugdunenſem, nimirum à Lugdo nominetur. Vnde etiam ij, qui Allobroges, à Rege vocantur Allobroge. deinceps Herculem Oſiridis filium, qui Libyus dictus ſit, cùm Celtiberia ſiue Hiſpania relicta, & Hiſpalo ei genti rege conſtituto, ad Italiæ tyrannos ſe conuerteret, atque per Celtas Italiam petens, iter faceret, intelliges ex Galathea parentum permiſſu Galatem ſuſcepiſſe, qui mortuo Celte, genti præfuerit regia poteſtate, de quo etiam Galli omnes, quos ad illud tempus Samotheos appellauerant, ſint nominati. Hoc ſi verum eſt, inquit Petrus, falſa eſt eorum ſententia, qui

Gallos à lacte, quod γάλα Græcè dicitur, id est, à candore, quo sint præditi, appellatos esse volunt. Cui patruus Ioachimus, ego non video, inquit, cur Galli à candore potius dicantur, quàm vel Britanni, vel Scoti, vel alij populi, qui propius ad Septemtriones, quam nos Galli, accedunt: præsertim cum ij Galli, qui ad Meridiem spectant, vt Lemouices, Aruerni, Tolosates, Narbonenses, alijque permulti, non magis Galli à candore, quàm Hispani dicendi esse videantur. Berosus Comerum, siue Gomerum, quem Italiæ principem esse vult, Gallum esse nominatum scribit; & Cato in principio Originum, Gallos, qui à Scythis auctis missi sunt, Vmbrorum progenitores vocatos. ex quibus intelligi par est, Gallos à quodam, qui Gallus, aut Galates dictus sit, appellatos esse, præsertim cum gentem penè nullam nominare possimus, quæ non à principe, duce, vel rege suo nomen habuerit. Iudæi enim à Iuda dicti sunt, Hebræi ab Hebro, Ionia, à Iauane; Hispania ab Hispalo; Italia, ab Italo; à Sueuo, Sueui; à Vandalo, Vandali; à Daco, Daci, siue Dacæ; à Marso, Marsi; à Scytha, Scythę; à Mado, Medi, & si qui sunt alij populi, quorum progenitores Iosephus, ac Berosus proferunt, ex eorum ferè, vel successorum nominibus appellati sunt. Quæ sententia Perionij consentit cum ijs, quæ Nota 20. demonstraui superius, locorum, populorumque nomina potius à personis, quàm ex rebus indita fuisse. Sed quod ait, mortuo Celte Galathem regia potestate genti præfuisse, hoc non consentit cum Talipede, qui c. 8. scribit, post mortem huius Iouis Celtici, magnum Herculem Lybium cum formosa Galathea sua coniuge rem administrasse pro Rege decimo, idque circiter annum ab orbe condito supra bis mille ducentos trigesimum secundum. Sed & Amandus Zirixęus prætermittit omnem istorum Principum duorum in regendo commemorationem, & proximè post Celtem ponit in Altadis Babylonij Regis tempore Galathem, à quo Galli, filium Her-

Herculis Lybij ex Galathea. quod eſt magis conſentaneum Diodoro, qui dicit Herculem illis genuiſſe Regem Galatem, & non fuiſſe ſemet ipſum Regem eorum. Certè publicus ordo Principum Britannorum, quem iam dixi facere mentionem Herculis non fruſtrà; & Dauid Chamber natus in Britannia, numerans Galatheum eiuſdem Herculis & Galatheæ filium ex parte matris vndecimum Regem; & Villichius Herculem quoque ſcribens apud Celtas cognomento dici Ογμιον, tenere clauam dextra, & portentum arcum ſiniſtra, multoſque homines catenulis ad linguam vinctos ducere: & ita ſimulachrum terræ cum claua effingi, quam terram vti matrem in commune à Germanis coli, & appellari Hertum, Cornelius Tacitus dixerat; hi me commouerunt opinionem plurimorum ſequi, vulgoque receptos iſtos quaſi Principes amplecti, præſertim cum animaduerto Promontorium Herculis, etiam nunc in chartis vulgaribus Geographicis vocari Hertlondam tanquam Anglicè Herti regionem: erthus autem terra dicitur.

28. HERCVLIS Promontorium. Etenim primum à Corinuallia littus quod longè ſe porrigit in fretum Sabrinum, dicitur à Ptolomæo, Herculis Promontorium, nominiſque ad hodiernum vſque diem conſeruat tantillum, vt Hertipunctum appelletur, & opida parua duo habeat Herton, & Hertlondam Sancti Nectani reliquijs olim claram. Huc in Britanniam adueniſſe Herculem, Giganteſque debellaſſe ferunt. quam Cambdenus in Danmonijs fabulam vocat. Nam ſi verum eſt, inquit, quod Mythiologi aſſerunt, Herculem fuiſſe nullum, ſed eius nomine denotari vim humanæ ſapientiæ, qua ſuperbiam, libidinem, inuidiam, & id genus monſtra in vita communi ſuperantur: vel ſi per Herculem intelligimus Solem, & per illos duodecim eius labores, demonſtramus duodecim ſigna Zodiaci, per quę ſol annuo curſu tranſit; profectò nec in Britanniam veniſſe, nec vſquam fuiſſe viſum

aliquem Herculem constat. nam, vt ait Seruius ad Virgilium lib.6. Æneidos, Hercules à prudentioribus mente magis, quàm corpore fortis esse dicitur. Itaque cum fecerit plura, tamen ei duodecim tantummodo labores tribuuntur propter duodecim signa in scientia cœli per eum agnita. Ego tamen, inquit Cambdenus, Herculem fuisse certum hominem credo, quinimo cum Varrone concederem potius fuisse 43. Hercules, quàm in animum possum inducere, aliquem Herculem penetrasse ad Britanniam, cum Diodorus Siculus disertis verbis dicat, nec Herculem, nec Liberum patrem vnquam adijsse Britanniam. Quare mihi persuasissimum, inquit, est Herculis nomen inditum esse huic loco, vel à vanitate Græcorum, vel à religione Britannorum, qui, sicut gens bellicosissima, viros fortes maxima cum admiratione susceperunt, & monstrorum domitores habuerunt in honore summo. Inde quidquid vbique magnificium ad honorem, claritatemque Herculis pertinere audierunt; hoc eius famæ præstiterunt. & quoniam ille multum peregrinatus est, ipsi quoque qui peregrinabantur soliti sunt facere sacra Herculi, eidemque loca consecrare, ad quæ appulerunt. sic apud Campanos, Herculis petra; sic apud Ligures, Herculis portus; sic apud Germanos, Herculis lucus; sic apud Mauritanos, Galatas, & Britannos Herculis promontoria constituuntur. Verum enim verò postquam Franciscus Philelphus in epistolis, & Lilius Gyraldus in Hercule suo affirmant, Herculem in Britanniam accessisse, licet illi quidem scriptores sint recentiores, & ideo Cambdenus eos postponat Diodoro, tamen quia consentiunt cum Ptolomæo Geographo antiquo, Promontorium Herculis istud appellante; & Pomponius Mela lib.3 c 3. dicit recentiores, esse fideliores, malim istorum opinioni accedere: præsertim cum ipse Diodorus lib.6. c. 8. non scribat Herculem non adiuisse Britanniam, sed eam totius Europæ insulam esse maximam, quæ priscis temporibus nullius aduenæ imperium

rium experta sit. Neque enim Dionysium, neque Herculem, neque Heroa, vel aliquem ducem accepimus, inquit Diodorus, Britannos tentasse bello: nisi quòd nunc Caius Cæsar primus omnium, eos certum tributum dare coegerit. Quæ sententia Diodori mirificè declarat inuictam veterum Britannorum libertatem, immunitatemque, donec Iulius Cæsar eò venisset. quo sensu postea Cornelius etiam Tacitus, Britanni delectum militum ac tributa, inquit, aliaque ipsis iniuncta Imperij munera impigrè obeunt, si absint iniuriæ. has enim ægrè tolerant. Iam domiti sunt, vt pareant; nondum tamen, vt seruiant.

29. In coloniam. à se dictam Galathenam, cuius meminit Plinius lib. 3. & qua benè replera, ipse Galatheus mari reuersus est ad suum regnum Galliæ, anno ab orbe condito supra bis mille ducentos sexagesimo quinto, quæ Natalis Talipedis ratio temporis, est concors. Nam Altades fertur incepisse regnum anno sexagesimo quarto, cuius anno secundo Galathes inchoabat suum. video tamen inconstantiam numerorum, quos vir idem ponit, anno ab orbe condito plus mille sextingentis nonagesimo septimo venisse Gomerum ad Italiam, & Samothem ex Armenia in Galliam. quod fortasse potuisset effici, si confusio linguarum ex turris ædificatione contigisset anno post diluuium centesimo primo, vt quidam opinantur Sed si vera est Hebræorum historia, inquit Genebrardus in sua Chronographia, oportet illam esse factam post annum à diluuio trecentesimum. id quod est propius veritati rerum gestarum. Etenim prius oportuit aliquo iusto tempore stirpes multiplicari, quàm in tam varias orbis terrarum partes dispergi. Quamquam ego talium supputationum nimis obscuram diligentiam, & de litterarum origine toties repetita, quasi quandam ostentationem omisero; vt ad Narbonem Galathis, huius filium perueniam, qui post reditum patris è Sicilia (quo Thuscus eum miserat, sicut Annius scribit) in Britannia creditur vltra Sabrinam,

quæ

quæ nunc dicitur, instituisse populos ex patris nomine dictos Gallos. nam ita diligenter Gaufridus cis, & vltra Sabrinam Galias commemorat. & lib. 7. c. 3. stagni admirabilis mentionem facit, in partibus Galliarum, inquiens, prope Sabrinam, esse Liligunam quam rustici vocant, quę recipitur in mare fluctuans more voraginis.

30. QVOD Lugdon. Berosus apud Celtas, inquit, Lugdus regnat, à quo prouincia & homines cognomenta sumpserunt: & Annius, Prouinciam interpretatur Lugdunensem, homines autem Lugdouicos; quod esset nomen antiquitatis magnæ. licet ego neminem ferè legerim appellatione Ludouicum nisi apud Cassiodorum; & quandoque, nisi fallor, Gaufridum. nihilominus tamen in adnotationibus Gulielmi Fornerij, quas scripsit ad Cassiodorum sub finem, inueni quendam eruditissimum virum, & amicum eius amplecti vetustatem huius nominis, vt Lugdus Triputius appelletur. multo magis ergo poterimus existimare initia prima fundamentorum vrbis Londini fuisse per hunc iacta, opidúmque Lugdon appellatum; quod vitiosè posteritas Ludston nominauit. nam ita Stoueus in summa Chronicon, Londinum à Rege Luddo nomen accepit, & Ludston appellabatur. quod Cambdenus in Trinobantibus reprehendens, scriptores fabulosi inquit, Londinum vocant vrbem Luddi, à Luddo nescio quo, quē & instaurasse, & id nominasse volunt. Ego verò, cum Cæsar & Strabo dicunt Britannos antiquos syluas, & nemora, quæ deiectis arboribus obstruxerant, vrbes siue oppida vocauisse, ipsósque audierim nemora Britannicè lhun appellare, in eam pænè concessi opinionem, vt Londinum, quasi nemorosam vrbem dici existimauerim. Sed quia nusquam sylua prope Londinum est, verùm aqua Tamisis fluuij maxima: vertit opinionem, & à nauibus scilicet, quas Britanni sua lingua Lhon vocant, Londinum putat, vrbem nauium dici. quippe dinas, Britāni vrbem appellant, inde

Lati-

Latini, dinum formarunt; & alicubi Longidinium nominatur. Quis autem primus fuerit eius conditor, hoc vetustas (inquit Cambdenus) obduxit: & perpaucæ sanè sunt vrbes, quæ suos authores nouerunt, cum è paruo sensim excreuerint in magnum. Quicumque verò condiderit, vitali genio constructam fuisse vel ipsius fortuna demonstrat; & antiquitate claram esse Marcellinus iam ante annos mille ducentos, vetustum oppidum vocans; & Cornelius Tacitus Neronis tempore, copia negotiatorum, commeatuque maxim è celebre dicens, illustrem diuitijs vrbem esse probauit. Hæc ille, natus vrbe Londino, de sua patria satis inconstanter. Nam quòd Britanni non habuerint antiquitus oppida, sed syluas & nemora incoluerint, ipse Cæsar, quem producit authorem, apertè negat, creberrimaque ædificia illorũ esse, fatetur supra Nota 2. ferè Gallicis ædificijs consimilia. nec immeritò, cum Rex idem vtrisque populis imperans Magus, ædes cõsimiliter vtrobique struxerit, vt Nota 19. explicatur. Atque si tempore Neronis Londinum erat oppidum celebre mercaturis, procul dubio floruit etiam sub Iulio Cæsare, qui non tam diu ante Neronem vixerit; nec oppida, vel vrbes in commentarijs, sed populos qui eas incolunt, nominare consueuerit. Certè si Marcellinus est dicendus antiquus scriptor, quòd annis 1200. vixerit ante nos, vt ait Cambdenus, iure vocat oppidum vetus, Lundinũ, cuius fundator Lugdus vixit 1225. annis duntaxat ante Brennum vrbis Veronæ in Italia conditorem, quæ non dicitur tamen oppidum vetustum. Ammianus ergo Marcellinus lib. 20. scribens de Lupicino magistro armorum, bellicoso sanè, & castrensis rei perito viro, ad rationes componendas in Britanniam misso, *Adulta hyeme*, inquit, *dux Bononiam venit; quæsitisque nauigijs, impositoque omni milite, atque ventorũ secundo flatu obseruato, ad Rutupias sitas ex aduerso defertur, petitque Lundinum.* Et iterum lib. 27. de Constante Principe loquens, *cum venisset ad Bononiæ littus*, inquit, *quod à spatio controuersò terra-*

rum diſtinguitur anguſtijs reciproci maris adſueti horrendis æſtibus attolli, rurſuſque ſine vlla nauigantium noxa, in ſpeciem camporum complanari; exinde tranſmeato lentius freto, defertur Rutupias, ſtationem ex aduerſo tranquillam, vt ſupra dicitur Nota 10. tendenſque ad Lundonium vetus oppidum, quod Auguſtam poſteritas appellauit, diuiſis plurifariam globis, adortus eſt vagantes Britannos. Hoc nomen vetuſtatis amplectitur Gregorius Magnus lib. 12. epiſtola 15. ſcribens Auguſtino Anglorum Epiſcopo, dum inter Lundoniæ & Eboracæ ciuitatis epiſcopos, honoris ponit diſtinctionem. Lundon ergo, littera tinniéte, quam vocat Quintilianus, poſtea nominauerunt homines vetus oppidum Lugdon; ſicut in Pandectis Florentinis l. 31. de acquirendo rerum dominio, Paulus veterem depoſitionem pecuniæ, vocat thenſaurum, quem vulgus appellat, theſaurum. idque ſic ita ſe habere probat Gregorius Nonus c. 12. de fide inſtrumentorum, dum ſcribit Decano de Arcubus Lugdunenſi. nam illud Collegium doctorum de Arcubus Londini in Anglia eſt, vt ad orationem 4. Nota 6. demonſtraui. Et quamquam libri correcti per Gregorium 13. habent London, nihilominus tamen in margine retinuerunt Lugdun, ad exemplum antiquiſſimarum decretalium mearum, Nurembergæ impreſſarum anno ſuper mille quadringentos nonageſimo tertio: illorumque textuum, quos Chriſtophorus Plantinus edidit Antuerpiæ anno plus mille quingentis ſeptuageſimo. Denique Gaufridus Arthurius lib. 1. c. 22. Succedentibus, inquit, temporibus per linguarum commutationem hæc vrbs dicta fuit Londone, poſteaque Londres, applicantibus alienigenis, qui ſibi patriam ſubmittebant. Quorum nominum duorum quia prius Anglicum, & poſterius Normanicum eſt, videtur Gaufridus tanquam interpres hiſtoriæ Britannicæ Latinus, illa poſuiſſe, demonſtraturus Anglos, & Normanos alienigenas, ſuo tempore inſulam occupaſſe. Nam de negotiatoribus, quos lib. 14. Tacitus refert, intelligi non po-

potest, quoniã hi, Londinium applicuerunt mercandi causa. Neque conuocati ad Cæsarem, vt ipse lib. 4. scribit, voluerunt dicere, quanta esset insulæ magnitudo, neque quæ, aut quantæ nationes eam incolerent, neque quem vsum belli haberent, aut quibus institutis vterentur, neque qui essent ad maiorum nauium multitudinem idonei portus. Sed interim consilio eius cognito, pertulerunt illud ad Britannos, & à compluribus eius insulæ ciuitatibus ad Cæsarem legati veniunt, qui polliceantur obsides dare, atque imperio Pop. Rom. obtemperare.

31. SVB imperio Belgarum. Iste fuit error eius, qui scripsit indicem ad commentarios Cæsaris; Britanni sunt, inquit, sub imperio Belgarum. & paulo pòst, Diuitiacus est, inquit, Belgarum Rex. quod vtrumque malè collegit ex lib. 2. Cæsaris de bello Gallico. Nam ipse scribit apud Suessiones fuisse Regem sua etiam memoria Diuitiacum, totius Galliç potẽtissimum: qui cum magnæ partis earum regionum, tum etiam Britanniæ imperium obtinuerit. nunc esse Regem Galbam, inquit, ad hunc propter iustitiam prudentiamque, summam totius belli, omnium voluntate deferri. Et postea, Cæsar obsidibus acceptis, primis, inquit, ciuitatis atque ipsius Galbæ regis duobus filijs, armisque omnibus ex oppido traditis, in deditionem Suessiones accipit, exercitumque in Bellouacos ducit. Pro his Diuitiacus facit verba, Bellouacos omni tempore in fide atque amicitia ciuitatis Heduæ fuisse. Impulsos à suis principibus, qui dicerent Heduos à Cæsare in seruitutem redactos, omnes indignitates, contumeliasque perferre, & ab Heduis defecisse, & Populo Rom. bellum intulisse. Qui eius consilij principes fuissent, quòd intelligerent quantam calamitatem ciuitati intulissent, in Britanniam profugisse. Cçsar honoris Diuitiaci causa, sese eos in fidem recepturum, & conseruaturum dixit. Sed quòd erat ciuitas magna, & inter Belgas authoritate atque hominum multitudine præstabat, sexcentos obsides poposcit. His

traditis, omnibusque armis ex oppido collatis, ab eo loco in fines Ambianorũ peruenit: qui se suaque omnia sine mora dediderunt. Hæc postrema mentio Belgarum non potuit iustè parere talem opinionem. sed quòd Diuitiacus in Britannia constitutos Belgas regeret, quos adolescens cum ceteris illò missus disciplinæ Druidum discendæ causa viserat. Nam ita M. Tullius lib. 1. de diuinatione, In Gallia Druides sunt, è quibus ipse Diuitiacum Heduum, inquit, cognoui. qui & naturæ rationem, quam Physiologiam Græci appellant, notam esse sibi profitebatur, & partim augurijs, partim coniectura, quæ essent futura, dicebat. Hunc non plus tamen, quàm alicuius certæ partis in Britannia imperium obtinuisse Cęsar ipse declarat, cum eum pro Bellouacis intercedentem, & pro excusatione dicentem, principes defectionis in Britanniam profugisse, non iusserit illos ad supplicium reuocare: sed obsidibus acceptis, in fidem domi manentes receperit. Si Diuitiacus fuisset etiam totius Britanniæ, sicut Galliæ potẽtissimus, abstinuisset saltem in orando, fateri Cæsaris hostes illò profugisse: præsertim quòd ipsemet post discessum Belgarum, dimissis Heduorum copijs ad eum reuerterat. Pari modo Cæsar lib. 4. mittit cum Oratoribus Britannis pacem petẽtibus vnà Comium, quem ipse Atrebatibus superatis, Regem ibi constituerat, cuius & virtutem, & consilium probabat, & quem sibi fidelem esse arbitrabatur, cuiusque auctoritas in his regionibus magna habebatur. Huic imperat, quas possit, adeat ciuitates, horteturque Britannos, vt Populi Romani fidem sequantur: seque celeriter eò venturum nuntiet. Nam & ita Cambdenus rem intelligens, Cæsar memorat Diuitiacum Gallum, inquit, cum magnam partem Galliæ, tum etiam Britanniæ imperium obtinuisse. Rursum in Atrebatijs Britanniæ populis, Non temerè, inquit, Cæsar Comij Attrebatensis authoritatem in his regionibus magnam fuisse scribit, vtpote apud populares suos. quem & à Cæsare victum, constat huc fugisse.

Sex-

Sextus enim Iulius Frontinus lib. 2. Stratagematum c. 13. Cum à Iulio victus Comius Atrebas, inquit, ex Gallia in Britanniam fugeret, ac fortè ad Oceanum secundo vento quidem, sed æstu recedente venisset, quamuis naues in siccis littoribus hærerent, nihilominus pandi vela iussit. Quæ cum Cęsar eum persequens vidisset ex longinquo tumentia, & flatu plena, ratus illum prospero cursu ereptum esse sibi, recessit.

32. CELTARVM Rex. Berosus lib. 5. Mamelus Babylonijs imperat annis 30. cuius, inquit, tempore regnat apud Celtas Belgius, à quo illi appellantur Belgici, (qui nunc per syncopen Belgæ) & Iasius creatus est Coritus apud Ianigenas, annoque sequente cœpit Rex esse Celtarum, qui sicut Athenensium primus Rex Cecrops incepit, atque finiuit suum regnum simul annis quinquaginta, cum à fratre Dardano percussus interijt. Causa percussionis erat, lis intestina de Regno. quippe, vt ait Annius, Italię Aborigines sequebantur factionem Dardani contendentis pro regno, dicentisque illud sibi deberi, quoniam esset primogenitus; vtpote natus cum pater Cambo, solus Itus & Iuppiter foret. Partes Iasij adiuuabant Ianigenæ, ac Siculi, cum Rege Siceleo. Nam è contrario dicebat ipse ius primogenituręad se pertinere, quòd ortus esset eodem Ioue patre, sed Corito, ex quo regnum inciperet. Equidem scio Cambonis nomen, esse viri proprium, qui & Coritus à dignitate dicitur in Beroso, & ordine publico Regum Britannorum; qua ratione superior habitus est Dardanus ab Ioue summo, & ipso actu Rege natus, ideoque successor patris iure designatus: quàm frater eius Iasius, qui fuisset ortus patre, non Rege iam actu, sed ad succedendum in regno potentiam habente propinquam. quo Virgilius lib. 3. Æneidos respiciens,

Italiam, inquit, *dixere ducis de nomine gentem.*
Hinc Dardanus ortus,
Iasiúsque pater, genus à quo principe nostrum.
Coritum, terrasque require

Ausonias. vbi Seruius in commentarijs, Dardanus Iasiusque fratres, inquit, fuerunt Electræ filij. sed Dardanus de Ioue, Iasius de Corito: à quo mons & vrbs nomen accepit. postea Dardanus dicitur Iasium occidisse. à quo principe Dardano genus oritur Troianorum. quos poeta lib. 1. vocat, genus inuisum, propter Dardanum, inquit Seruius, Electræ pellicis filium. nam Electra fuit pellex Iouis: ex qua Dardanus natus est. sed idem scribens, Iasium quoque filium Electræ fuisse, libroque 9. varius à semetipso, nempe Iouem cum Coryti Regis vxore concubuisse, vnde natus esset Dardanus, non videtur causam huius contentionis ponere, tanquam inter Iasium legitimum, & Dardanum illegitimum filium. Itaque prima contentionis inter fratres opinio, iuri propior est, vt inde bellum iustum pro regno suscipi, & exprobratio Virgilij de Corito requirendo, probabilis esse videatur ex persona Dardani. qui cum se viribus imparem fratri, propter auxilia Sicelei Regis animaduertisset, nec aperto Marte rem aggredi posse, dolo perfecit. Nam & idem Virgilius ait, vtrum sit dolus, an virtus, quis in hoste requirit? Quocirca Diodorus ab Argyra Siculus lib. 6. c. 11. scribit, ex Ioue atque Electra Dardanum Iasium, & Hermionen ortos. Dardanum virum prudentem nauigio in Asiam transuectum, condidisse vrbem Dardaniam; constitutoque regno, quod posteri Troiam appellarunt, populos sibi subditos iussisse Dardanos vocari. Cadmum deinceps Agenoris, Europam dum quæreret, vxorem duxisse Hermionen, Iasij non Martis (vt Græci fabulantur) sororem. Has nuptias à Dijs primùm celebratas; Cereremque in gratiam Iasij ex frumento, panem ei attulisse; Mercurium lyram; Palladem monile, peplum, ac tibias; Electram verò Magnæ deorum matris ostendisse sacra celebrari cum cymbalis, & psallentium tympanis. Denique Apollinem cithara vsum, & Musas tibijs, ceteros deos auxisse plausu iucunditatem illarum nuptiarum. Quibus rebus actis Cadmus iuxta responsum oraculi The-

bas

bas in Bœotia condiderit. Iasius vxore Cybele sumpta genuerit Corybantum. ideoque Seruius lib. 10. Æneidos Gallos ait Cybelen colere, ac per furorem motu capitis rotare comam, & vlulatu quodam prædicere futura. quasi nomen Cybeles Græcè motionem capitis significaret. Verùm eodem Iasio ad Deos translato, Dardanus, Cybele, atque Corybantus sacra Deorum matris in Phrygiam detulerint. & lib. 5. c. 12. idem Diodorus, Teucro nata est filia, inquit, Batea, quam Dardanus Iouis filius vxorem duxit; regnóque succedens, gentem de suo nomine Dardaniam dixit. Vrbem præterea sui nominis prope littus extruxit. Hæc Diodorus amicior Dardano, cuius interfectionem fratris tacet, quàm Iasio, cuius honorem nuptiarum transfert ad Cadmum. quippe Berosus, in Iasij nuptijs, inquit, adfuit Io Ægyptia, quam priscam, & Cererem Magnam plerique vocant, & interfuisse nuptijs Iasij & Cybeles, non Armoniæ adfirmant. quia Diodorus ipse fatetur eandem in gratiam illius Iasij, ex frumento panes obtulisse, quum antea homines vterentur glande. nec erat causa, propter quam offerret panes magis in fauorem huius, quàm Dardani, alterius fratris sponsæ, nisi quòd illa nupsisset ipsimet Iasio. quem Diodorus post mortem refert in deorum numerum esse translatum, de Cadmo non idem scribit. quod tamen probabiliter futurum erat, si dij, deæque omnes in eius nuptijs celebrandis adfuissent. nec enim eorum maiestas scilicet, aliud fieri pateretur. Huius ergo causam erroris Annius tribuit Orpheo poetæ, qui fauore Thebanorum finxit iuniorem Io Græcam Inachi filiam esse conuersam in vaccam, & adiuisse Ægyptum, eique falso tribuit omnes res gestas, ac ipsum nomen Isidis Ægyptiæ. Denique ad historiæ veritatem cognoscendam idem Annius tabula 3. libri de antiquitate & rebus Ethruriæ narrat, cum Alexander Sextus Pontifex Maximus venisset Viterbum, altè fodiẽdo terram repperisse Corsettum duas marmoreas tabulas, & statuas triumphales vetustissimas, ex quibus apparebat maxi-

mam Isidem ad nuptias Iasij filij Coriti venisse, in domum Cibeles, Iasij sponsæ. Et pòst, à fratre Dardano Iasium malè perijsse in agro Iaunello, ad Thermas ex ea re dictas Iaunellas in Thuscis. Quod exponens ipse quæstione 6. Deinceps, Cadmus, inquit, vxori Priscæ addidit vxorem aliam, nimirum Armoniam, non Iasij, sed Martis sororem; ex quo facto passus contentionem à Prisca, propria coniuge profugit. Quibus rebus cognitis manifesta fit Græcia mendax in historia conditionis Dardaniæ, dum fatetur post nuptias Armoniç, & post mortem Iasij Samothracis fuisse conditam Dardaniam à Dardano Samothrace, fratre Iasij. Nam cum reuersio Cadmi, & mors Iasij acciderit anno plus ducentis septuagesimo post extructam Dardaniam, necessario sequitur alium Dardanum eam vrbem condidisse ante mortem Iasij Samothracis: adeo vt non tantùm Armonia soror Martis Samothracis, quam Diodorus finxit esse sororem huius mariti Cybeles, nempe Iasij Tuscaniensis, verùm etiam ipsa ratio temporis vanitatem rei detexit. qui fortassis error confundendi personarum nomina contigit ex eo, quòd iste Dardanus Thuscus posteaquam suum fratrem Iasium dolo peremisset, in Samothraciam fugiens, vt ait Berosus, ibi diu latuerit, antequam in Phrygiam proficisceretur.

33 VSQVE ad Orcades. Idem Berosus, Anno 8. Ascatadis regnat apud Celtas Allobrox; & Annius, non est dubium, inquit, hunc fuisse illum principem, qui ad Australem prouinciæ Narbonẽsis partem commixtas deduxit colonias Allobroges, vocatas, in quibus Cosmographi statuunt vrbes illustres, Viennam, Gebennam, & Auinionem. Cui Perionius consentiens, Mortuo, inquit, Belgio, Iasius is, qui à Iano genus duxit, regni gubernacula accepit. eundemque proximè secutus est Allobrox, ex quo Allobroges nominati sunt. Atque hi sunt omnes Galliæ Reges, quos Berosus memoriæ prodidit. quæ satis multa nobis esse debent, præsertim si eum Babylonium fuisse meminerimus,

cum-

eumque laborem suum suscepisse patriæ maximè illustrandæ causa, in quo tamen perbreuis fuit, obseruans ea tantum, quæ ab inundatione terrarum vsque ad Troianum regnum conditum, de primorum regnorum orbis Regibus, ac temporibus essent tradita. Cuius industriam Manethon Ægyptius imitabatur, dum eandem historiam quasi supplens, vsque ad Romani Imperij principium rem omnem perduxerit. Sed hoc loco aduertatur, quod ista legẽs Gulielmus Reginaldus Berosum dixerit esse suppositicium; & Boëtius Epo in relatione antiquaria, vocauerit ipsum Pseudoberosum, eoque certiorem auctorem esse Diodorum Siculum scripserit. Camdenus autem, Nequis miretur, inquit, quòd Berosum nō vocem in partem antiquitatis probandæ, vnde tamen hodiè scriptores habent tantum instrumenti; certè (vt semel dicam) authoritas illius Berosi, qui circumfertur, nihil aliud mihi videtur, quàm impostoris alicuius ridiculum commentum. quod ex censura Gasparis Varrerij de Beroso edita Romæ, facilè quiuis existimabit. Equidem studiosissimè quæsiui eam censuram, nec intelligere potui quis haberet. neque tamen credo asperiorem esse, quàm sit Melchioris Cani Episcopi Canariensis; qui lib. 11. de locis Theologicis c. 6. Berosum, inquit, Annianum (sic enim vocat propter Annij Viterbij commentarios in eundem scriptos) non verum esse, sed fictum Raphael Volaterranus lib. Anthropologiæ 14. animaduertit. Cui Ludouicus Viues, pluresque alij doctissimi viri assentiunt. quę mihi res argumentis idoneis posse confici videtur. Deinde productis argumentis varijs, concludit fictum esse Berosum istum Annianum, & non mancum; quòd apud veteres auctores Berosus non Ægyptiorum, non Libycorum, non Celtiberorum, non Italorum, non Germanorum, sed tantummodo Chaldæorum historiam scripserit. Quo loco Melchior Canus nullam de Regibus Celtarum facit mentionem: de quibus solis ego loquor in præsenti. quocirca nisi fortè Varrerius aliquid de illis habeat

nominatim, nihil est cur alicuius reprehensio Berosi me perterrefaciat, quem Antonius Coccius Sabellicus, Sebastianus Munsterus, Franciscus Belleforestus, Ioachimus Perionius, Amandus Zirixçus, Natalis Talipes, Humfredus Lhuidus, Ioannes Caius, non solus Annius summopere laudat; & ceteri numero plures, quàm sunt ij, qui reprehendunt. Itaque Iacobus Middendorpius lib. 1. Academiarum, Et si non mediocrem, inquit, controuersiam esse scio inter scriptores de illo Beroso, qui nunc circumfertur, dum quidam eum non modo recipiunt, sed tuentur etiam atque propugnant; quidam verò grauissimis argumentis refellunt, ego tamen me iam viam puto seligendam, vt Berosus de rebus indifferentibus loquens toleretur. Quia enim fuit olim ille liber in omnium ferè gentium, doctorumque hominum bibliothecis: & superioribus temporibus, quando passim omnes bibliothecç à viris literarum studiosissimis excussæ fuerunt; neque tamen vsque alius, quàm iste repertus est, nec adhuc verior aliquis, quod mihi quidem constare potuit, Berosus productus; videtur hic ferendus esse donec integritati pristinæ restituatur. Quæ Middendorpij æquissima sententia est, præsertim cum ipse Canus negare non ausit eundem, qui circumfertur, Berosum, veri Berosi quçdam verba continere. Ego tamen puto, quòd, sicut Caio Suetonio de duodecim, & Aurelio Victori de reliquis Cçsaribus scribenti, Pius Antonius Bartolinus epitomen, addiderit de ordine Imperatorum; cui post alij, vt Amandus Zirixæus, & Arnoldus Pontacus, Francorum; alij, vt idem Zirixçus, & Dauid Chamber, Britannorum Reges apposuerint: ita contigisse Beroso de Regibus Babyloniorum, & Manethoni de Principibus Ægyptiorum, ordines scribenti, vt quidam alij, tamen auctores perantiqui, ac probabiles, adiecerint ea, quç nũc extant de Regibus Celtarum. quorum Rex Allobrox effecerit primus, vt Imperium trans montes ferretur. Nam & Humfredus, Satis, inquit, mirari nõ possum nulla vestigia inueniri antiquæ lin-

guæ, Britannicæ potentissimę gentis, cuius Imperium Rheno, Pyrenæis, Apennino, & Oceano terminabatur, vt supra dicebam Nota 26. Eandem fuisse tamen antiquissimã, etiam ex Beroso, Annio, Sigeberto Gemblacensi & Postello cõstat, plũmque nomẽ Galliæ à pluuia dictæ, tai quam ab ipso diluuij tempore nimiùm cadente; ac nomen Apenninorũ à capitibus montium sic appellatorum, demonstrat. Gal enim Hebræis, & Glau Britannis, aqua pluuia dicitur; quemadmodum Britannicè Pen, cuiusque rei caput, nominatur. Certè cum Tacitus lib. 17. & 18. scripsisset Cæcinam propiore transitu Apeninis iugis digressum, Lipsius emendans, Peninis iugis, inquit, scribendum vbique est, auctore Liuio. qui negat eas Alpes sic dici, quòd Annibal Poenus ea loca transierit, sed à iugo celsi montis, quod penum incolæ dicunt. quos incolas fuisse Gallos, & vsos sermone Britannorum, qui summitates montium etiam nunc pennas vocant, nec aliunde nomen Apennino Italiæ datum esse, Cambdenus affirmat. Cui fortasse Seruius ad lib. 4. Æneidos videri posset consentire, dum altos montes scribit, lingua Gallorum Alpes vocari: nisi quòd idem vir lib. 12. cum poeta dicit,

Vertice se attollit pater Appenninus ad auras, scribat, Appenninum esse montem Italiæ, de quo Lucanus,

Nullo quoque vertice tellus, inquit,
Altius intuitur, propiorque accedit Olympo. Hunc montem venerationis gratia, inquit Seruius lib. 3. Patrem Virgilius appellat. qui cum lib. 10. Alpes dixisset apertas, Seruius interpretatur eas omnibus gentibus fuisse patefactas, quæ secundum Catonem & Liuium, vice muri tuebantur Italiam: quas Hannibal post Hispaniæ bella, quæ decem & septem annis confecit, aceto rupit. denique loca ipsa, quæ rupit, Apenninę Alpes vocantur. Has alicubi dicit ab Api nomen sumere. quod vix procedit. Idcirco cum harum Alpium incolas Virgilius lib. 11. vocet Appenninicolas, pot-

poterimus vtrũque dicere Britannicum, & verbum ap significare idem, quod ἀπὸ inter Græcos, & ab inter Latinos, & Pen ip:um faſtigiũ, caput, aut verticem montis, quaſi verè dicatur Appenninus, ab eius ſummo, altóque vertice, ſecundum interpretationem Britannorum. quorum Rex ab inſulis Orcadibus vſque ad montes Pyrenços ſalutari ſolet Imperator antiquo iure, atque Regem Adelſtanum expulſis Dacis, & ſubditis factis Scotis eodem titulo clarum fuiſſe ſcribit Gerardus Leghus ſuo libro de inſignibus & armis. quem primum Anglorum Regem diadema portaſſe narrat Gaufridus in ipſo fine Britannicæ hiſtoriæ. de quo principe Fulgoſius Genuenſis hiſtoricus lib. I. c. 5. ſcribens, In Britannia, quam nunc Angliam vocant, Ruſtica, inquit, puella comitibus ſuis dixerat, ſe ſomniaſſe, Lunam ex ventre ſuo egreſſam, quę totam Britanniam illuſtraret. qua quidem re cognita per vxorem Regij paſtoris, quæ fortè ablactaverat filium Regis Britanniarum, ipſe puellam hanc excepit domi ſuę. Cuius amore tandem captus filius Regis, ętate firmior poſtea factus, eiuſdem vterum impleuit, ex quo natus eſt Adelſtanus, & Britannorum inde regnum conſecutus, virtute ac victorijs ita clarus extitit, vt inſtar Lunę Britanniam illuſtraſſe videatur.

34. NOMINARE Valentiam. Manethon, anno Aegypti 35. inquit, apud Celtas regnauit Romus, a quo Romandi. & Annius notans, in Ptolomæo, inquit, Romandiſſos legimus incoluiſſe Galliam Belgicam, & oppida duo in decurſu Rhodani ſub Vienna extrui Romonum, & Romam, quam per interpretationem Græci ſermonis poſtea dixere Valentiam. ſicut vrbem Romuli Romam, nominare Valentiam conabantur: A quibus exortus eſt error illorum, qui Valentiam a Valente ac Valentiniano Cæſaribus conditam eſſe voluerunt. quum tamen ante trecentos annos, vt ait Belleforeſtus, quàm hi viuerent, vrbs illa diceretur Valen-

lentia. Ita Pompeius Festus lib. 16. de antiqua verborum significatione, varias authorum opiniones repetens, multis ante Romulum seculis conditam esse scribit, primumque Valentiam appellari; Romam autem incepisse dici post aduentum Aeneæ ac Evandri, qui Latina voce in Græcam translata, ῥώμην vocauerint. Receptissima verò est vulgaris opinio, eandem conditam fuisse ducibus Romulo & Remo fratribus, Numitorisque Latinorum Regis nepotibus, nomen Romæ accepisse de nomine Romuli, non tamen Romulam fuisse dictam, ne huiusmodi nominis diminutio, maiestati vrbis derogaret. Sic enim Seruius ad lib. 1. Aeneidos, Amulius & Numitor fratres, inquit, fuerunt, sed Amulius Numitorem regno pepulit, eius filium interfecit, filiam verò Iliam Vestæ sacerdotem instituit. Ex Ilia Mars Romum & Remum geminos suscepit, eos Amulius iussit vnà cum ipsorum matre in Tyberim deijci, & sic Ilia facta est vxor Fluminis. quòd intellexit Horatius, cum de Tyberi loquens, Vxorius, inquit, amnis. Hos pueros Faustulus pastor sustulit, & Accæ Laurentiæ nutriendos dedit. Sed cum hæc esset meretrix, illi finguntur à lupa nutriti, quia meretrices vocantur lupę, ipsarumque loca dicuntur lupanaria. Tandem hi cæso Amulio, regnum auo restituerunt, ac Romam condiderunt, nominatam à Romo, qui deinde blandimenti causa, Romulus appellatus est. Nam, vt ait Ennius relatus à Cicerone lib. 1. de diuinatione, hi fratres ambo

Certabant, vrbem Romam, Remámne vocarent;
& erat
Omnis cura viris, vter esset Induperator.

suamque contentionem auspicio, & augurio definiri cupiebant. Prior viderat Remus sex vultures, Romulus autem posterior vidit, sed vultures duodecim. quę res bellum creauit, & Remus extinctus est. Ita Seruius inuidiam æmulationis scribit dedisse causam bello, quo Remus extingueretur. Sed Pomponius l. 1. de diuisio-

uisione rerum, narrat, Remum Romuli fratrem ob id occisum, quòd murum transcedere voluerit; nec adijcit, vtrum ex contemptu hoc fecerit, quod est probabile. quia tempore prior in augurando, non fuisset habitus iure potior, sed solo numero vulturum fortuito vinceretur. Nunc vt reuertar ad Romum Gallicum, Allobrigis filium aiunt ipsum condidisse quoque Romonum. tamen quia multis non placet id, quod Berosus de primis Galliç Regibus scripsit; quamquam omne inquit Belleforestus, quod de his scripsit, recipi meritò debet; ideo suffecerit dicere, vtramque vrbem, vel sui origine, vel coloniarum deductione ad Romanos pertinere. Quia dum Belleforestus ex aliorum præiudicijs, contra animi sui sententiam propriam scribit, ipse fit desertor antiquitatis, & incerta nobis pro certis obtrudit, contra vnanimem historicorum ferè consensum, quos antè secutus est, in recensendis Celtarum Regibus à Samothe ad hunc vsque Romum, quem non Berosus, sed Manethon dicit imperasse Celtis, ab eoque Romandos, & non Romanos appellari. Sunt autem Romandi, vt ait Talipes lib. 2. c. 13. harum à Rege Romo structarum vrbium incolæ primi. quorum sermo propter venerandam ipsius antiquitatem Romandus vocatur, & est purus putus, atque propriè Gallicus. cuius imitatione solent etiam nunc maximè prisca poëmata dici Romanda, vt illa Gaufridi Chauceri Equitis honoratissimi, Romanda Rosæ, veteri Anglorum idiomate tum lectu iucunda, tum pręceptis vitæ ac morum plena. non igitur quoniam Manethon haud explicat, qui sint Romandi, continuò ęquum erat, Perionium quoque mutare Romandos in Romanos, eò, quòd oppidum quoddam sit, Romaniæ nomen adhuc retinens: quæ fortasse Romandia, sicut Normandia vocatur. Quanto denique Belleforesto prudentior fuit Cornelius Tacitus, cum in simili causa historiæ suæ scribendæ, Vt conquirere, inquit, fabulosa, & fictis rebus oblectare legentium animos procul à grauitate cœpti operis esse crediderim;

ita

ita vulgatis traditisque demere fidem non ausim. Hæc me tanti scriptoris modesta synceritas commouit, & superius Nota 27. & nunc historiarum sententiam, non ex proprio ingenio, sed ex fide maiorum, ratione, auctoritateque veterum interpretari, & quod illi vulgò quasi per manus tradiderunt, accipere, atque referre sine fraude, vt inter bonos benè agier, veteres dicere solebant.

35. CVI nomen Parisius. tempore Menophis Aegyptiorum Regis apud Celtas, inquit Manethon, Paris regnat, & Annius, Paridem eum fuisse dicit, qui Parisios populos in Gallia Lugdunensi condiderit, quorum metropolis ad hanc ætatem vsque dicitur Parisius, supremarum omnium disciplinarum gymnasijs, & scholis inclyta. Quem Paridem ducentis plus annis, inquit Belleforestus, antequam ille Troianus Paris, Priami filius, viueret, agnoscunt scriptores Galli suum Regem, déque illius antiqui Samothis omnium prudentissimi origine descendere. quem in Britannia quoque principatum tenuisse argumento est nomen ipsum Parisorum, quos vocat Claudius Ptolomæus, populorum Girvijs proximorum, vt Humfredus & Cambdenus demonstrant. earum ciuitas ab Eboraco iacet ad orientem solem & Petuaria dicitur eidem Ptolomæo, licet Cambdenus more Romano Prætorium vocare malit eam vrbem, ipsa vetustate sua, inquit, & portus olim opportunitate, agrorumque amœnitate gloriosam. habet enim prospectum in Oceanum apertissimum ex vna parte, suisque littoribus æstuarium nobile conclusum altera, sic, vt viridantes Lincolniensium oras è regione contempletur. Quæ cum omnia Parisijs æquè commoda fuerint, miror Iacobum Middendorpium nihil de hoc Paride antiquitus narrare. Nam lib. 2. Academiarum, Publica gymnasia, inquit, & scholas in Galliam Sarron introduxisse putatur; Druidasque à Dite descendisse grauissimi authores probant, & Celtis seu Gallis diuinationem importasse; Musicam verò & Poësin Bardus primus in Galliam

liam intulisse creditur. Veram Christi religionem ipsi Apostoli eò tulerunt, præsertim Philippus & Paulus. Epiphanius autem hæresi 51. Lucam Euangelistam in Gallia docuisse scribit. Porro Cornelius Tacitus, veteres Gallos Augustoduni, quę nobilissima Heduorum vrbs erat, studijs liberalibus operam dedisse scribit. Sed hanc euersam Constantius Imperator, Constantini Magni pater instaurauit; ibidemque Rhetorem Eumenium docere iussit. Denique Gratianus Imperator, qui discipulus Ausonij fuit, in singulis Metropolibus Galliæ exercitari aliqua studia litterarum, egregiosque professores earum præfici constituit. Sed Parisijs Carolus ille Magnus anno post Christum natum plus septingentis nonagesimo primo, ex consilio Alcuini præceptoris sui, & Bedæ discipuli Academiam erexisse creditur admonitione duorum monachorum, qui ex Anglia in Galliam cum alijs mercatoribus profecti sunt, vt in oratione 4. Nota 4. demonstraui. Quibus rebus ita per Middendorpium commemoratis, nihil omnino de Paride: sed Amandus Zirixæus, fortè, inquit, etiam hodiè apud Parisios hi, qui rei Theologicę dant operam, Sorbonici, corrupto vocabulo, quasi Sarronici appellantur. Certè nomen vrbis, à Tertio Cælestino Pontifice, c. 9. de foro competenti, Parisius dicitur.

36. INSVLAM Britanniæ Olbion. Idem Manethon, primo, inquit, anno Zeti regnauit apud Celtas Lemannus; & anno Ransis octauo vigesimo apud Celtas Olbius regnat. Et quum Ilus imperaret Troianis, regnauit apud Celtas Galathes Iunior, qui vicit Sarmatas, & Galatas Asię condidit. Tum Annius, hunc Lemannum arbitratur populos Narbonensis prouinciæ Lemannos condidisse, nomenque suum eis accommodasse, simul cum lacu Lemano, quem Luxanam incolę vocant hodie, quémque Rhodanus effundit ad pontem vrbis Gebennę. sicut in Britannia creditur nominasse fluuium, qui Lemanis olim, nunc Rotler appellatus, influit in Oceanum, vt ait Humfredus,

fredus, propè Apultream. Galathes verò Iunior est, à quo victi sunt Sarmatæ, & Asiatici homines, eius nomen postea ferentes. qui ab eodem etiam Olbio patre suo, inquit Annius, colonias in Gallia, Sardinia, magna Sarmatia, & Asia, & Cilicia dixit, quemadmodum apud Ptolomæum, alioque Geographos descriptum nomē, Olbia, demonstrat. Nam & Mela lib. 2. c. 5. Olbiam Galliæ Narbonensis vrbem, & Liuius lib. 37. historiarum, Olbiensem agrum non multùm à Sardinia distare commemorat. licet ipsius Sardiniæ vrbem Olbiam, vt ait Solinus c.3 extruxerit Iphicles, tanquam opidum Græcum. Sanè quidem Iulius Capitolinus in vita Cæsaris Antonini Pij scripsit, ipsum contra Tauroscythas in Pontum auxiliares copias misisse Olbiopolitis, quos Egnatius adnotat esse accolas Ponti celebres, & non alicuius vrbis tantùm homines, & adfert rationem, quòd Olbiopolis Græcè, beata ciuitas Latinè dicatur. & iste Rex Olbius Zirixeo, Felix appelletur. quali coniectura blandientes sibi quidam opinabantur Britanniam initio dictam Ὄλβιον, tanquam, ἐν ὀλβίῳ ὄλβια, πάντα, vt est apud Theocritum, hoc est, felici loco felicia cuncta producat. Nam eò pertinere credunt nomen eiusdem in Stephani Onomastico, cum ὀλβιόων, quasi verbo ad verbum, beata existens, insula Græcè vocetur. & quòd antiquissimi feciales Angli narrēt, primum Equitem Olibion appellari. Quorum opinio si esset vera, incolæ dicerentur Olbiopolitæ, secundum interpretationem Egnatij, vel Olbiani appellarentur. qui nomine neutro cognoscuntur, sed consueto more Dorico Græcorum, Albion ipsa vocatur, & incolæ Albiones. sic enim Festus Auienus in libello de oris maritimis, dum loquitur de insulis Ostrymidibus,

Latè, inquit, *gens Hibernorum colit.* &,
Propinqua rursus insula Albionum patet.

sic etiam Seruius ad lib. 7. Æneidos, Pæon, inquit, medicus est Deorum, qui Pæan secundum Doricos appellatur. Huius rei obliuio decepit Humfredum, producentem Aristotelis auctoritatem ex libro de mundo, quòd affirmet, duas maximas extra Herculis columnas in Oceano esse insulas, positas supra Celtas, quas insulas Britannicas appellant, nimirũ Albion, & Iernam. quod nomen Albionis, & nostræ, inquit Humfredus, & Romanorum historiæ tanquam antiquissimũ retinent, vt pote datum ab Albione Neptuni filio ibidem regnante circiter annum mundi 2220. Quod enim aliqui eam ab albis rupibus sic appellari credant, vt supra retuli Nota 7. est quidem ridiculum, mirorq́ue viros, inquit, alioqui perspicaces, in luce tanta conniuere, omniumq́ue locorum & hominum nomina etymologijs Latinis obfuscare: cum istud planè constet, Latinos minimam partem Italiæ tunc possedisse, quando Apuli & Calabri adhuc Græca, Tusci verò lingua Ethrusca vtebantur; & reliqua ferè pars Italiæ à Gallis occuparetur. adeo vix vlla cognitio aut nominis, aut sermonis Latini fuit apud populos finitimos. id quod oblitus Robertus Cænalis natione Gallus, & eruditione clarus vir, adducit pleraque Regionum, & Vrbium vtriusque Britanniæ nomina, tanquam etymologijs Latinis concepta forent. Qui tamen Latini dum conantur nomina Regum & locorum aliarum nationum accommodare linguæ suæ, illa corrumpunt. Etenim Hermannum, Arminium: Ernestum, Ariouistum: Dietrichum, Theodoricum: & inuictissimum Britanniæ Regem Meurigum, Aruiragum falsò dixerunt. hæc ille Cambro-Britannus, qui plurima sicut Cambdenus innouare conatur ex veteri sermone Britannorum. vna re deceptus, vt alij multi, quòd existimet librum de mundo, qui est inter opera Aristotelis, esse proprium ipsius; cum phrasis comptior, floridior, &, vt ait Ludouicus Viues, lasciuior, quàm Aristotelica, illeq́ue progressus interdum vsque ad poeticas delicias, prodat alieni scriptoris esse labo-

laborem; dignum tamen vbique legi, & scholæ Peripateticæ adscribi: quem librum L. Apuleius de Græco fecit Latinum, & tanquam suum posuit inter opera sua titulo Cosmographiæ. postea Budæus eundem vertens, Albium genere neutro, & Iernam, dixit Britannicas illas duas maximas insulas, quæ supra Celtas iacent; adeo vt gignere casum Albionis, nullo modo potuerit. & multo sit ineptior illa formatio Belleforesti de Albionistis populis, cum verba Græca fuerint, νῆσοι δύο Βρετανικαὶ λεγόμεναι, Ἄλβιον καὶ Ἰέρνη. hoc est, insulæ duæ Albium & Ierne, quę Bretanicæ dicuntur. Itaque Beroaldus non rectè notauit ad Suetonium in vita Iulij Cæsaris, Britanniam antiquitus fuisse dictam Albion, quoniam hoc nomen proprium, illud commune est insulæ Britanniæ, cum insula Ibernia. Quò respexit Caius Plinius lib. 4. c. 16. cum de Britannia loquens, Fuit ipsi nomen, inquit, Albion, cum Britanniæ vocarentur omnes. recenset autem in primis Hiberniam, quadraginta Orcades, & septem Acmodas, & triginta Hebrides. interque Hiberniam & Britanniam interiectas Monam, Monapiam, Ricneam, Vectim, Silimum, & Andron. infra verò Siambim, & Axanton. vt ex aduerso in mare Germanicum sparsas Glessarias, quas Electridas Græci pòst appellauerũt, quòd in eis nasceretur electrum; & Thulen, in qua cum est Solstitium, nullæ sunt noctes; cum est bruma, nulli sunt dies. Iterum à Britannia introrsus Mictim insulam, qua plumbum album nascitur. & alias, vt Scandiam, Dumnam, Bergos, maximáque omnium Nerigon, ex qua in Thulen nauigatur. Hæ tot insulæ, cur omnes à Plinio dicantur Britanniæ, commodior excogitari nulla ratio potest, quàm ea superius Nota 25. à me relata, diuisæ possessionis vniuscuiusque à se. qua ratione Iurisconsulti sunt etiam vsi, cum domos à ceteris domibus diuisas, neque sibi contiguas appellauerunt insulas. Budæus enim ad l. 19. digestorum locati, & conducti,

vocat, aulas propriè dici, quæ non coniunguntur parietibus communibus cum vicinis ædibus, sed circuitu publico, aut priuato cinguntur, quales ferè sunt domus Principum, a priuatorum domibus distinctæ, ad similitudinem scilicet earum terrarum, quæ fluminibus imminent, ac mari; ob eamque rem insulæ, tanquam in salo, quod est mare, positę dicuntur. Altera res est, qua mihi saltem deceptus videtur Humfredus esse, sicut etiam Cambdeno Perattus, Perottus, Lilius, & Giraldus, dum existimat Albionem Neptuni filium fuisse Britanniæ Regem, satis erit id quod antè Nota 24. monui Albionem quendam Astrologum in Britannia docuisse antiquitus syderum artem. nam illa mutatio nominum ex Ariouisto in Ernestum, & Herminij ad Hermanum, esset perridicula nunc tandem, aut in legendis commentarijs Cæsaris, aut in recolendis poëmatis Virgilij: qui cum lib. 11. nominat Herminium, Seruius notat hoc nomen esse de historia Romana. quippe contra Thuscos Lartius, & Herminius steterunt cum Coclite, quo tempore pons Sublicius rumpebatur. Itaque malim in historia Britannica cum Gaufrido Anglo, & Iuuenale Romano nominare Aruiragum, quàm dicere Meurigum, fuisse Britannię Regem. Sicut è contrario Ioannes ab Andreis in suis adnotationibus ad Speculum Duranti, de Iudice delegato, clarius loquitur, Episcopum Pragensem vocando Arnestum, quàm Ariouistum.

37. PHRANICO. Anno penultimo Ranisis, inquit Manethon, apud Celtas regnauit Namnes; & anno quarto Ammenephi regnat apud eosdem Rhemus, à quo Rhemi. cum autem euersa Troia fuit, anno tertio Æneas venit ad Italiam, & septimo Ascanius Latinis imperat, posteaque Celtis Francus ex Hectoris filijs. Namnes autem, inquit Annius, Namnetes in Gallia Lugdunensi populos condidit, quorum Augusta fuit olim Condeuincum, nunc est Venetia. Manet eis, Angliæ oppositis, nomen hodiè Nantium

& est

& est ciuitas Episcopalis prouinciæ Turonensis in Britannia citeriori. Rhemus vero Celtarum Rex, à quo dicuntur Rhemi, quisnam ille fuerit, non dum, inquit Annius, comperi. quę modesta oratio probat eum, non comminisci, vt Iacobus Spigelius accusat, dum in lexico iuris ciuilis, libellum, qui circumfertur, inquit, nomine Berosi, putant eruditi narrare mera somnia, profectò digna commẽtis Annianis. Is autem loquitur, vt alij reprehensores plerique, de comparatione huius authoris cum historijs librorum sacrorum: Veluti quòd Berosus dixit Noachum esse Ianum. & idem scribit Genebrardus antè relatus, Nota 12. & irreprehensus. Verumtamen nemo eorum de Regibus Celtarum vel vnum verbum facit; quos arbitratus sum semper & Manethoni, & Beroso postea per alios scriptores Chronicos fuisse adiectos, vt Nota 33. demonstraui. Quocirca possumus eundem sine offensione audire dicentem, Rhemenses Gallos ab hoc principe nomen sortitos, eósque inter Belgas proximos esse Celtis, & Suessionibus, quibuscum eodem iure, ijsdemque legibus olim vtebantur. Horum metropolis est vrbs ipsa Rhemorum, in qua Rex Galliæ solebat & magna pompa, & sancta religione inungi, populoque toti Francorum Rex declarari. Eadem modestia, qua prius, locutus est Annius, Quis iste Francus fuerit, Zirizro dictus cognomento Laodamus, & Manethoni Hectoreus, aut quo pacto Rex à Celtis acceptus, neminem, inquit, Annius legi auctorem, qui demonstraret: nisi fortè Vincentium Bellonacum, scriptorem historiarum diligentissimum. Is Episcopus in suo speculo, quod appellat opus rerum gestarum, narrat illum euersa Troia commigrasse in Franciam, & ob ingentem animi virtutem Celtis percharum, Regique ipsorum pergratum fuisse. vsque adeo, vt etiam filiæ Regis coniunctus matrimonio, post eum in Gallia rerum administrationem susceperit. par Æneæ suo concivi, qui simili modo Regi Latino, & affinitate, & successione regni Latini coniun-

gebatur. Istum esse ferunt, à quo primo sit ortum nomen Franciæ; quæ vetusto Britannorum idiomate Phranica, vt ait Humfredus, dicebatur. & inde quidam arbitrantur adhuc superesse nomen Phranicæ, in oppido Phrisiæ perantiquo, & idcirco quasi sedē Nobilitatis eiusdem gentis propria. Licet Boëtius Epo, hanc rem pressè cōsiderans in oratione de gente Frisica, & alij plurimi viri docti, Franicā, & Francos, à libertate, quę sic Germanicè vocatur, existiment esse nominatos. Qua de re siquis amplius scire cupiat, admodum copiosè disputat in principio historiarum Robertus Gaguinus. Franci à Troianis, inquit, se prodijsse gloriantur. quamquam alij longo post tempore Valentinianum Imperatorem dicant, accitis in auxilium Francis, propoluisse illis remissionem in decem annos, cuiusdam census, quem Romanis pendebant, si tunc rebelles Alanos ad ipsius ditionem redegissent. quod vbi fecerant, ab hac remissione tributi, acceptaque libertate Francos, hoc est, liberos appellari. Sed ipse magis, inquit Gaguinus, accedo ijs, qui nomen à Francione (sic enim vocat hunc Phranicum) sortitos esse autumant. Nam ista posterior appellatio non conuenit antiquitati gentis. &, vt videtur, rectè: quandoquidem Ammianus Marcellinus lib. 15. scribit, paucos, post excidium Troiæ, qui fugerunt dispersos vbique Gręcos, loca tunc hęc vacua occupasse. Magis honorificè tamen paulus Æmilius exorditur, Francos se Troia oriundos esse, contendere. captaque & incensa vrbe nobilissimam manum ciuium, quos ferrum hostium, ignisque non absumpsisset, duce Francione ad Meotin paludem se contulisse, nec ab ea procul, vrbem condidisse. deinde post paululum, Marcus, inquit, Tullius Cicero, (vt auspicemur ab eo, qui tot ante Valentinianum ætatibus vixit,) lib 14. ad Atticum epistola. 6. Frācones nuncupat eos, qui ex Germanorum gentibus in Galliam ad Aurelium ab Hircio præpositum, legati venerunt; seque, quod imperatum ab eo esset, facturos profiterentur.

Et

Et nequis hanc putet nimis affectatam generis vetustatem, propterea quòd Francorum nomen à scriptoribus eorundem temporum non commemoretur, Æmilius addit, Nemini debere mirum videri, Francorum famam compluribus seculis minus illustrem extitisse, quòd Imperij Romani splendor, viresque complexæ totum orbem terrarum, efficerent obscuriores multas gentes, quæ quoniam postea repentè prodierunt in lucem, existimantur nouæ. Sed iste Phranicus Britannia peragrata reuersus per ostia Rheni, creditur eis quoque locis consedisse, in quibus Procopius lib. 1. de bello Gotthorum, Francos habitare scribit ad Rhenum, palustribus quidem, sed proximis vicinitate populorum Armoricorum, qui sunt Britanniæ continentis. Nam ita Cambdenus emendat Procopium, quum Francos dixerat finitimos & proximos esse populis Arboricis, qui nunc Hollandi putantur; apud quos paludes, & ostia Rheni sunt in mare Germanicum aperta, vbi Vvalis pars eius, excepta flumine Mosa, descendit in Oceanum, efficitque Batauorum insulam. Ad quas oras classis illa, quæ sanctam Vrsulam, & socias virgines vsque ad Armoricos per mare Britannicum transportare debuisset, vi tempestatis depulsa, prorsus in contrarium aduexit, vt apud Baronium in Martyrologio Romano verè narratur. Quare Procopius non videtur optimè sic esse correctus. sed quòd Ausonius poeta melius dixerit,

. . . . Francia mixta Sueuis,
Certat ad obsequium, Latijs vt militet armis.

Gentes enim Sueuorum, Germanicas esse superius Nota 24. demonstraui. Ad quas iste Princeps veniens cum administrasset Regnum sexaginta duos annos, vt ait Talipes c. 17. postea summam rerum Druidibus commendauit, per quos opportunè, prudenterque regebatur, dum ipse se reciperet in Pannoniam.

38. BROTVM. Syluius Latinis imperauit, cum

Tymeus Assyrijs. ita Manethon. & Annius, hunc Syluium dici scribit, quòd ruri educatus esset: & Posthumum vocari, quod post mortem patris nasceretur. Æneas enim obierat prægnante Lauinia coniuge relicta: Successit autem iste in regnum Latinorum Ascanio fratri suo. Quod Philippus Bergomas lib. 4. supplementi chronicôn non negat quidem, sed ei anteponit Ianum, Saturnum, Picum, Faunum, & Latinum, vt Æneas habeatur sextus, quem nos respicientes ad fundaměta Imperij Romani, more consueto, primum recensemus, Ascanium secundum, & Syluium tertium. Nam Æneas, vt dicit Cato, simul atque venit ad Italiam, accepit vxorem Lauiniam. propter quod iratus Turnus, tam in Latinum Lauiniæ patrem, quàm in Æneam bella commouit, impetratis auxilijs à Mezentio. sed interijt primò Latinus: secundò Turnus pariter, & Æneas. postea Mezentium Ascanius interfecit, & Laurolauinium tenuit. Cuius insidias (vt ait Seruius ad lib. 6. Æneidos) timens Lauinia iam grauida, confugit in syluas, & latuit in casa pastorali Tyri. Sed cum inde flagraret Ascanius inuidia, vocauit nouercam, & ei concessit Laurolauinium, sibi verò Albam constituit, qui quoniam sine liberis perijt, Siluio, qui & ipse Ascanius dictus est, suum reliquit imperium, à cuius nomine postea Reges Albani, sunt dicti Siluij; & apparuit error apud Liuium, vter Ascanius condiderit Albam. Ita Seruius. Ex quo perspicuus fit alter error apud Gaufridum Arthurium lib. 1. Britannorum principum c. 2. dum narrat Ascanium potestate Regia fultum condidisse Albam, filiumque suscepisse, cui nomen erat Syluius. is, qui postea Lauiniæ neptem ducit vxorem; & ea grauida, cum exploraretur à peritis viris, quid vtero gestaret, fuisse responsum, in ventre ferri filium, parenti fatalem, sed qui pluribus regionibus terræ peragratis tandem ad summum honoris culmen perueniret. nec fides facti fefellit. Nam vbi dies pariendi venit, mulier edidit puerum, & pariendo mortua est. Ille vero

traditur obstetrici, & vocatur βρότος, quasi mortifer matri suæ. quamuis Gaufridus, & plerique omnes Latinè Brutum nominent. Nam in manuscripto libro Marchianensi de historia Britannica, inueni puerū non nutrici, sed obstetrici traditum esse, vt educaretur. in cuius obstetricis vituperiū, quia mors parturientis accidebat, & cū eius pater quoque fatū vaticinij, sub parentis nomine prolati, metuebat, probabile est cum aliqua nota mortalitatis, infantem Græcè βρότον appellatum fuisse. nec esse pronepotem Æneæ, vt Philippus Bergomas lib. 6. arbitratur, nisi fortè propter adfinitatem Lauiniæ coniugis, ex cuius nepte natus erat. multo minus abnepotem, vt Cambdenus in Trinobantibus vocat. sed nepotem duntaxat Æneæ ex filio Syluio, & nepotem Ascanij ex fratre Syluio. Nam quòd hanc Cambdenus appellat fabulosam originem à Troianis deductam, & in Britanniæ primis incolis admonet, istius Broti nomen auditum in mundo non fuisse prius, quàm barbaro seculo, idque inter nubes ignorantiæ densissimas: sanè magis audacter, quàm scienter locutus est. Cum enim Hunibaldus ineptus scriptor, Francionem, inquit, Troianum Priami Regis filium, conditorem fuisse Franciæ gentis fabularetur, Britanni existimauerunt deforme sibi fore, si superarentur ab ijs origine, quos æquabant virtute. Gaufridus itaque Monemuthensis, quidam Brutum istum, etiam Troianum origine, quasi Britannicæ gentis authorem, primus, vt multi sentiunt, Britannis ante quadringentos annos progenuit. Antea certè, homo planè nemo de Bruto illo, quod vspiam legi, meminerit. ita Cambdenus. qui vtinam meminisset Stoueum anno plus mille quingentis septuagesimo respondisse delicatis lectoribus Gaufridi, eum præstitisse officium nudi tantūmodo interpretis Latini. sed opus historiæ Britannicæ, quod Latinitate donauit, fuisse antiquo sermone Britannico scriptum, & portatum ex Britannia continentis per Val-

terum Oxonienſem Archidiaconum. Quos libros de hiſtoria Principum Britannorum, in Latinum ſermonem à ſe tranſlatos, veraciter edidiſſe ad honorem eorundem ſe profitetur in ipſomet fine. atque lib. 1. c. 14. id facto probat, omittens verba, quæ ſcribebatur in vrbe Septonia protuliſſe aquila, dum ibi murus ędificaretur. Cuius tamen ſermones, inquit Gaufridus, ſi veros eſſe arbitrarer, ſicut cetera, quæ continentur in his libris, certè nec eoſdem tradere memoriæ recuſarem. Sed in Durotrigibus Cambdenus tametſi vocet fabellam aquilæ vaticinantis de conuerſione Imperij Britannici, tamen ait non aquilam, quæ ſit auis, locutam eſſe, ſed virum, nomine dictum, Aquilam monuiſſe, tempus aliquando fore, vt Britannicum imperium poſt Saxones, & Normanos, denuò ſit ad veteres Britannos rediturum. Quibus ita conſtitutis, videtur ipſe Cambdenus magis eſſe fabulator, quàm Gaufridus Epiſcopus Aſaphenſis, cuius nomen in Siluribus idem Cambdenus ponit Arthurium eſſe, quem & Britannicæ hiſtoriæ conſarcinatorem, & virum ſanè antiquitatis benè peritum vocat. ſed fide, vt videtur, non antiqua, tot Mileſias, inquit, nugas ex ſuo ingenio paſſim inſeruit. Simili audacia ſuperius, Hæc venia detur, inquit, antiquitati, vt miſcendo falſa veris, & humana diuinis, primordia gentium & vrbium auguſtiora faciat. Tandem verò neceſſitate rerum coactus, Illam hiſtoriolam, inquit, de Bruto, quam ſuffulcire valdè velim, conuellere planè non auſim. id enim eſſet χρόνῳ πολεμεῖν. Hæc Cambdenus. & rectè. nam interpres eiuſdem hiſtoriæ Gaufridus floruit anno poſt Chriſtum natum ſupra mille & centum quinquageſimo octauo: & opus ipſum, quod Latinum fecit, fortaſſe plus annis quingentis cōpoſitum erat prius, quàm natus eſſet Gaufridus. nam eſt probabile, id fuiſſe conſcriptum ad tempora ipſius compoſitoris, quę erant poſt Caduelladrum, cuius imperium cæpit anno poſt Chriſtum natum

ſex-

sexcentesimo. de Francione autem, vt, & tanquam primo Rege Francorum, non Hunibaldus modò, sed Sigebertus Gemblacensis, Philippus Bergomas, qui lib. 4. Francium vocat, & Caius & Cosmas Guimier in principio commentariorum ad pragmaticam sanctionem, & ceteri, quos antè nominaui, ac in vniuersum omnes, vt ait Belleforestus, authores rerum Francicarum communi sententia, diligenter scripserunt. Quocirca nunc superest, vt vno conspectu videamus tempora, quibus hi viginti quattuor Principes in continente, ac insula simul regnauerunt, an illa quoque consentiant cum principio imperij huius Broti; quod est factu perdifficile, cum nihil de ea rei Berosus, & Manethon, sed Talipes, Amandus Zirixęus, Chamber, & alij temporum historici scripserint, & secuti fuerint communem ferè nunc supputationem de confusione linguarum accidente post diluuium anno centesimo primo; non Hebræorum propriã de qua. suprà dixi Nota 29. quasi Gomer venisset in Galliam, ibidemque homines coëuntes vocati Cumeri, transmiserint in Britanniam, ad quos anno duodecimo Nymbroti, quo Iubal occupauit Celtiberos, licet paulo post, inquit Berosus, accessit Samothes.

Anno igitur ab orbe condito 1910, Dis Samothes primus Rex incepit, & annos 46. regnauit.

2. *Rex Magus incepit anno 1956. & regnauit annos 51.*

3. *Sarron incepit anno 2007. regnauit 61.*

4. *Druis regnare cœpit anno 2068. & imperauit 14.*

5. *Bardus Priscus incepit anno 2082. regnauit annos 75.*

6. *Rex Longho incepit anno 2157. & imperauit annos 28.*

7. *Bardus Iunior incipit anno 2185. & regnauit 37.*

8. *Lucus cœpit anno 2222. & rexit tantũmodò annos 11.*

9. *Rex Celtes accepit imperium anno 2233. Atque tenuit annos 13.*

10. *Principes, Hercules & Galathea cœperunt anno 2246. regnauerunt annos 19.*

11. Ga-

21. *Galathes eorum filius, incepit anno 2265. & rem administrauit 49. annos.*

22. *Narbon inchoauit anno 2314. & rexit annos 18.*

23. *Lugdus, incepit anno 2332. & regnauit annos 51.*

24. *Beligius incepit imperium anno 2383. & illud finit anno eiusdem 20.*

25. *Iasius creatus est Rex Celtarum anno 2403. & imperauit annos 50.*

26. *Allobrox cœpit anno 2453. & regnauit 68.*

27. *Romus incepit regnum anno 2521. & id occupauit per annos 29.*

28. *Rex Paris cœpit anno 2550. regnauitque spatio annorum 39.*

29. *Lemanus auspicatur anno 2589. & finit regnum anno eiusdem 67.*

30. *Olbius incepit anno 2656. & imperat duntaxat annis 5.*

31. *Galathes Iunior, regnum inchoat anno 2661. & absoluit idem anno 48.*

32. *Namnes cœpit anno 2700. & regnauit annos 44.*

33. *Rhemus incepit anno 2753. regnum suum, ac illud reliquit anno 40.*

34. *Phranicus auspicabatur suum anno 2793. & deserebat idem regnum anno 62.*

Quibus ita computatis, apparet nobis annus ab orbe condito supra bis mille octingentos quinquagesimus quintus, in quo Brotus accepit Regnum Britanniæ, quemadmodum Stoueus in summa Chronicôn, & plerique Historici omnes de rebus insulæ, regibusque scribentes, apertè demonstrauerunt.

ILLV-

ILLVSTRISSIMO DOMINO CÆSARI BARONIO, S. R. E. titulo SS. Martyrum Nerei & Achillei, Cardinali Presbytero, prosperitatem.

MVLTÆ *res sunt, Cardinalis Amplissime, propter quas in præsenti tempore sum ausus interpellare nomen tuum, & occupationes eruditissimas, maximasque impedire. Protectio Academiæ nostræ, suscepta loco defuncti Cardinalis Alani, compatris mei, de qua nobis mirificè gratulamur. Mansuetudo ingenij, quam prædicant ij, qui*

coram

coràm locuti sunt. singularis erga gentem Anglorum beneuolentia, etiam in libris editis declarata. Historiarum suprà, quàm dici potest, admirabilis scientia; præcipuè autem iudicium illud de historia sanctæ Vrsulæ, sociarumque virginum Britannarum ex Gaufrido sumpta. quam ego veram esse putaui semper, & sermone priuato sustinui. non potui tamen, vt crederetur, obtinere, propter authoritatem operis indignè reiectam. donec Lindano Episcopo vnà rem diligenter expendente, tandem vos & antiquæ historiæ Britannicæ fidem, ac eius interpreti Gaufrido dignitatem restitueritis, quem Episcopatus Asaphensis etiam honore clarum fuisse demonstratis. Equidem iam ante plurimos annos incitabar ad historiam patriæ scribendam, Romæ per Thomam Golduellum Episcopum

Asa-

Asaphensem, qui ferè semper vixerat in familia Reginaldi Poli Cardinalis. Patauij, per Robertum Pecchamum Equitem; Louanij, per Franciscum Engelfildum Equitem, ambos ex Consilio quondam Serenissimæ Mariæ Reginæ Anglorum, viros Clarissimos, perque alios plurimos, diuersis & temporibus, & locis sed nunquam adduci seriò poteram, vt id facerem, donec ex Martyrologio Romano vestris Annotationibus explicato conciperem, deinceps bonam spem fore, ne Gaufridi nomen, vel opus, quod Latinum ex Britannico fecit, amplius reijceretur. non tamen vt omnia, & singula, quæ in eo continentur, approbata esse videantur. Quis enim vaticinia Merlini Concilio Tridentino damnata recipiat? quis Arcturi gesta nimis operosè narrata, sic repetat? Sed, quod in Ennio fecit Virgilius,

gilius, vt pauca ex multis; & optima ex illis paucis eligantur. Id ego si consequi potero, tametsi res est profana, quæ adhuc offertur, quia tamen religio Druidum in Britannia tenuit vnius Dei fidem, & animæ hominis immortalitatem, dabit, vti spero, magnam opportunitatem benè ominandi, rectéque sentiendi de insula tota.

HIS-

HISTORIARVM
LIBER SECVNDVS.

CVM Brotus esset annorum
quindecim, animi magni, ex-
celsiq́ iuuenis, Syluium patrem
comitatur ad venandum, sed
antè consilio secretè cum ami-
cis sibi fidis, & cum itinerum
socijs diligenter habito, se clàm subducens, vnà
cum eisdem in Græciam proficiscitur. Quæ
subita res, cum erat cognita patri, tam acerbum
dolorem vsque ad præcordia transmisit, vt
continuò dederit causam rumoris, de Syluio
per Brotum quasi fatalem parentibus puerum
occiso, ictu non pręuisæ sagittę, qua in venatio-
nibus vtebatur; cum ille tamen secutus omen
sui nominis 1 & vaticinia de se dicta, peregri- 1
nari maluerit ad Græcos, vbi repperit in serui-
tute detentos adhuc posteros Heleni; qui filius
erat Priami ex vxore Hecuba, seruatus ipse
quidem à Græcis, quòd vir esset clarus diuina-
tione rerum futurarum. nam Pyrrho nauiga-
turo certum vitæ periculum ex tempestate prę-
dixerat; quo sic euitato, Pyrrhus magnam par-
tem regni dat Heleno, qui eam Chaoniam, 2 2
Troiano à Chaone fratre nominauit, & ad si-
militudinem Troiæ statuit vrbem, qua recepit
hospitio profugientem Æneam. Cuius erga
suum auum præstiti officij memor Brotus,
libenter apud hos antiqui generis amicos, &
populares commoratur. Ibi propter discipli-
nam rei militaris, vitæq́ ac morum elegan-

tiam, breui ſpatio temporis emicuit tantũ nã, vt inter belli duces, ipſe quaſi dux haberetur. Poſtquàm igitur à pleriſque Troianis intelligeretur, quis eſſet, ad eum confugerunt, velut ad ſeruatorem reliquiarum Troiani nominis. Quibus rebus cognitis Pandrax, qui tunc imperium tenebat, eos fortius ſolito premere, ſibiq́ ab extero homine, armis potente Broto cauere cœpit. Diſperſi Troes congregabantur ad ſeptem millia virorum bello valentiſsimorum, præter feminas & pueros. Hi omnes à Broto petunt, vt militiæ dux eſſe velit, ipſóſque à Græcorum ſeruitute liberare. Quibus humaniter acceptis, Brotus omnino nihil adhuc mouet. Itaque veniunt ad Aſſaracum iuuenem nobiliſsimum, qui rebus eorũ, cauſæq́ fauebat. Illum matre Troiana natum rogant, adeſſe ſuo deſiderio apud Brotũ. huic Aſſaraco conſanguineus frater vtroque parente Græco natus erat, & idcirco contendens ipſe cum eo de tribus caſtris, Regem aduerſariũ quodammodo, ceteroſq́ Græciæ principes à ſuo iure alienos ſentiebat. communis pater ea caſtra moriens dederat Aſſaraco; qui benè munita poſsidebat. Alter expellere conatur, quòd ipſum concubina natum eſſe diceret. Aſſaracus contra vim fratris, & potentiam amicorum eius, petit auxilium à Broto. Is aſſentitur, ac ita fit omnium Dux præcipuus, & in caſtris adhuc munitis fortius Aſſaracum tuetur. quotidiè viribus ac viris potentior factus, vbi tempus vidit eſſe opportunum, Brotus Regi ſcribit: Indignum ſibi videri, gentem claro ſanguine Dardani prognatam manere ſub iugo ſeruitutis. hanc vnicuique captiuo datam eſſe naturâ voluntatem, vt omnibus, quibus poteſt, modis

liber-

libertatem consequatur. proinde vel eam bello amissam ipse restituat gratiosè Troianis, vel eos ad alias orbis terrarum partes migrare patiatur. Lectis his litteris, iratus Rex milites conscribit, Sparatinum ex illis castris vnum, in quo Brotus erat, aggreditur. Intellecta re Brotus, cum tribus millibus hominum benè armatorum erumpit, & Regem de improuiso adortus, cogit eum transire flumen Acalon, quod propè decurrebat. cuius in vado cum hærerent multi Græci, tum ad ripam fluminis plures occiduntur. Antigonus frater Regis in subsidium venit, exercitum instaurat: hanc vim subitam noua vi repellere conatur, at frustrà, rebus pœnè desperatis succurrit. capitur ipse, sociusq; armorum eius Anacletus. Ita victor Brotus nouo militum præsidio Sparatinum complet, seqúe clam recipit ad syluas, in quibus plurimi Troës delituerunt. Interim Rex è fuga partim collectis, partim auctis militibus redit, & arbitratus Brotum rediisse ad castrum vnà cum Antigono, illud obsidet. In cuius rei euentum Brotus præmonuerat eos de certo signo, quo per ipsum dato simul exirent, viribusq; nocte coniunctis in tentoria Regis irruerent. id vbi factum est, Rex capitur, & milites eius somno pressi cæduntur. Postera die Brotus cum Rege capto ingreditur Sparatinum, ibi quid ab eo peti debeat, maturè consulit. dum alij suadent partem regni, & alij libertatem abeundi petendam esse; Quid, inquit Nembritius, abeundi licentiam petere dubitamus? illa nobis est summè necessaria, si volumus, vt certè debemus, habere pacem ipsi, nostriq; posteri tranquillitatem. nam eorum fratres, & filij: eorum nepotes ac pronepotes, qui

clade hesterna occisi sunt, si nobiscum in parte
regni colenda mixti, vel cum posteritate nostra
erunt, proculdubio memores semper interfe-
ctorum parentum, minimis de causis sument
vindictā. & eorū numerus quotidiè augebitur,
noster erit deminutus. petamus à Rege filiam
Innogen Duci Broto vxorem, cum eaqúe
thesaurum Regis, naues, ceteráque ad iter
necessaria. quibus impetratis ad alias gentes,
ac sedes feliciter quærendas abeamus. hæc ora-
tio placuit. Rex introductus, & re cognita, Ve-
stræ voluntati parendum, inquit, est, nisi frater
& ego à vobis capti velimus periclitari vitam,
quæ vestro nunc arbitrio dari, & adimi potest.
Quocirca mittuntur ad vrbes maritimas viri,
qui parent naues trecentas vigintiquattuor,
omni genere rerum oneratas. Brotus omnibus,
quæ vellet, impositis, comitibusq; introductis
conscendit easdem vnà cum filia Regis nouè
sibi coniuncta; quem secuti Troes simul à Græ-
corum potestate discedunt, prospero vento fe-
runtur ferè spatio tridui ad Legerciam insu-
3 lam, 3 quæ à pyratis deuastata non incoleba-
tur. Brotus explorandi causa præmittit arma-
tos homines trecentos, qui feras venatione
captas occidunt, & tandem perueniunt ad vr-
bem in qua templum erat Dianæ, & consulen-
tibus responsa dabantur. Ea re cognita, hi qui
mittebantur, iam onusti ferina carne ceteráque
præda venationibus quæsita, redeunt ad naues.
narrant omnia, quæ viderant, Broto suadent
adire templum, donisq; oblatis quærere certam
in terris regionem, qua manerent. Dux habito
consilio, Gerionem augurem, & duodecim na-
tu maiores vocat, omniaq; sumit, quæ sacrifi-
cijs necessaria sunt. vbi ad Dianæ ventum est,
cir-

circumdati tempora vittis, ante aditum ritu veterrimo tribus Dijs tres focos, Ioui, Mercurio, Dianæ constituunt, & singulis libamina dant singula. Brotus ipse dextera tenens vas sacrificij, plenum vino, sanguinéque ceruæ candidæ, vultu ad simulachrum Numinis erecto,

Diua potens nemorum, inquit, *terrestria rura resolue.*
Dic certam sedem, qua te venerabor in æuum.

Hęc vbi nouies repetijt, arã Dianę circuit quater; vinum, quod manu tenebat, effundit in focum, deinde supra ceruæ pellem, quam strauerat ante aram, procumbit, & somno correptus vidit per quietem, stare Deam ante se, quæq; futura erant prædicere sic audiuit:

Brote, sub occasum solis trans Gallica regna,
Insula in Oceano est, habitata Gigantibus olim,
Hanc pete. namque tuis sedes erit illa perennis.
Hic de prole tua Reges nascentur: & ipsis
Totius terræ subditus Orbis erit.

Dux expergefactus dubitat, an hoc sit somnium suum, an vera Deæ apparitio: conuocatis socijs indicat ordine visum. illi cohortantur ad naues redire, dumq; ventus prosper adflaret, citissimis velis in occasum tendere; spacio triginta dierum veniunt ad mare Tyrrhenum, & propè littora inuenerunt quattuor nationes hominum, ortas de exulibus Troiæ, qui Antenorem euntem illò comitabantur. Horum dux erat Corinus, vir nobilis genere, modestus moribus, consilio magnus, viribus audax, & vt procerus corpore, ita singularis palæstrita. 4 4
cuius agnita origine sanguinis Brotus, cum sibi

socium iunxit, & omnes, quibus præsidebat, in suos numeros adscripsit. Simul ambo proficiscuntur, & ad columnas Herculis nauibus refectis ingrediuntur Oceanum, tandemq́ perueniunt ad ostium Ligeris fluminis in Gallia Celtica. ibi conscendunt terram, & diebus septem explorant Regni situm, cui tunc præfuit Gopharius: qui confestim legatis missis, Quid eo loci negotij esset ipsis? quærebat, pacémne, an bellum mallent? Iam Corinus egressus erat cum ducentis militibus pabulatum, venatumq́ue. huic legati dicebant, Non licere absque venia Principis, in Regijs saltibus venari. Corinus respondet, facultatem rei naturâ communis, peti non oportere. de hac verborum contentione initur pugna, & multi cæsi sunt. Viribus tamen auctis per aduentum Broti, Corinus Regem ad vlteriores partes Galliarum fugauit. vbi copias nouas collegit. Nam erant in Gallia tunc Principes duodecim, quos quidam vocant Reges, quòd pari dignitate Rempublicam regerent. à qua pari dignitate vocari etiam
5 nunc Pares Franciæ 5 creduntur. Hi vno consensu promittunt, exteros è finibus Galliarum pellere. Brotus vrbibus incensis, agrisque deuastatis, peruenit ad eum locum, quo iam sita est ciuitas Turonum. ibi castra metatus, Regem cum suppetijs reuertentem expectat. tandem obsessus, liberatur ope Corini retrò persequentis hostes, suaq́ ipsius diligentia simul erumpentis de improuiso ex castris, quo tempore prælium fit ingens, & vtrimque plurimi ceciderunt, ac in primis fortissimus Turnus Broti nepos interficitur à Gallis. cui funus honorificè ducitur, & sepulchrum ponitur in castris ipsis, quæ pòst ad vrbem statuendam ædificata

nomen

nomen eius præse ferunt. Brotus autem dolore motus, quòd militum suorum numeros quotidiè sic minui, & Gallorum crescere videret, vt nullam spem copiarum auxiliarium ipse in eis regionibus habere posset, vtilius sibi fore iudicauit, si maturè se reciperet ad naues, Gallosq; in sua patria vlterius persequi desisteret, ac ita maiorem sociorum partem semper hactenus in bello gerendo victricem conseruaret. quorum industria, & fide adiutus insulam sibi diuinitus monstratam paucis post diebus ingreditur, secundo vento vectus ad littus Britanniæ Totenesium 6 anno ab orbe condito super bis mille octingentos quinquagesimo quinto. Ita fortes 6

Argolico petierunt Troes ab ore

Albion. & à Broto Britones, hi, qui cum eo venerant, appellati sunt. nam

Britones, &, similis quæ vox est penè, Britani,

duo sunt populi, sicut nomine, sic natione quoque differentes. totius insulæ prius, quàm Brotus illò veniret, incolæ fuerunt dicti Britanni. Sed Britones sunt, veteres origine Troes, Broti comites, itinerumq; socij; quorum sermo, qui Troianus erat, postea Curuus Græcus vulgò vocatus est, quòd hi, dum vna cum Græcis agerent, eorum verba corruptè proferrent. Rectus enim sermo Græcus, est erudita & non popularis oratio. Brotus insula ferè peragrata, distribuit socijs agros: quos illi colere, in eisque domos ædificare cœperunt. Corinus eam insulæ partem sortitò accepit, quæ ab ipso dicitur Coringallia, cuius incolæ prisci à primo Galathe Rege, vt suprà demonstrauimus, Galli, & tota regio Gallia nominabatur. Ibi cęstibus & lucta clarus dux Corinus, ludos cęsticos à Tro-

iano Antenore institutos populo commendabat; & adhuc in ea parte Britanniæ magni fiunt. Brotus vrbem conditurus, locum amæ-
7 num eligit ad Tamisin. 7 vbi Lugdon oppidum extruit tanta magnitudine, vt Troiam nouam appellarent ciues, qui bono & æquabili iure legum ab eo datarum incolunt, has leges esse Troianas arbitrantur. Ipse postquam annos viginti quattuor rem administrasset, superstitibus filijs Lœcrino, Albanace, & Cambro, vita defunctus, in vrbe, quam statuit, ab his magno cum honore sepelitur. Qui tres, po-
8 stea Regnum diuidunt 8 inter se. Lœcrinus maior natu mediam insulæ partem, quam Lœcriam dixit, & nunc Anglia vocatur; Camber eam, quæ vltra Sabrinum flumen est Gallia, sibi gubernandam accepit, & à se Cambriam nominauit; Albanax Iunior hanc, quæ diu Albania dicta, nunc appellatur Scotia. Quibus partibus adiuncta quarta portione Corini, non diuisa inter fratres, nec ad hereditatem patris ipsorum pertinens, totius Britanniæ Tetrarchia demonstratur. quam feliciter, & magna concordia Principes isti tenebant, donec venisset in Albaniam Humber Rex Hunnorum, prælioque inito Albanacem interemisset; ac populos ei subditos coëgisset auxilij causa fugere ad Lœcrinum. Qui fratre Cambro sibi adhibito persequitur hostem tantis viribus, vt in transitu fluminis, dum se voluit seruare, perierit aquis submersus, suumque illi nomen cum vita reliquerit. Spolia Lœcrinus victor aurum, argentumque militibus distribuit. Sed pulchram Estrilidem Regis cuiusdam Germanorum filiam, quæ fuit captiua, secum abducit. Neque enim facilè reperta fuit vsquam puella, quæ potuit

cum

cum ea comparari formà; cuius cãdorem cutis nec ebur nitidum, neque recenter cadens nix, nec alba lilia vincebant. Hanc Lœcrinus cum vellet, eius amore captus, vxorem ducere, Corinus, cuius filiam antè desponderat, Istud mihi rependis, inquit, Lœcrine, pro tot vulneribus acceptis in causa patris tui? filia mea reiecta, mulieri barbaræ connubio te iunges? nihil honor tuus, nihil patris labor, nihil gloria nominis eius te mouet? Sedatis per amicos Principum animis, Lœcrinus pactas nuptias seruat, Vendoloenam Corini filiam ducit vxorem, ex ea filium suscipit, cui nomen Madanus, puer egregius in disciplina rei militaris, quam ab auo didicisset. Corino tamen mortuo Lœcrinus ab eius filia diuortit. & ambobus iam fratribus morte sublatis, potitus administratione totius Regni, ad pellicem redit, ex cuius secretè per annos septem habita consuetudine, nascebatur filia; quam Rex plus æquo diligens eius matrem declarat esse Reginam. Tantum facinus abominata coniunx Vendolœna, iustóque dolore percita, se recipit in patriam, colligit milites, bellum infert Lœcrino. ad flumen Sturum pugnatur acerrimè. vbi vulneratus ictu sagittæ Lœcrinus, cum annos regnasset decem, extinctus est. Ita summam rerum administrat cum filio Madano, nondum ad id per ætatem idoneo, Vendoloena mater, omnium Britannorum consensione. Hæc in adulterium viri diligenter inquirens, sciebat eum loco subterraneo vrbis Trinobantum occultatam Estrildidem timore Corini tenuisse. ad quam quoties descendebat, toties se Dijs sacrificium velle facere 9 dicebat. cuius rei indignitatem, Vendoloena puniens iussit ipsam, cum filia, in 9

flumen præcipitem dari. ex qua re flumen Sa-
brinam vocant. Madanum ætate tam perfe-
ctum, vt solus regnare possit, sceptro Regni
mater ornauit. ipsa reliquo vitæ spatio, Corn-
ualliæ patrimonio contenta degebat. Fuit iste
Princeps, tam seuerus legum executor, vt ho-
mines formidine pœnæ in officio contineret.
quæ res aliter, quàm debuit, accepta, opinio-
nem tyrannidis ei peperit. Creditur vrbem
10 ædificasse Madanam, 10 & apud Trinobantes
mortuus, ibidem sepeliri. Filios reliquit super-
stites duos, Membricium & Manlium, cum an-
nos quadraginta regnasset. Inter hos oritur de
Principatu contentio. Volebat vterque, quod
fieri nullo modo potuit, insulam totam solus
regere. Manlius ergo interficitur ab his, quos
quasi pacis oratores, frater ad eum miserat.
Inde factus Britanniæ dominator Membricius,
tantam exercuit verè tyrannidem, vt omnes
pænè homines sanguinis genere nobilissimos
occideret. ac præsertim eos, quos arbitrabatur
sibi posse succedere iure Regni. metuebat enim
ne suæ vitæ insidias struerent. Primum in so-
cordiam, deinde vt fit, ad luxuriam prolapsus,
virgines, nuptasque mulieres turpidine libidinis
exagitauit. tandemque peruenit ad illam vitæ
morumque spurciciem, vt dimissa vxore pro-
pria, de qua tamen inclytum iuuenem Eberan-
11 cum 11 genuerat, & postea concubinis quoque,
quas habuit, derelictis, horrendam cum mas-
culis contra naturam voluptatem exercuerit.
Sanè quidem nihil in vita gessit ob quod vllus
honor post mortem ei tribuatur. Cum inter ve-
nandum, longius abiuisset à suis, miserè depre-
hensum lupi, quibus insula tunc abundabat,
viuum discerpserunt, postquam annos viginti
regnas-

regnasset. Eberancus Membricij filius corpore procerus, & audax viribus, imperare cœpit, & primus à Broto transmisit in Galliam belli gerendi causa, victoriamq; tandem, & spolia amplissima reportauit; & auri vim, argentiq; tantam, vt trans flumen Humbrum ad septemtrionis insulæ partem extruxerit vrbem à se dictam Eboracum; in qua templum Dianæ, sacerdotemq; Archiflaminem constituit. Ex viginti coniugibus, quas habebat, filios viginti, filiasq; triginta suscepit. Brotus è filijs primus, cognomento Viride scutum 12, patri regnum 12
annis quadraginta fortissimè gubernanti, successit. Defuncti patris corpus in templo Dianæ, quod ipse viuus condiderat, sepeliri curauit, & Brunichildum Hannoniæ Principem bello diuexauit, quòd Eberācum patrem, dum transmittebat in Galliam, coëgerit prius redire in Britanniam, non sine magna militum suorum amissione, quàm vlterius illum progredi ad belligerandum pateretur. Etenim profectus in Hannoniam ad ostium Scaldis fluuij acriter cum eodem pugnauit Brotus; Princeps quidem domi bonus, & sui promissi tenax; adeo popularis autem, & vrbanus, vt ijs, qui premerentur aduersis rebus, adiumenta ferre plerisque soleret. Moritur anno regni duodecimo, Eboraci sepultus illo pænè loco, quo pater erat. Huic filius Leilus pacis, & æquitatis amator succedit, qui Lucopibiam à Luco Rege antea fundatam, propè flumen Edenam in aquilone, amplissimis ædificijs ornauit; déque suo nomine vrbem Britannicè, Carleilam 13 appellauit. 13
Cum Britannos rexisset annis vigintiquinque, initio quidem feliciter, in fine per ignauiam, libidinem, & socordiam, dedit causam grauis-

ſimæ inter populos ſibi ſubditos contentionis, belliquc ciuilis, quod exortum ſemel, non potuit eo viuo ſedari. quare ſic vexatus ſeditionibus moritur, & in vrbe à ſe amplificata magno cum honore ſepelitur. Eum ſequitur filius Rudibras cognomento Cicuber, in adminiſtratione regni verſatus ſpacio triginta nouem annorum. populum à diſcordia ciuili deduxit ad colendam pacem. duas vrbes condidit, vnam
14 in Cantio Doroberniam 14 quæ nunc Cantuaria dicitur, & duodecim millia paſſuum diſtat à mari: alteram Vintoniam; quæ in ora ferè maritima ſpectat ad Auſtrum, inter duos colles poſita, perquàm celebris & amæna. In harum quali bet Dijs exſtruxit magnificum templum, & vtrobiq; Flamines conſtituit. cuius demortui locum filius eius Badudus occupat, vrbem Bathoniam ædificat, & in ea templum Apollini, Flaminemq; conſtituit. Balnea tepidis aquis etiam fluentia, mortalium vſibus neceſſaria ſtruxit, quibus Mineruam, ſicut Numen præfecit; in eius æde ſacra poſuit ignes, qui nec extingui vllo tempore, nec in fauillas deficere potuerunt: ſed vbi virtus ignis intabuit, ſtatim in ſaxeos globos conuertuntur. Hoc miraculi
15 genus ab Athenis 15 importatum eſt, quo in loco Rex iſte diu dedit operam ſtudijs artium, & doctrinæ; ac inde ſecum duxit Philoſophos quattuor, qui ſcholas aperirent in Britannia. nec eo contentus vir ingenio excellens, abutebatur tandem bonitate naturæ ad prauitatem artis Magicæ illius, quam Græci Necromantian vocant, eamq; ipſemet in ſuo Regno docebat. cuius ope, auxilioq; nixus, in eam veſaniam, deceptus præſtigijs dæmonum, coactus eſt, vt corpori ſuo, certas alas volandi cauſa fabre-

fabrefactas, aptauerit. quibus indutus, cum cœpiſſet aliquo vento in altum tolli, repentè cecidit in templum Apollinis, vrbe Trinobantum. quo caſu fractus exſpirauit, cum annos viginti regnaſſet. Cedente fatis patre Badudo, Leir non minus egregiè, quàm prudenter annos ſexaginta regnauit. Is ad fluuium Soram in parte inſulæ interiore condidit vrbem à ſe dictam Leirceſtriam, qua templum Iano, & flaminem, qui ſacrificijs miniſtraret, ritè conſtituit. Huic filius nullus, ſed filiæ tres naſcebantur Genorilla, Regana, & Cordeilla. eas cogitabat matrimonio collocare Principibus viris, cum æquali partitione regni; niſi fortè aliqua iſtarum plus ceteris diligens patrem, in partiendo debuiſſet præferri. quocirca tentat filiarum erga ſe beneuolentiam; & prima dixit, Patrem ſibi magis eſſe cordi, quàm cor ipſum, quo viueret. ſecunda, ſe diligere patrem ſupra res omnes creatas. tum Cordeilla, quam ipſe benè amabat, deteſtata verborum adulationes, Pater, inquit, ſicut me filiam amas, ita te patentem ſyncerè dilexi, & diligo, & amabo ſemper. ſiquid habes Patre maius, quantum habes tantum vales, 16 & ego te, tanto plus diligo. Hac 16
orationis libertate commotus pater, exiſtimabat Cordeillam dicere, Tantum valere ipſum, quantum haberet in bonis; ſuumq́ amorem metiri facultatibus rerum paternarum. Itaque Regi Francorum Aganippo legationibus miſsis eam petenti ad nuptias, dat ſine dote pecuniæ, licet forma, moribuſque ſummè dotatam. quarum nuptiarum ratione, fœdus cum hoc Principe foris confirmat. domi Reganam Duci Corinualliæ, & Genorillam Duci Albanię tradit in matrimonium, partito inter ipſas ęquali-

tet

ter suo Regno, vt post eius mortem ambę Britanniam totam possiderent. Interim viribus potens, & gloria rerum gestarum, clarus diu gubernat; donec hi Duces ambitione pulsi sumpserint arma, & illum coëgerint Regia potestate se abdicare. At illę memor pristinæ Regię'q; dignitatis, maluit in Galliam ad Cordeillam proficisci, quàm in Britannia cum dedecore manere. Cum venisset ad Caritiam, vbi filia degebat, se Regno pulsum à generis duobus, adfirmat eidem ac suo marito, & ad ipsos auxilij causâ dicit se venire. Qui Consulibus, & Proceribus adhibitis eum magno cum honore susceperunt; collectóque interim armato milite Aganippus, socero copias auxiliares tradit. quibus ille benè animatus, generum, filiam'q; secum in Britanniam reducit: quæ res auxit famam classium bellicarũ maiorem, quã re vera classes numero fuerant. proinde reuersus Leir init pugnã feliciter cõtra duos generos iniustos qui vt cupidè regnarent, patrios in annos ante diem mortis inquirere non debebant. Potitus victoria, & plerosque omnes redegit in suam potestatem, & de rebellibus triumphauit. tertio pòst anno moritur ipse, & Aganippus etiam. quare Cordeilla gubernaculum Regni adepta, sepeliuit patrem loco sub terrã vrbe Leircestria, quem locum ipse viuus, pro sepultura iusserat fieri, & bifrontis Iani simulachro cohonestari; quò solebant opifices vrbis omnes (antequam is illò inferretur) conuenire statuta die, ad solemnia sacra Iani celebranda. de quibus sacris auspicatò sumebantur initia operum omnium, quæ toto anno facienda forent. Cordeilla iam annos quinque rexerat magna tranquillitate populum, officiosè sibi obtemperantem; donec

exci-

excitati sororum filij Morganus, & Cuneda, iam defunctis patribus, alter Dux Albaniæ, alter Dux Corinualliæ, viribus adolescentes ambo strenui, grauiter ferrent Britanniam esse subiectam potestati vnius feminæ 17, quod ar- 17
bitrabantur indignum, & quasi quoddam genus seruitutis haud ferendum, Conscriptis ergo militibus, omnia rapinis, cæde, flamma deuastare cœperunt. quibus artibus seditionum, prouocabant ad arma capienda mulierem, & in aperta bellorum certamina progredi compulerunt. tandem aliquando egreditur in aciem ipsa & post quædam prælia cum his nepotibus infeliciter commissa, bello capitur, & in carcerem trusa, ex nimio dolore propter amissum regnum, sibi mortem consciuit, egregia mulier, cui natura nihil præter sexum negauit, ad maiorum suorum gloriam virtute superandam. Hi fratres iam victores diuidunt regnum inter se. loca trans Humbrum vsque ad Catheneſiam, omnia cedunt Morgano; ex altera parte fluminis versus occidentem solem loca sunt Cunedæ. peracto sic amica pace biennio, venerunt homines adulatores, quibus perturbatio regnorum adferre lucrum solet, & dedecus esse Morgano dicunt, ipsum, qui sit natus è seniore filia Regis, non dominari solum insulæ toti. ea motus oratione, statim animo concepit immensam regnandi cupiditatem. in ius fratris, dominiumque contra pactam diuisionis fidem hostiliter inuadit. Cuneda vim vi, & arma fortiter armis repellit. fratrem cogit in fugam vsque ad eum pagum Cambriæ, qui ab eius internecione, Morganus appellatur. Itaque solus rerum potitus Cuneda tribus annis, & triginta gubernat. Marti templum, flaminemque
in

in Merchia; Mineruæ templum in Cambria;
Mercurio templum in Corinuallia, vbi natus
erat, constituit. attamen mortuus, sepelitur
Londini. Eo defuncto, filius Riuallo fortuna-
tus adolescens, & Rex haberi posset felix, nisi
quòd illo imperante ceciderit è cœlo tribus
diebus continuis pluuia sanguinis, de qua mus-
cæ veneno plenæ nascebantur innunerabiles.
quarum morsu, contagióque secuta tanta cla-
des est, vt Britannia ferè tota populis deserta
esse videretur. Illud tamé est memoria dignum
18 quòd vrbem Romam ferunt conditam 18 à
Romulo ac Remo fratribus esse, cum iste Ri-
uallo Britannis imperaret; qui postquam annis
quadraginta sex, magna diligentia res admini-
strasset, vitam morte commutauit, & Eboraci
sepelitur. Succedit filius eius Gurgustius, rem-
publicam fortiter ab hostibus defendit, &
summa omnium ordinum quiete regnat annos
triginta octo. sed ebrietati nimium deditus, in
vitia tam horrenda prolapsus est, vt se fecerit
indignum Regis nomine, propter infamiæ ma-
gnitudinem ex huiusmodi criminibus publi-
cè contractam. mortui corpus Eboraci con-
ditur. Huic Sisillius frater, homo nulla re me-
morabilis in regno sufficitur. & hæc tempora
profectò fuerunt Principum malorum, quibus
temporibus iustitia legum, & veritas pacis à
Republica recesserunt. nemo iam ab oppri-
mendo vicino abstinebat. tot inde pugnæ,
tam innumeræ cædes quottidiè fiebant, vt
etiam per anfractus, & viarum compita sine
cuiusquam reprehensione homicidia com-
mitterentur. Quamquàm autem imperium
Sisillij miserum, & lamentabile iure merito di-
cebatur, tamen id administrauit annos qua-
dra-

draginta nouem, & mortuus, Bathoniæ sepeliebatur. Iago Gurgustij nepos ex fratre Sisillio, capit summam rerum, vir patruo peior, & moribus inquinatior. idcirco, tanquam Deo vindice, correptus morbo lethargico alienus à mente obijt anno imperij vigesimo quinto, sepultus Eboraci. Mortuo Iagone, fit Rex filius eius Chynemarcus, omnibus Principe dignis virtutibus exornatus. Summa cum pace, quam sequitur affluentia rerum, imperabat. præcepta legum, ad vtilitatem publicam priuatamq; pertinentium, diligentissimè ab omnibus seruari fecit. vbi quinquaginta quattuor annos regnauisset, diem obijt, & Eboraci tandem sepelitur. Tum filius ipsius Gorbodio creatur Rex, cui fuêre liberi duo, Ferrex, & Porrex, Britannorum imperio certissimæ pestes 19. nam cum eorum pater regnasset annos 19
sexaginta tres, & mortuus sepeliretur vrbe Londino, Ferrex annos quinque simul cum fratre rem bona pace regebat. postea cœperunt inter se de regno dimicare. Porrex imperandi cupiditate maiore pulsus aggreditur fratrem per insidias. quas cum ille percepisset, in continentem transmisit. Suardi Francorum regis auxiliaribus copijs adiutus, redit in Britāniam, & cum fratre pugnat fortissimè, licet ab eo tandem interficeretur. Quibus rebus cognitis Videna mater, quæ Ferrecem vehementer amabat, ita fuit commota, vt alterum filium, infausta sibi morte fratris victorem, ipsamet dormientem in castris, noctu adiuuantibus crudeliter pedissequis, obtruncans, per frusta plurima corpus eius dissecuerit. Cuius feminæ morum immanitate, feritateq; sic offensi sunt populi, vt eam neci dederint, seséque multis

cladibus ac bello ciuili miserandum in modum, perturbati diu, vexauerint. Hac pernicie no-
20 bilis illa Broti Prisci progenies, 20 cum in Britannia sexcentos, & decem annos feliciter imperasset, penitus extinguebatur: & totius insulæ populus deinde subiectus est quinque
21 Regibus, 21 dum fortissimus quisque Princeps diadema capiti suo imponere contendit, & alteri obedire recusat: sicut in ijs, quæ dicuntur Interregna, plerumque accidere solet. Horum, quasi tyrannorum, nomina non exprimuntur ab historicis, quos adhuc videre potui, licet ista Pentarchia durauerit annos quinquaginta, & vnum. videntur tamen hæ fuisse præcipuæ sedes Regnorum, ab extremis finibus insulæ Cantium, Corinuallia, & Albania. ex mediterraneis verò regionibus, Loëcria, & Cambria. Mulmutius Corinualliam, Piremes Loecriam, Rudacus Cambriam, Staterius Albaniam possedisse dicebatur.

LIBRI SECVNDI A BROTO AD MVLMVTIVM ANTIQVITATVM *Notæ.*

1. SECVTVS omen sui nominis. Similiter Clodius Albinus ioco nutricis, accepit etiam Porphyrij nomen, ex eo, inquit Iulius Capitolinus, quòd infans fascia matris purpurea ligaretur. hoc enim vnum erat inter alia multa signa imperij futuri. Sic βροτὸς, Græcè dictus, quasi mortem hostibus illaturus, aspirabat ad regni principatum. Nam ita prædicebatur, vt Virgilius lib. 6. Æneidos descripsit,

Lauinia coniunx
Educet syluis regem, regumq́ue parentem. fuit enim Syluius Posthumus ipse Rex, idemq́ue parens regum; nimirum Æneæ Syluij, Regis Latinorum, & huius Broti, Regis Britannorum. de quo mirari neminem oportet, si parcè loquuntur scriptores Latini, quandoquidem huius Broti mentio non pertinet ad historiam Romanam, quam illi litteris exprimere conantur. qua prudentia scribendi vsus est Publius Ouidius lib. 14. Metamorphoseon,

Successit Syluius illi,
Quo satus, antiquo tenuit repetita Latinus
Nomina cum sceptro: clarus subit Alba Latino,
Epitus ex illo.

vbi notat Henricus Glareanus, mirum videri duos Albanorum Reges omissos esse à poëta, Æneam Syluium, & Albam, quartum atque sextum. Itaque suspicatur ipse, aliquot omissa esse carmina, non rectè. quandoquidem hi duo prætermissi Reges, non multum pertinebant ad institutam Ouidij narrationem. propterea idem lib. 4. fastorum, non omisit Albam

Regem Latinorum recessere, cum esset iusta id faciendi occasio. Sic historici Romani non obliuiscuntur loqui de Brenno copiosè plurima, quæ ad cladem vrbis, reique Romanæ calamitatem spectant. Quam regulam historiæ scribendæ Gaufridus lib. I. c. 19. diligenter obseruans, Habita victoria, Brennus mansit in Italia, populumque inaudita tyrannide affecit. cuius actus ceteros, & exitum vitæ, quia Romanæ historiæ declarant, ego nequaquam, inquit, attingam, ne à proposito diuertam, & huic operi prolixitatem adferam. ita vir prudens de Broto singula demonstrat, quæ sui propositi sunt, nimirum ostendendi Regum Britannorum originem, atque ordinem succedendi. Sed Villichius operosè disputans, Celticam veterem linguam aut nihil, aut parum distare à Germanica, refert βρότον Græcè, significare panem Latinè. quod apud Græcos non memini vnquam legisse, nec ipse allegat me ad authorem, à quo possim hoc scire. satis recordor Louanij, quæ inferioris Germaniæ pars est, ista voce panem appellari. Memini quoque βρωτὸν significare comestibilem: atque βρωτον intelligi cibum. Longè tamen aliter Græci, Κλεόμβροτον vocauêre philosophum, qui gloriam ex contemptu mortis ambiuit: veluti quod in Platone legens de animæ immortalitate, semetipsum præcipitem è sublimi deiecit, vt illam æternitatem consequeretur. Præstat itaque nos manere in tradita disciplina historiarum de Broto, sic ab obstetrice nominato Græcè, quod in pariendo fuisset matri causa mortis, vt lib. I. Nota 38. recitaui. Et Philippus Bergomas lib. 4. confirmans, Brotus Syluij Posthumi Latinorum Regis filius, inquit, ex Lauiniæ matris nepte susceptus, nascendo eam occiderat. Sed ista Cambdenus non libenter audit, & producit Ioannem Abbatem Sancti Albani, qui vixerit anno post Christum natum 1440. scripseritque totum processum de

de Bruto poëticum potius, quàm historicum esse. quippe Siluius Postumus de quo intelligit Gaufridus, erat filius Æneæ, inquit, ex vxore Lauinia, filiumque alterum Æneam generans anno sui regiminis 38. morte naturali, non occisus à Bruto, vitam finiebat. Non igitur, ex Bruto Siluij filio, inquit, hæc, quę iam vocatur Anglia, fuit olim dicta Britannia. Sufficiat Britannis pro nobilitatis origine, quòd sint fortes, & in prælijs potentes, quódque suos aduersarios debellent, nec vllum penitus iugum seruitutis patiantur. Id quod ab eo dictum de morte naturali Siluij, libenter amplector, nihil probabile videns de patris interfectione, neque de Broti propter id abdicatione; neque quod Siluius susceperit Aeneam Siluium anno sui Regni 38, qui non imperauit vltra 29. neque quòd à Broto dicatur Britannia, licet Zirixæus, à Bruti nomine Britanniam, quasi Brutanniam vocet. neque sanè probo, quod addit Cambdenus sub Gildæ nomine, quosdam dicere, Brutum hunc fuisse consulem Romanum, inde Siluij, demum Hessicionis filium. quum benè sciat nomen Bruti Romæ incognitum fuisse ante Reges eiectos, & ipsam vrbem opinione communi nondum conditam extitisse, vt dixi lib. 1. Nota 34. Sed hi cum tot erroribus, tamque varijs, efficere conantur vt è mentibus nostris personam Broti tollere possent, prorsus arte simili; quam Seruius ad lib. 7. Aeneidos exprimens, Ancyle, inquit, scutum est breue, quod regnante Numa de cœlo lapsum est. & quia data sunt responsa: Illic fore summam imperij, vbi esset istud scutum: certè ne quis posset hoc agnoscere, per Mamurium fabrum Romani multa scuta similia fecerunt, adeo vt quodnam istorum sit verum Ancyle, deinceps nesciretur.

2. QVI eam Chaoniam. Idem Seruius ad lib. 2. Æneidos, Helenus apud Arisbam, inquit, captus à Græcis, indicauit per vim sibi ab eis illatam, fata Troiana, in quibus erat & Palladium: vnde dicitur à Pyrrho regna meruisse: quamquam præstiterit bene-

 ficium

ficium Pyrrho, prædicens ei Græcorum naufragium, vt ipse rediret per terram, ac ita periculum mortis euitaret. Tunc Diomedes & Vlysses accepto indicio Heleni: seu cuniculis, seu cloacis ascenderunt in arcem Troiæ: occisisque custodibus, sustulerunt hoc simulachrum Palladis. Deinde habens Diomedes illud, & sibi credens non esse aptum; propter sua pericula, transeunti Aeneæ offerre conatus est. Sed cum se ille velato capite sacrificans conuertisset, Nautes quidam accepit: vnde non Iuliorum ab Aenea descendentium, sed Nautiorum familia Romę habuit sacra Mineruæ. Alij dicunt hoc simulachrum à Troianis esse absconditum intra extructum parietem, postquam agnouerunt Troiam perituram: & deinde bello Mithridatico, à Fimbria quodam Romano indicatum, Romam esse auectum. Et cum responsum esset, Ibi futurum imperium, vbi & Palladium; adhibito Mamurio fabro multa similia fuisse facta: sed verum (inquit Seruius) Palladium agnoscitur hastæ, oculorumque mobilitate. atque ab vno tantùm sacerdote agnoscitur. Dicunt alij vnum simulachrum cœlo lapsum apud Athenas: rursus alij volunt esse duo. vnum quidem hoc, de quo diximus, & aliud simulachrum, esse illud Atheniense. Quid in tanta varietate sequitur ipse Seruius? vnum scilicet esse Palladium, asportatum Romam, & Helenum accepisse partem regnorum Pyrrhi propter supradictum beneficium euitati naufragij. Nam ad lib. 3. Aeneidos, vbi Virgilius

Littora, inquit, *Epiri legimus, portuque subimus*
Chaonio, & celsam Butroti ascendimus vrbem.
Morte Neoptolemi hic, regnorum reddita cessit
Pars Heleno, qui Chaonios cognomine campos,
Chaoniamque omnem Troiana à Chaone dixit:
Et paruam Troiam, simulataque Pergama magnis
Exstruxit: Seruius notat, Helenum fuisse vaticinatorem; qui mortalibus deorum mentem publicat. Omnis enim diuinatio (teste Cicerone) in duas par-

tes diuiditur. Nam aut furor est, vt in vaticinantibus; aut ars, vt in aruſpicibus, fulguratoribus, & auguribus. quæ omnia ex ſe pendent, licet proprijs finibus contineantur. Virgilius autem dat ei omnia, inquit Seruius, quem vult intelligi perfectum, vt Helenum. Fuit autem iſte mos Regum non habentium legitimam vxorem, vt aliquam captiuam pro legitima haberent. Sic & Pyrrhus Hectoris Andromachen habuit, & ex ea Moloſſum filium ſuſtulit. deinde cum Hermionen Menelai & Helenæ filiam, iam Oreſti deſponſatam, vellet vxorem ducere, in templo Delphici Apollinis occiſus eſt. Sed moriens præcepit, vt Andromache daretur Heleno propter beneficium ſalutis ſibi prædictę; ac inſuper pars regni daretur Heleno in Epiro, quæ pars Moloſſia nominabatur, donec ab Heleno, Chaonia diceretur, à Chaone fratre ſuo, quem ipſe imprudens in venatione interemit. Sicut igitur Aeneas per aërias Phæacum arces, quę ſunt in Corcyra inſula, poſita inter Epirum, & Calabriam, veniſſet in Italiam; ſic inde receſſit Brotus ad Epirum, regionem Græciæ: donec per aliquot ſpacia temporum ibi degens, reliquias Troianorum collectas è ſeruitutę liberaret. quibuſcum abięns perrexit ad Legerciam inſulam, quæ a piratis deuaſtata non incolebatur, ibique factis Dianæ ſacrificijs (vt ait Gaufridus lib. 1. c. 7. & 8.) profectus eſt ad aras Philacnorum, ad oppidum Ruſicadam, quo loco maximum etiam à piratis ſentiens periculum, euaſit tandem victor, & ſpolia ampla reportauit. Inde per Maluam flumen tranſiens ad Mauritaniam, egreditur nauibus, & rerum victualium penuria coactus, agros latè populatur. Interim refectis claſſibus, ad columnas Herculis peruenit, ac deinceps per Oceanum nauigando, tandem ad oſtium Ligeris appuliſſę narratur in Gallia Celtica, qua Gopharius imperium habebat. Sanè quidem Amandus Zirixæus his rebus adſentiens, Phranicus, qui & Laodamus appellatur, poſt Rhemum, inquit, ſocerum regnat annis ſexaginta

duobus, & filio ex istis nuptijs suscepto dedit nomen Sicambri, ab vrbe Sicambria, quæ nunc dicitur Buda, quam ædificauerat in Pannonia, quæ nunc vocatur Hungaria, quò se recepit Phranicus vt lib. 1. dicebam ex Gallia Celtica, propter vicinitatem Heleni, qui cum vxore Hectoris Andromacha, partem regni habuit à Pyrrho Achillis filio, & seruatus à morte fuit propter ipsius sapientiam singularem.

3. AD Legerciam insulam. Hanc Philippus Bergomas lib. 4. Leogræciam vocans, Brutus ex Italia, inquit, prosilijt, ac in Leogræciam abijt. ibidemque responsum accipiens, Sibi deberi externi occidui Regni insulam, confestim inde dilapsus est, & ad mare Tyrrhenum venit, vbi Corinum ducem exulem vnà cum quattuor stirpibus Troianorum inuenit, quem accepit in auxilium contra Gopherium Regem Aquitanorum. sic enim vocat eum, qui Gaufrido dicitur Gopharius Rex Picthus, & cum Pictauensibus redijsse contra Brotum; qui quidem Pictones Aquitaniæ populi sunt, & Gaufridus Brotum dicit venisse ad Aquitaniam, & in ostio Ligeris anchoras fixisse, quo sensu Neubrigius lib. 2. c. 10. Comes Pictauiensis, inquit, est idem, qui & dux Aquitanus. Nam est Liger fluuius Celtarum nobilis, qui Heduos à Biturigibus diuidit, & non procul à Pictonibus in Oceanum Britannicum influit. Propterea Natalis Talipes lib. 2. c. 19. Princeps magnæ famæ Brotus, inquit, filius Siluij Posthumi Regis tertij Latinorum ex Lauinia secunda vxore Æneæ, dum nouas ad habitandum sedes quæreret, per mare venit ad Galliam Armoricam, & ingressus per Ligerim fundauit nomine Troiæ vrbem vocatam Troiamfixam; deinde pergens ad Namnetes ascendit per eundem fluuium vsque ad eum locum, quo nunc est ciuitas Turonum, ab eius nepote Turno sumens appellationem. nam in hac insula de qua nũc agimus, oraculũ audiuit Brotus sibi per Gallica regna trãseundum in Britanniam; credo, quẽadmodum Aborigines ex ea continente in illam insulam transiuerunt. Certè

Gau-

Gaufridus precationem Broti commemorat hanc:

Diua potens nemorum, terror syluestribus apris,
Cui licet amfractus ire per æthereos,
Infernasque domos; terrestria iura resolue,
Et dic, quas terras nos habitare velis.
Dic certam sedem, qua te venerabor in æuum;
Quà tibi virgineis templa dicabo choris.

Hoc carmen nisi nouies dixerat Brotus, cum videret Dianam. sed Circe lib. 14. Metamorphoseôn Ouidij,

Ter nouies carmen magico demurmurat ore.

Diana verò amicè comparens in somno, blandeque respondens,

Brote, sub Occasum solis, inquit, *trans Gallica Regna,*
Insula in Oceano est, vndique clausa mari.
Insula in Oceano est, habitata Gigantibus olim,
Nunc deserta quidem: gentibus apta tuis.
Hanc pete; namque tibi sedes erit illa perennis;
Hæc fiet natis altera Troia tuis.
Hic de prole tua Reges nascentur: & ipsis
Totius terræ subditus orbis erit.

Quod oraculi genus negat Franciscus Belleforestus ratione versuum Latinorum sapere antiquitatem, oblitus eosdem versus per interpretem Gaufridum factos esse Latinos ex Britannicis. sufficit hunc fuisse sensum Oraculi, quibuscumque tandem verbis proferebatur. Magis ego putassem dicturum Belleforestum id oraculum esse falsum, quia Britanniam desertam vocat, nisi quod intelligatur tunc fuisse deserta quidem à Gigantibus, qui olim ipsam habitauissent à prima sui origine, vt libro primo demonstraui.

4. PALAESTRITA. Luctatio, quæ dicitur Latinè, à corporis agitatione παλαίστρα Græcè nominatur, quibus exercitijs qui se exercent Palęstritę vocantur. Luctari autem propriè significat id, quod est, Lucta

contendere; veluti, quum duo se complectentes inuicem, alter alterum in terram deijcere conantur. Inde Luctatio est ludus, quo alius alium nititur in terram prosternere. quod genus certaminis, vnum est ex Græcorum pentathlo; & veterum per hos comites Corini, fuit denique importatum in Britanniæ regionem, quam dux eorum occupabat, & in qua Rex Cuneda templum postea dicauit Mercurio, quòd is esset, Palęstræ Deus, vt Seruius ad lib. 4. Æneidos scribit: hanc verò regionem Gaufridus Coriniam, à Corino palæstrita, vt ait Ioannes Lelandus, appellauit. Quæ cum antè diceretur Gallia, deinceps Coringallia, non Cornugallia, vt Polydorus credit, vocabatur. Nam antiquissimus ille videtur mendosus fuisse codex annaliū, in quo scriptum inuenit ille, non Cornubia, sed Cornugallia; tanquam inde nomen loci compositum esset, nimirum a cornu, cuius ista regio formam habet, & à Gallia, ex qua primos incolas accepisset. non enim ex Gallia migrauerunt homines ad has oras, sed ex contrario (inquit Cambdenus) Gallorum Britannia maritima nominatur ab insula; & eadem vtitur lingua, quæ propria est Cornubiensium, ex quibus eò transmigrantibus nomē acceperunt Cornuallensium, vt nunc vulgus vtrosque populos vocat; Nam hi Britanni occidentis cum auxilia subministrarent populis Armoricis Galliæ, quoties bellum in Iulium Cęsarem mouerent, vnde causam ipse sumpsit instituendi Britannici belli, toties plerique illò commigrantes manebant, mutatoque nomine postea regionem dixerunt Britanniam minorem, quæ contingit Gallias, ad differentiam (inquit Bergomas) maioris Britanniæ, quam vocamus nunc Angliam. Idcircò Gemma Phrysius de orbis diuisione c. 3. Britanniæ huius, inquit, sub qua est Turonia, mentionem facit etiam Plinius. Et cum auxilia rursus ab insula exirent subministrata Britannis Armoricis, popularibus suis, contra Francos superioribus seculis in bello Danico, inquit Cambdenus, nonnulli concesserunt ad has oras, & nomen

recen-

recentius Cornualliç reliquisse creduntur populis ijs, quos Cæsar appellat Curiosolitas, & hodiè plurimi existimant esse Corisopitenses; quorum ciuitas est Episcopalis, vt ait Marlianus, in prouincia Turonensi. Sanè quidem Corinuallis insulæ populis, Corinus pręstitit ludos cæsticos eodem modo celebratos, quo Thrasea Poetus instituit Patauij, vnde ortus erat, diutissimè postea. sed Imperator Nero tantæ celebritatis æmulus, Thraseam, vt Cornelius Tacitus lib. 16. narrat, habitu Tragico in eisdem canentem iussit occidi.

5. PARES Franciç Post Phranicum vtriusque, tam Britanniæ, quàm Galliæ monarcham, incepisse videtur quædam ἀριϛοκρατία vt ait Talipes, ex Regno Galliæ. quippe Gaufridus, Tunc erant duodecim Reges, inquit, ac Principes Galliæ, quorum regimine tota patria, pari potestate regebatur. Et Iudocus Badius in suo indice ad Gaufridum, Reguli Galliæ duodecim, inquit, etiam Pares dicuntur. Sed Villichius, Tarquinio Prisco Romæ regnante, inquit, Celtę, quorum imperij summa penes Biturigas fuit, Ambigatum designauerunt Regem Celtarum. qui, quòd in Gallia excreuisset infinita hominum multitudo, quęsiuit nouas sedes, quas dij augurijs demonstrassent. Itaque Bellouesum, & Sigouesum suæ sororis filios elegit duces: atque Sigoueso dati sunt sorte, vt ait Liuius lib. 5. saltus Hercinei. Certè Paulus Æmilius lib. 1. de sex istorũ duodecim locutus, Francia, inquit, ad vnum coit, quę fuerat dissecta in tot veluti mẽbra, vt propè nomen ipsum sublatum esse videretur. veteres enim Reges secundum Clodoueum, alij ita sortiti erant alia Regna, Parisiense, Rhemense, Suessionum, Mediomatricum, Burgundionum, & Aquitaniæ, vt illa finibus ambiguis, hęc postrema duo finibus multò incertioribus cognoscerentur. omnes tamen, Reges Francię vocabantur, primis tantummodo maiestatis partibus, concessis Parisiensi: verumtamen bellis

ma-

Magistrorum equitum exortis, omnes adrogabant sibi parem maiestatem. Semper autem Parisiense, vocabant Regnum, idemque Neustrię, quę postea fuit Normania ex maxima parte: donec Pipinus victor vniuersam Galliam moderaretur. Idem rursus lib. 2. Tassilloni Pontifex aqua & igni interdixit; & eundem Rex reuocauit ad iudicium Procerum. nondum enim, inquit Æmilius, compares Francię, Duces, Comitesque erant eo, quo nunc sunt, ordine, maiestateque. loquitur autem de ordine iudicandi, condemnandique sontes. nihilominus antea fuisse ipsos apertè confitetur. Quorum origo probabiliter ab Ægypto descendit. Nam, vt ait Diodorus Siculus lib. 2. c. 2. Sabaccus Æthiops restituto Ægyptijs Regno, quod administrauerat, in Æthiopiam redijt. At illi, duobus annis sine Rege viuentes, rebus omnibus turbatis ad ciuilia bella peruenerunt. Duodecim igitur ex maioribus duces, loco Regis præficiuntur, quibus omnis cura Regni permissa est. Hi conuenerunt in Memphi ad commune consilium, quo imperium exercebant. Cum administrassent annos quindecim, vno animo concordique, tanquam Rex ipse, decreuerunt, vt sibi commune sepulchrum ædificaretur; quo post obitum fruerentur gloria communi, sicut in vita, vno communi consensu, & pari honore Ægyptum gubernassent. Sed in Gallia hi duodecim postea redacti sunt, vt ętate veterum Druidum, in sacerdotes, & equites, qui, dum bella geruntur, interessent. Nam eo pertinere videtur, quod Gaguinus lib. 4. Carolus, inquit, Magnus, fidei Christianæ charitate adductus, exercitum parat in Hispaniam: prius tamen, quàm expeditionem faceret, rem tanto principe dignam ordinat. Ex omni præcipua Francorum nobilitate, duodecim elegit quos secum in militiam produceret; eos Pares appellans, quòd ęquali scilicet inter se dignitate, Regi constantes perpetuò forent; neque cuiusquam, nisi Parlamenti tantum Senatus iudicio tenerentur obnoxij; quique conseruandis, atque coronandis Fran-

eorum Regibus adessent. Hi designantur etiam nunc, inquit Gaguinus, nominibus istis: Rhemensis Archiepiscopus, Laudunensis, atque Lingonensis, Episcopi Duces: Bellouacus, Nouiomēsis, Cathalaunensis Episcopi Comites. Ex Principibus Laicis, Burgundus, Normannus, Aquitanus Duces; Flandrensis, Tholosanus, & Campanus prærogatiuam Comitatus obtinentes. Sed fortasse, quia Carolus Caluus primum Comitem Flandriæ instituisse fertur, Pontacus in sua Chronographia dicit, hodiè sex Laicos Pares pro arbitrio Regum commutari. Certè Britannia Paribus huiusmodi Principibus non caruit. quippe Cambdenus in Siluribus, Iustinus Morganiæ Regulus imperante Gulielmo Rufo, inquit, cum à Rheso Principe suo defecisset, viribusque minimè par ei fuisset, præcipitato consilio, Robertum Fizamonem Normanum Haimonis Dentati Comitis Corbulensis filium, sibi accersiuit in auxilium. Qui statim habito delectu, adscitisque in societatem belli, duodecim viris Equestri dignitate præditis, interficit Rhesum; ac fertilitate regionis adductus, in Iustinum ipsum conuersus, auita possessione facilè illum exuit; regionemque partitus, vberiores agros sibi, & duodecim illis, quos Pares vocauit, ea lege diuisit, vt eos à se quasi domino, iure clientelæ tenerent, ac sese inuicem tuerentur mutuis, socijsque, & auxiliaribus armis.

6. LITTVS Britanniæ Totenesium. Idem Cambdenus in Danmonijs, Ab ostio Plimi fluminis, inquit, versus Austrum, est vetustum oppidum Totnes, quod in decliui montis ab occasu ad ortum propendet, & olim magno honore floruit. Ab hoc oppido littus vicinum, fuit olim dictum Totonesium, Brutumque illum Britannæ gentis authorem, ad hoc littus appulisse Britannica monstrat historia, quam Hauillanus, vt poeta, secutus

Inde dato cursu, inquit, *Brutus comitatus Achate,*
Gallorum spolijs, cumulatis nauibus, æquor

Exarat,

Exarat, & superis, auraque fauentibus vsus,
Littora felices intrat Totonesia portus.

Achatem, vocat Corinum, de cuius fabulosa colluctatione cum Gigante Goëmago, quia credere non libet, inquit Cambdenus, nihil dicam, nisi vnum & alterum versum ex Architrenio de Gigantibus:

Quos, auidum belli robur Corinæus Auerno
Præcipites misit, cubitis ter quattuor altum
Goëmagum, Herculea suspendit in aëre lucta,
Anthæumque suum scopulo detrusit in æquor.
Potauitque, dato Thetis ebria sanguine, fluctus,
Diuisumque tulit mare corpus, Cerberus vmbram.

Scopulus verò ille, de quo Gigãtem detrusum ferunt, est collis inter hoc oppidum, & oceanum interiectus: cuius summitate, quæ sternitur in planiciem amænissimam, prospectus vndequaque gratissimus patet, & ad vsum nauigantium index nauticus, qui vulgò compassus appellatur, longè pulcherrimus est erectus. Nunc autem nihil causæ video, propter quam displiceat Cambdeno, credere luctam Corini cum eo gigante, quandoquidem & Corinus erat insignis Luctator, à quo gens illa, Corini etiam dicebantur, licet ipse nolit id nomen à Corino Broti socio deduci; & gigas vir talis fuit. nam antiquus poëta, præter Gaufridum,

Pars Corineia datur Corino, inquit, *de quo Duce nomen*
Patria, deque viro gens Corinensis habet.

Deinde Caius Londinius rationem adfert de gigante. Si aliquis vnus, inquit, vt Golias, Polyphemus, & Goëmagotus (quem sic vero nomine appellatum, & duodecim cubitorum fuisse Gaufridus lib. 1. c. 9. scribit) ceteris maior videbatur, id euenire tum solebat, cum luxurians natura parentum, vberiorem consueto more copiam materiæ, ac maiorem vim formæ subministrasset.

7. Ad

7. AD Tamisin. Humfredus, ad vrbem Dorcestriam, inquit, Tama fluuius in Isidem exonerat se, ac inde nomen Tamisis coaluit. Et Cambdenus in Dobunis, hanc vocabuli compositionem dicit, eum obseruasse primum, qui Historiarum Eulogium conscripsit; & adfert carmina ex Poemate, quod inscriptum est, de Tamæ, & Isis connubio, nimirum hæc, quasi conuentionem in manus exprimentia.

Hauserat intereà sperati coniugis ignes
Tama Catechlaunûm delabens montibus; illa
Impatiens nescire thorum, rupturáque gressus
Accelerat, longique dies sibi stare videntur,
Ambitiosa, suum donec præponere nomen
Poßit amatori.
Cernitur vt tandem Dorcestria prisca, petiti
Augurium latura thori, tunc Tama resurgit,
Nexa comam spicis, trabea succincta virenti;
Auroræ superans digitos, vultumque Diones;
Pestanæ non labra rosæ, non lumina gemmæ,
Lilia non æquant crines, non colla pruinæ.
Vtque fluit, crines madidos in terga repellit;
Reddit & vndanti legem, formamque capillo.
En subitò frontem placidis è fluctibus Isis
Effert, & totis radios spargentia campis,
Aurea stillanti resplendent lumina vultu:
Iungit & optatæ nunc oscula plurima Tamæ.
Mutuáque explicitis innectunt colla lacertis
Labra ligant animos, connexu brachia pallent.
Tandémque in thalamos vnos descenditur vnà;
Amplior vnito consurgit, & vnus amore
Lætior exultans nunc nomine Tamisis vno,
Oceanumqúe Patrem quærens iactantior vndas
Promouet.

Ad hoc flumen, opidum, Lugdon situm, amplificauit ædificijs tot, & tantis Brotus, vt Troia noua, quemadmo-

admodum Gaufridus lib. 1. c. 10. & Caius lib. 1. scribunt, appellari meruerit; & eius populi Ptolomæo Trinoantes dicerentur, quos tamen Iulius Cæsar Trinobantes vocat. Quocirca non æquè probabilis, inquit Cambdenus, est illa coniectura sciolorum, qui Trinobantes ambitiosè deduxerunt à Troia, quasi Troiam nouam incolentes. Ex contrario Humfredus, & Broti ad insulam aduentum, & Britannicæ historiæ authoritatem multis in medium adductis rationibus, ac testimonijs confirmat, meritóque irridet eos, qui, quòd Bruti huius nomen in historijs Romanorum non inueniunt, talem personam in natura rerum fuisse audacter negant. quasi verò populus Romanus extitisset, aut Latini populi nomen eo tempore non obscurum fuisset, quo Brotus ex Italia in Græciam nauigabat. præter infinitè plura, & multo maiora, quàm erat Broti discessus, ab historicis Romanis prætermissa, & æternæ obliuioni tradita negligenter. Ego Brutum cum Troianis suis in Britanniam venisse, ac priorum incolarum, suorumque imperium suscepisse credo, inquit Humfredus; & a me procul absit hoc facinus, vt sacratissimę Antiquitatis maiestatèm aliter sentiendo, contemnam. Primò igitur contra Cantium ex altera parte Tamisis sunt Trinouantes, quorum Princeps Mandubratius Iulium Cęsarem vocauit in Britanniam, vocatumque suis copijs adiuuit. denique in Italiam, & Thessaliam vsque, illum secutus est. Horum ciuitas à Broto condita, inquit, Troia noua dicta est: quamquam sunt, qui dicunt Trenouantum esse, vrbem Nouantum, quoniam tre, Britannis esset idem, quod, vrbs, Latinis est. postmodum à Belino Rege ibidem commorante, Palatium Belini vocabatur. vltimò ciuitas Luddi Cassuellani fratris appellabatur, quòd is eam mirum in modum ædificijs ornauisset. Hæc Humfredus de Trinobantibus multa contra Polydorum Virgilium peracutè scribens.

8. Tres postea regnum diuidunt. Historici nostri antiquissimam, inquit Cambdenus, Britanniæ

diuiſionem fuiſſe contendunt, quæ fit in Lœcriam, Cambriam, & Albaniam. id eſt. vt explicatius dicam, in Angliam, Vualliam, & Scotiam. quæ partitio nuſquam in authoribus bonis apparuit ante Gaufridum Monumethenſem lib. 1. c. 11. fabula enim conſtare non poterat, niſi tres filios ille progenuiſſet è Bruto, Lœcrinum, Cambrum, & Albanactum; eo quòd totidem gentes, cum ipſe viueret, in Britannia florerent. Nec dubitant aliqui, plures eum liberos fuiſſe procreaturum ex Bruto, ſi plures diuerſæ gentes eo tempore in Britannia extitiſſent. Hæc ille, ſatis imprudenter. Nam Gaufridus in principio ſui operis ait, Britanniam inhabitari à quinque populis, Normanis, Britannis, Saxonibus, Picthis, & Scotis. neque tamen quinque liberos Bruti nominat. quin immo, quartam partem inſulæ Corino manere demonſtrat, & ad filiam eius Vendoloenam Lœcrini vxorem pertinere iure patrimonij. & Polydorus Vergilius lib.1. Cornubia olim, inquit, digna per ſe fuit, vt in quarta parte inſulæ haberetur, cum propter linguæ diſſimilitudinem, tum quòd primos eius habitatores, qui venerant cum Bruto, accepiſſet. Igitur multo prudentius de Gaufridi opere toto iudicauit, poſtquam legiſſet illud frequenter, Iudocus Badius. Agnoſces, inquit ad Lectorem, aut meram antiquitatis integritatem, aut illius ſeculi admirandam cùm in nominibus, rebuſque fingendis; tum veró in temporibus ſupputandis calliditatem. vtcumque cenſueris, penes authorem ſit fides. Quis autem fuerit author ille, neſcitur. quippe Gaufridus eſt merus interpres Latinus hiſtoriæ, de ſermone Britannico traductæ, vt lib. 1. Nota 38. demonſtraui. Cui quidem hiſtoriæ quanta fides haberi debeat, in Epigrammate ad Iuonem Cauellatum Iuriſconſultum oſtendit, idem Iudocus Badius, vir eruditione præſtans.

Iuo lubens, veterum, inquit, *legi monumenta virorum,*
In quibus, hiſtoriæ eſt gloria prima, Fides.

Atque ea doctorum mittenda sub ora, per orbem
Curaui. addidimus, sustulimusque nihil.

Cui consentanea scribit Philippus Bergomas lib. 4. Brutum, cum in Britannia sibi mansionem elegisset, euestigio secus Tamisis fluuij ripas condidisse Trinoantem ad veteris Troiæ memoriam retinendam, vrbem munitissimam, & feracissimam omnibus copijs ad humanæ vitæ sustentationem necessarijs. Hunc quoque Brutum genuisse tres filios, Lœcrinum, Albanactum, & Cambrum, qui primò diuidebant insulam inter se. Lœcrino maiori natu, pars insulæ media obuenit. quæ & ab ipso postea fuit nominata Lœcria. Secundo filio Albanacto quarta pars insulæ contigit, quæ ab eodem Albania fuit dicta & nunc Scotia vocatur. Cambro denique tertio filio Cambria dabatur. Equidem credo Philippum Bergomatem dixisse Scotiam esse partem insulæ quartam, respectu Cornualliæ quæ per se semper præcipua stetit. Sed à Scotia sub nomine Albaniæ, Pontacus vocat Innocentium Primum Pontificem maximum Albanum, siue Scotum: qui tamen in Breuiario Romano vocatur Albanensis, tanquam ortus in Italia. nisi quis defendere Pontacum velit eo, quod Gellius lib. 9. c. 4. refert Scythas illos, qui sub ipsis septemtrionibus vitam degunt, corporibus hominũ vesci & ἀνθρωποφάγους nominari. Prĉterea in vltima quadam terra, quæ dicitur Albania, gigni homines, qui canescunt in pueritia, & plus per noctem oculis cernunt, quam per diem. Nam apertè Cambdenus ait, Scotos quasi Scythas: sicut Ælius Spartianus in vita Caracallæ, Gotos, quasi Getas appellari, & Gisnerus in prĉfatione ad Albertum Crantium, à Scythis, inquit, gens Scotorum in Britannia descendit. quod ipsa morum feritas vetus ostendit. Nam Anthropophagi erant Scoti, vt etiam Scythĉ.

9. DIIS sacrificium velle facere. Idem Gaufridus lib. 1.

lib.1.c.12. narrat Lœcrini pugnã, & mortem, & pellicis occultationem sub terram, & ipsius accessionem ad eam sub specie sacrificiorum Dijs habendorum. quæ forsitan excusatio potuit euenisse de corrupta nunc disciplina Druidum, quam adolescens didicisset. nam Pomponius Mela lib.3. c. 2. scribit, Druidas solere, nobilissimos cuiusque gentis homines clam, & diu latentes in specu, aut in abditis saltibus multa docere. Veluti, quò fortiores ad bella procedant, ipsorum animas esse æternas, atque apud inferos alteram vitam agere. Itaque cum cremant igne homines mortuos, vel in terram defodiunt, rationes negotiorum, inquit, quę viui gesserunt, ordine conficiunt, ex eisque rerum creditarum exactionem etiam tanquam apud inferos faciendam, commendant. quorum aliqui sunt prędici tanta superstitione huius opinionis, vt in rogos etiam amicorum suorum, quasi deinceps vnà victuri quoque, se libenter immittant. Nusquam tamen Druides impudicitiam morum, aut deorum multitudinem docuisse feruntur: quę res Britannorum animos conuertit citius ad veritatem fidei Christianę amplectendam. sicut de iugo Romanorum Cambdenus ait. quamquam illud graue Britannis erat, tamen salutare fuit. nam vnà Britannis affulsit salutare Iesu Christi lumen, inquit, ac illius Imperij Romani clarissimi lux omnem barbariem ex Britannorum animis planè fugauit. Traductis namque Romanorum colonijs, & indigenis Britannis ad societatem ciuilis vitæ conuocatis, ita rem legibus temperarunt, & moribus excoluerunt, vt victu, cultuque Britannia ceteris prouincijs locum non concederet. ita magnificis operibus, ædificijsque instruxerunt, vt eorum reliquiæ, ruderaque, summam intuentibus admirationem iam commoueant. Et licet Paulus Æmilius lib.2. scribat Galliam, etiam antequam Christiana efficeretur, nunquam extitisse Christiani nominis hostem: quod nescio, inquit ille, an vlli alij genti vsu venerit: Cambdenus tamen ex Origine ad Ezechie-

lem c. 4. narrat, Britannos in fidem consensisse, atque viam sibi muniuisse ad Deum, per Druidas, qui vnum esse Deum semper inculcarunt. tum ex Tertulliano contra Iudæos refert, Intimas regiones Britanniæ, Romanisque inaccessa loca, Christum amplexas fuisse sua ætate.

10. ÆDIFICASSE Madanam. quæ nunc apud Stouerum vrbs Doncastria nominatur, & Vendolœna ponitur tertio loco post Brutum Regina, & filius eius quarto. Equidem scio Gaufridum scribere, illam viduam præclarè quindecim annos regnasse, quem & Zirixæus, & Chamber est secutus. quod non benè consentit cum educatione militari, pueri sub auo Corino, quam tamen idem Gaufridus narrat. quare cum ista mulier non mentita sexum, vt Semiramis, imperauerit, sed vt filij tutrix ætatem eius in gubernando adiuuerit, & Madanus in Catalogo Regum Britannorum tertius à Broto Rex numeretur, & à Polydoro Vergilio lib. 1. & à Philippo Bergomate lib. 6. videtur mihi, Vendolœnæ nomen ab ordine publico Britannorum Principum esse prætermittendum; & annos quindecim illam non regnauisse per semetipsam, sed quasi coadiutricem imperij filio extitisse, moresque feros illius, domestica consuetudine, consilioque mitigasse.

11. EBRANCUM. Vulgus contractè nominat hunc Principem Ebrancum, viri docti per secundam vocalem Latinam cum apostrophe. quæ quodammodo tollit eandem litteram, in proferendo celeriter, vsque adeo, vt nisi trium syllabarum dictio esse videatur. quod Itali non cogitantes, in quartam vocalem mutauerunt, ac pro Eberaco vrbe condita per hunc Regem, Eboracum: sicut pro Eduardo, dixerunt Odoardum. vnde Zirixæus, Ciuitas, inquit, Ebranci, nunc corruptè dicitur ciuitas Eboranci: sed Caius lib. 1. in Eueracum, & Eboracum commutatur nomen, inquit, quod veteres Angli, Saxonesque retinent Eberuici. quodque vnà cum Humfredo recitat Cambdenus, neque

quæ tamen iste definit in quintam vocalem pertrahere. Non mihi persuaderi patiar, inquit, aliunde Eburacum deductum, quàm ab Vro flumine, vt significet vrbem ad Vrum positam. nam ita Eurouices Galliæ populi ad Eurum flumen in Normannia consederunt, sic Eburones Belgici, propè flumen Ourtum in diœcesi Leodiensi constituuntur. Vrus autem fluuius, qui nunc Ousa dicitur, à septemtrionis parte dilabens placidè in meridiem, amænissimam hanc vrbem intersecat. Hæc Cambdenus mouens omnem lapidem, vt à nobis personas hominum regentium auferat. Ebrancum Regem, inquit in Brigantibus, curiosa credulitas ex Eboraci nomine progenuisse videtur. hoc si putat esse verum, quamobrem Eboraci nomen contra fidem veterum numismatum, quæ producit; & contra librorum iuris ciuilis authoritatem l. 1. Cod. de rei vindicatione; & iuris canonici c. 1. in parte decisa Dec. de maioritate & obedientia; ex Eboraco in Eburacum, vt antè dixi, commutat? Cur Alexandri Nechami carmina de funestis euersionibus istius vrbis recitat in hunc modum?

Visito, quam felix Ebraneus condidit, vrbem.
Ciuibus hæc toties viduata, nouisque repleta,
Quid manus hostilis queat, est experta frequenter.

Quorsum in descriptione Scotiæ, ab Ebranco Britanno, vel ab Hetho Picto Edenburgum deducere, inquit, nihil esset aliud, quàm ineptire seriò. Sanè quidem Polydorus Vergilius id refert, oppidum puellarum vocans arcem Edemburgi. cui adstipulatur Stouæus. & Humfredus, Edenburgum, Regia Scotorum, inquit, ab Eboraco Britannorum rege condita, Castellum montis Agnetę vocatur. & Philippus Bergomas, vrbes, inquit, multas condidit Eberaucus, 25. filios, & 30. filias genuit; & post Brutum primus in Gallias classem perduxit. Sed in hoc numero vigintiquinque filiorum, puto mendum esse, cum Gaufridus & Stoueus, nisi viginti commemorent, quorum ego nomina, si-

 cut

cut triginta filiarum Eberanci ad orationem 3. nota 12. recenlui.

12. VIRIDE scutum. Celebre cognomentum hoc fuit in Constantio postea Rege, atque Constantini Magni patre. qui Constantius græcè Chlorus dictus est; non sine magna causa, vt iste Brotus Iunior, non sine rebus clarè gestis, nomen Viridis scuti reportauit, quas res Iacobus Lessalis in discriptione Hannoniæ copiosè monstrat; licet Polydorus Vergilius eas ignorauerit, ideoque satis frigidè de hoc Principe loquatur. Qui tamen belligerando peruenit ferè Argentoratum, crediturque Brotomagum condidisse, vrbem omnium primam, vt ait Marcellinus lib. 16. & vt Villichius, ipsum caput Vangionum, qui dicuntur hodiè Vuormacienses. Nec oportet moueri cognométo neutri generis, vt est Viride scutum; nam simile postea in Edmundo Rege, Ferreum latus vsurpatur. & sic Adrianus Imperator, nisi fallor, dictus est Corculum, à populo Romano blandiente suis erga bonum principem affectionibus. Neque viriditas ista significat aliud, quàm vigorem bellicum, licet Pausanias lib. 2. qui est inscriptus de rebus Corinthiacis, narret, in ęde Latonæ simulachrum esse, Praxitelis opus: eius, quæ deæ adsistit, virginis effigiem, vocari Chlorin. eam Niobes fuisse filiam, & ab initio nomen habuisse Melibœæ. Peremptis verò à Diana, & Apolline filijs Amphionis, de illo fratrum numero hanc Melibœan, & Amyclen, quòd solæ Latonam deprecabantur, fuisse seruatas; & Melibœam quidem præ terrore statim viridem factam. qui color, cum ei fuisset perpetuus, pro Mebibœa, sumpto ex euentu rei nomine, Chlorin appellari. Nam iste terror, qui coloris mutationem effecit viridem, incussus à dijs occidentibus, non ab hominibus bella gerentibus erat. nec propterea viridis color debet censeri, quasi quidam effectus terroris. quin imo, virtutis præmium fuit in hac ipsa narratione Pausanię, siquis rem diligenter attendat. salua enim facta fuit Melibœa, propter humilitatem in deprecando

eando Latonam. eaque, vt inquit poëta, virescit vulnere virtus: ac ille viror, vt in Meliboea, est perpetuus vigor; qui nullo colore perfectius, quàm viridi, potest vel natura, vel artificio exprimi. Quocirca cum elogium antiquum Mineruæ Tubæ, quod in agro Bononiensi adhuc videtur, interpretarer de Niobe, propter adiectum ei tanquam ænigmati, epigramma Agathij Scholastici, Thomas Euenus meus consobrinus Patauij, scripsit ad Lectorem morale carmen istud.

Elatam Nioben Phœbus, Phœbéque repreßit.
Sic elatus erit rebus priuatus opimis.
Esto humilis, sic summus eris. Submißio tollit,
Inque solo cœlum quærere, tuta via est.

Quam allusionem vltimi pentametri de quærendo Cælo in terra, quod solum dicitur, Robertus Secchamus Eques pietate ac eruditione insignis, summopere laudauit postea, dum in vrbe Senarum essemus: & repperi Pomponium ita locutum l. 21. digestorum, titulo Quod vi, aut clam. In opere nouo, inquit Iurisconsultus, tam soli, quàm cæli mensura facienda est.

13. BRITANNICÆ, Carleilam. Henricus Archidiaconus Huntedunensis in principio historię suæ, Britania, inquit, ciuitatibus viginti octo nobilissimis quondam florebat, præter innumera Castella, quæ muris, turribusque, ac portis etiam ipsa firmissimis instructa erant. Ciuitatum nomina fuerunt Britannicè hæc: Cairbrancum, id est, Eboracum. Cairchenta, id est, Cantuaria. Cairlunden, id est, Lundonia. Cairlerion, id est, Leicestria. Caircollon, id est, Colecestria. Cairgloue, id est, Gloucestria. Cairbristo, quæ est Bristollia. Cairguenta, quæ est Vuincestria. Cairgranta, quæ nunc dicitur Grantebrigia. Cairdauris, quæ est, Dorcestria. & vt veniam ad vrbem, qua de agitur in præsenti, Cairleila, id est, Luguballia. & Cairperis, id est, Porcestria, de qua dixi ad orationem 4. Nota 5. Cui consentit & Gildas, & Ranulphus, nisi quòd iste pauciores quam 28. vrbes numeret,

 & Caër-

& Caërleilam quoque Luguballiam, quemadmodum Gulielmus Neubrigius lib. 1. c. 22. nominet. Caius autem lib. 1. vocabulum Cair, inquit, murum significat Britannicè, nec attribuitur vrbibus, nisi muro septis. Aliter Cambdenus, apud Britannos, inquit, Caër significat vrbem, vt Caër Paris, Lutetia est. sic Punica lingua dicebatur Carthago, quasi Cartheia, id est, teste Solino, vrbs noua. Atqui Seruius ad lib. 1. Aeneidos, Carthago, inquit, à cartha dicitur, vt lectum est in historia Pœnorum. Cambdenus itidem Syris Caër significare vrbem dicit; à quibus cum totus terrarum orbis & incolas acceperit, tum & linguam quoque, tanquam rerum futurarum matricem habuisse, videtur. Sed hanc vrbem à Luco, quem fictitium Regem appellat, vt lib. 1. Nota 25. referebam, conditam initio fuisse nullo modo Cambdenus vult; immo neque Ptolomęum, eandem Lucopibiam, (vt est in libro meo satis antiquo) sed Leucopibiam nominare. verum autem loci nomen esse contendit Lugu-vallum, quòd in itinerario Antonini, dicatur Ad vallum. quæ Romanorum appellatio, de suo vallo militari, quod sub vrbe cernitur, non debet antiquam originis Britannicæ Lucopibiam extinguere, nec istam ex amplificatione, Carleilam. præsertim cum Archidiaconus Huntedunensis addiderit, eadem vrbium 28. nomina quæ recitasset, permansisse adhuc tempore Romanorum, & Britannorum. Quo magis admiror Cambdenum, cum in Coritanis ait, nō posse conijcere se, quale nomen Romanis temporibus habuerit Leicestria. Caer Lerion in Catalogo Nennij, existimo, inquit, vocari, sed Leirum fabulosum Regem construxisse, per me credat, qui velit. At ego didici communem opinionem vt in iure ciuili, sic in historia tutam esse. Cui opinioni communi, atque famæ, inquit Caius, standum esse, vbi certæ fidei deroget ipsa rerum vetustas, author est Titus Liuius, & pleriq; historici omnes. Nam quum dixissent quidam Alexandrum Seuerum à seruo suo proditum, non vicisse Regem Persarum,

sed

ſed ne vinceretur fugiſſe; Aelius Lampridius hanc ſententiam, more talium perpetuo negatiuam, refutans; Illi quidam, inquit, dicunt Alexandrum Seuerum etiam amiſiſſe ſuum exercitum fame, frigore, ac morbo, vt Herodianus autor eſt, contra multorum opinionem. Sed nos eundem Cęſarem viciſſe Perſas, milites reduxiſſe diuites, ludos Circenſes Perſicos inſtituiſſe, & in annalibus, & apud multos reperimus. neque dubium eſt, inquit Lampridius, his, qui plurimos auctores legerint, quin id, quod aliter dicitur, contra multorum opinionem dicatur. Cui conſentiens Iulius Capitolinus in Maximinis Cæſaribus, Herodianus Græcus ſcriptor, quantum videmus, inquit, plurimum ſcribit in odium Alexandri Seueri. Sic & Polydorum Vergilium Humfredus ait, vbique Britannos conuellere, gloriamque Britannici nominis eleuare verbis, & in ſuis libris Anglicæ hiſtorię maxima labe inurere, multaque ab his clarè geſta in bello, præterire ſilentio, quòd veriſimiliter inuidia & odio Britannorum laboraret. Quem Polydorum Caius addit, nimis errare licenter, ac ne aliquando intelligerentur errores ipſius, tot hiſtoricos libros Britannorum vetuſtos, & manuſcriptos immani ſcelere combuſſiſſe, quot ne quidem plauſtrum capere, ac ſuſtinere poſſet. Quæ cum ita ſint, ignorare Cambdenus non debuit Archidiaconum Huntedunenſem ſcripſiſſe Cairlerion, quæ eſt Leiceſtria, tempore Romanorum ſic appellari. Neque Polydorum Vergilium tanti facere, vt pro eo dicat, Cur Britanni adhæreſcant ſuo Bruto, id alij doceant. ego verò nihil video, quomodo ſuffulciam illum, quem Viues, Hadrianus Iunius, Buchananus, Polydorus, Bodinus, & alij magno iudicio viri coniunctis ſententijs denegant; & ex noſtratibus, quamplurimi eruditi, vt ſuppoſititium non agnoſcunt. Nam quòd primo loco ponit iudicium Ludouici Viuis, amplector eius prudentiam. quippe vir ille, Præceptor optimus Sereniſſimæ Reginæ Anglorum Mariæ, vocat eam in libris editis Principem Cambriæ, id eſt, Vualliæ. quæ

cur dicatur Cambria, nisi à Cambro Bruti filio, nullus historiam intelligens, facilè demonstrauerit. Et ego librum de ministerio sacerdotum habeo antiquè scriptum manu, Ioannis de Basinstocho Archidiaconi Leyrcestriç. qui author non apposuisset litteram. 17. nomini Archidiaconatus Leyrcestriç, si tunc ita prolatum ore hominum non fuisset. causamque Gaufridus lib. 1.c. 14. narrat, quòd ex nomine Regis, vocaretur Caerleir. Et Humfredus Ad Trentam, inquit, sunt Lerceitrenses, appellati, à Leicestria, quæ olim Caerleir dicebatur, cuius vrbis antiquitatem ipse Cambdenus fatetur, Cum illud verbum Cester, inquit, vetustatem locorum, quibus apponitur, planè testetur, quandoquidem Saxones non nisi vetustis vrbibus, aut castris ipsum addiderunt. Quod restat Broti nomen, ac veritatem historiæ Nota 1. suprà defendi, contra nouos homines. qui vanitate pari Seruium Honoratum possent reprehendere, cum ad lib. 2. Æneidos ait, Argiui à Danao rege dicti sunt Danai. nam Gręci propriè, sunt Thessali, à Græco rege sic appellati. etenim hunc Gręcum nomine, principem, à quo tota natio Græcorum appellationem ceperit, Regem æquè possent supposititium vocare; cum illius mentio frequens in historijs non habeatur: sed Plinius lib. 4. c. 7. scribat, eundem Gręcum fuisse, primum Regem illius prouinciæ, quæ Græcia nominatur. Carliolum autem oppidum situm esse, Polydorus scribit ad Edenam fluuium quem Ptolomæus Itunam vocat.

14. DOROBERNIAM. Idem Gaufridus, Annis triginta nouem, inquit, Rudibras regnauit, populum ex discordia ciuili deduxit ad pacem, condidit Caerchein, id est, Cantuariam, item Caerguen, hoc est Guintoniam, atque oppidum montis Paladuri, quod nunc Septonia dicitur. cuius murus dum ędificaretur, Aquila locuta est; qua de re lib. 1. Nota 38. dixi. Nunc Humfredus, vrbes visuntur mediterraneæ, inquit, Durobreuis, & Durouernum hæc dicitur Anglis Cantuarburia, quasi Cantuariorum Curia. quippe totius

An-

Angliæ, Cambriæque metropolis est. illa vocatur ab Anglis hodiè Roceltria. quas vrbes nomen accepisse ab aqua, quæ Britannis dur est, & Duryuernum, aquam ex alneto fluentem significare, ipse credendum existimat. Et Polydorus Vergilius ab hoc Principe Septoniam quoque conditam affirmans, dicit nunc ab incolis vocari Shaftesburiam. Quantam antiquitatem ægrè ferens Cambdenus, hoc oppidum, inquit, Saturno vetustius esse contendunt, quod Britannis olim Caer Paladur appellari falsò putant, cum ab Alphrido constructum, & monasterio Sanctimonialium exornatum fuisse certo sit certius, ex lapide antiquo in ruinis muri sic inscripto: Elfredus Rex anno Domini 880, & Regni sui octauo fecit hanc vrbem si dixisset, hanc ædem, videlicet Monialium, equidem citius credidissem Cambdeno, qui monasterium, vocat ædem. alioqui nulla necessitate demonstrationis, per hanc vrbem cogimur intelligere Septoniam. quandoquidem ille lapis vetus potuerit ex alia vrbe in locum illum transferri, atque sic aliam vrbem significare. Illud non omisero, quòd Stoueus in vltima editione Chronicôn, Regem hunc Rudibram cognomento Cicuberem vocet, neque tamen exprimat, quid eodem nomine significetur.

15. AB Athenis. Rursum Gaufridus, viginti annis, inquit, Badudus regnauit, vrbémque struxit, quę nunc Badus vocatur; in ea fecit calida balnea, mortalium vsibus idonea quibus præfecit numen Mineruæ; posuitque in eius æde ignes non extinguibiles. etenim in fauillas nunquam deficiebant, sed à quo tempore primùm incipiebant tabescere, vertebantur statim in saxeos globos. Hic ingeniosus admodum homo fuit, docuitque Necromantiam per Britanniæ regnum. Vnde corruptio venit in disciplinam Druidum. Nam vt ait Seruius ad lib. 6. Æneidos. Necromantia non potest effici nisi vbi loca sulphuratis, & calidis aquis scaturiunt. atque hæc ipsa Necromãtia, non fiebat sine cæso homine; quod Druides postea facere solebant,

vt lib.

vt lib. 1. demonstraui. neque desijt iste Rex etiam facere præstigia, donec alis sibi paratis, tentauerit ire per aërem, ac super templum Apollinis vrbe Trinouantum in multa frusta contritus ceciderit. Huic Iulius Solinus c. 24. consentiens, In Britannia sunt fontes, inquit, calidi, opiparo apparatu exculti ad vsus mortalium. quibus fontibus præsul est Mineruæ numen, in cuius æde ignes perpetui nunquam canescunt in fauillas, sed vbi tabuit ignis, vertitur in globos saxeos. Quæ Mineruæ prælatio fidem facit eius, quod Stouæus scribit, hunc Principem diu studuisse Athenis, indeque secum abduxisse quattuor Philosophos, qui scholas aperirent in Britannia eo loci, quo pòst vrbs dicta Stanphordia structa fuit, & quo vniuersi litterarum, artiumque studiosi magno numero vndecumque conuenerunt. adeo vt Iuuenalis Satyra 15. dixerit;

Nunc totus Graias, nostrasque habet orbis Athenas.

Et Caius Plinius lib. 30. c. 1. propter illicitas artes Magicas vsitatas in Britannia scripserit, Magiam esse transgressam quoque Oceanum, & ad inane naturæ peruectam honorari tantis quidem ceremonijs in Britannia, vt ipsa illam Persis dedisse, atque in ea te toti mundo, quamquam ignoto sibi, longéque distanti, consentire videatur. Polydorus Vergilius à Rege Badudo vrbem Bathoniam ædificari, balneisque fluentibus aqua tepida ornari fatetur; & id opus falsò à quibusdam Iulio Cæsari assignari, cum ille ad eum locum nunquam peruenisset. Ad cuius vrbis mœnia, inquit Cambdenus, cernitur inter alia peruetusta monumenta seculorum temporibus planè iam exesa, Herculis imago antiquissima, constringentis anguem manu. siue quòd Hercules eò venisset. nam facile potuit, nec à suo promontorio, de quo lib. 1. Nota 28. dixi, locus iste multum distat siue quòd Athenæus scribat, Herculi balnea esse consecrata, quæ sui natura scatent è visceribus terræ. Sanè quidem Græci, Palladem Herculi post labores exantlatos lauacra primum administrasse demonstrant.

16. QVAM-

16. QVANTVM habes, tantum vales. Iterum lib. 1. c. 15. Gaufridus, Cum in senectutem vergere, inquit, Leir cœpisset, regnum diuidere, filiasque tres suas idoneis maritis in manus cum parte regni benè gubernanda tradere cogitauit. Prius tamen ex amore singularum tentare voluit, quænam illarum potiore regni parte censeretur digna. Itaque Genorilla interrogata respondit, patrem sibi chariorem esse corde, atque anima sua propria, qua viueret. Regana dixit, ipsum super omnes creaturas se diligere. Cordeilla videns his adulationibus acquiescere senem, vicissim tentando quæsiuit, An vsquam filia sit, quæ patrem plus, quàm patrem, amare præsumat? Ego te semper vt patrem, dilexi & diligo. Si quid amplius requiris, audi signum amoris in te mei. Quantum enim habes, & quantum vales, tantum te diligo. Pater iratus, eam cum stomacho sic loqui putabat, quasi suam senectutem spreuisset. proinde dixit illam cum sororibus nullam in suo Regno partem habituram. & consilio Procerum Regni, duas primas nuptui dat, Corinualliæ, & Albaniæ ducibus, vnà cum parte media insulæ donec ipse viueret, & alteram dimidiam post obitum eius accipere iubebat. Quo tempore Francorum Rex Aganippus, fama motus pulchritudinis Cordeillæ, nuntijs missis eam petijt in matrimonium sibi dari. Quibus humaniter acceptis, pater ait, se daturum, sed sine terra, & pecunia. Aganippus, qui tertiam Galliæ (vt Zirixæus ait, Belgicæ) partem possidebat, virgine tam nobili sola contentus erat. Quam Polydorus Vergilius natura præcocis ingenij fuisse dicit, sed interrogatam de amore in patrem, respondisse; Se quidem illum in oculis ferre, semperque laturam, licet deinde contingeret, vt quempiam alium (de marito intelligens) amaret ardentius. Quo responso tametsi pleno sapientiæ Leir indignatus, indotatam nuptui collocat Regulo Gallo, inquit Polydorus, puellæ forma capto. Sed haud multo pòst à generis, eius mortem expectare, censentibus esse nimis longum, spoliatus regno,

ad

ad Cordillam fugere coactus est, à qua restituitur in regnum, & generis interfectis, triennium regnat. Hanc inter nouem bellicosas insulæ feminas numerat Gerardus Leghus. quarum prima est Vendolœna Lœcrini vxor, administratrix Regni dum filius eius Madanus esset minor annis. secunda Cordeilla virilis animi mulier, cuius pater Leir, filius Badudi (qui nimis infeliciter Icarum est imitatus) ex tribus cum quæreret affectionis magnitudinem, filia senior, Natura sum, inquit, docta summam patri reuerentiam, honorémque exhibere. idem altera respondit. cum venisset ad Cordeillam, Quantum habes, inquit illa, tantum vales, & tantum te diligo. Ex quo perspicuum fit, Polydorum malè mutasse responsum, quod Rex iam priuatus exclamat: ô Cordeilla, quàm verè respondisti, Quantum habes, tantum vales, tantumque te diligo. nam ego dum habui, quod dare potui, visus sum valere ijs, qui non erant mihi, sed donis meis amici. Verumtamen aliquis obijciet Aganippi nomen, incognitum authoribus esse. Cui ego respondeo non magis, quam Ambigati Celtarum Regis, quem tempore Tarquinij prisci vixisse scribit Villichius, vt superius Nota 5. declaraui.

17. POTESTATI vnius feminæ. vna femina dicitur ea, quæ regnat sola. quod erat nouum. quandoquidem Galathea cum Hercule marito; Vendolœna cum filio Madano regebat. & ipsa Cordeilla cum Aganippo coniuge reuersa in Britanniam copijs auxiliaribus, vt ait Gaufridus, patrem restituit ad regnum, & maritum amisit in insula; non, vti Polydorus narrat, amisso in Gallia viro, atque mortuo tandem patre, ipsa redijt in Britanniam, regnumque paternum iussu populi obtinuit. neque, sicut Gerardus refert, Cordeilla restituto patre rursus ex Britannia reuertitur ad maritum in Galliam: sed triumpho potita cum patre, atque coniuge, rebellibusque populis in ditionem receptis, & anno tertio postea mortuis patre & marito, ipsa mansit ad gubernaculum Regni sedés,

& illud

& illud pacificè per quinquennium, inquit Gaufridus c.16. tractauit, donec Morganus, & Cuneda filij sororum, defunctis parentibus iam duces, alter Cornualliæ, (sic enim Gerardus vocat) alter factus Albaniæ dux, indignati Britāniam femineæ potestati subditam esse, collectis militibus in Reginam surrexerint, nec à sæuitia, deuastatis prouincijs destiterint prius, quàm cum ipsa prælium commiserint, tandemque captam in carcerem posuerint, vbi propter amissionem Regni, dolore perturbata semet interfecit: & nepotes eius partiti Regnum, trans Humbrum versus Cathenesiam Morganus, ab alia parte fluuij ad occasum Cuneda sumpsit. Peracto sic biennio, accedunt hi, quibus placebat regni perturbatio, Morganoque dicunt, Turpe ac dedecus esse, ipsi primògenito, quòd insulæ toti non dominaretur. Quibus ille auditis exercitum ducit in prouincias fratris, & omnia vastat ignibus. Cuneda factò congressu fratrem propulit in fugam, & vsque prosecutus est armis, donec in pago interfecerit, qui ex ea re dicitur Morgania, inquit Humfredus, quòd ibi Morganus à consobrino suo Cuneda Lœcriç Rege ante bis mille annos occideretur. Hæc incumbens mari Sabrino, semper principibus suis rebellis esse solebat. postquam igitur suo vero, legitimoque principi nolebat obedire, iusta sententia Dei, rebellionem semper vindicantis, externorum hominum subire iugum compellebatur. Nam anno post Christum natum plus mille nonagesimo, cum Iestinus Gurganti filius, Morganiæ Regulus, Rheso Theodori filio Suthualliæ principi recusaret obtemperare, missóque in Angliam Enea filio Cediuori, (qui fuit olim dominus Demetiæ) vt milites conscriberet, atque magnum exercitum accepisset, duce Roberto Hamonis filio, Rhesúmque monte Nigro sibi obuium factum occidisset, alijs rebellibus ex Venta & Brechinia coadiuuantibus, Anglos milites soluto stipendio statim dimisit. At hi perspecta soli fertilitate, maximaque Cambrorum inter semetipsos discordia, sicut olim
Saxo-

Saxones ipsorum maiores fecerunt, arma conuertunt in Iestinum hospitem suum, & omni planitie, ac meliore parte soli facilè pellunt. Hamo autem dux eorum hoc totum, quod vocant, territorium diuisit inter duodecim viros Equestris ordinis, quos secum habebat, retenta sibi bona parte; qui tot Equites exstructis castellis accepta prædia iunctis viribus defendebant, eorumque heredes in hodiernum diem, inquit Humfredus, illa quietè possident. Iestinus verò sibi, suisque posteris vix montana seruauit. Horum duodecim parium, vt supra vocaui Nota 5. nomina sunt hæc, Gulielmus de Londre, Ricardus Granuille, Paganus Turberuilla, Oliuarius de sancto Ioanne, Robertus de sancto Quintino, Rogerus Berkerolus, Gulielmus Esterlingus oriundus è Germania, cuius posteri Stradelingi vocantur. Gilbertus Humfreuille, Ricardus Siuardus, Ioannes Flemingus, Petrus Sorus, Reginaldus Sullius. nam ita Cambdenus ex libello Eduardi Stradelingi Equitis Aurati describit, & Iustinum appellat eum, quem Humfredus Iestinum, sicut Iuonem quem ille nominat Eneam. Idem in Dimetis, Territorium, inquit, Kiduelli aliquandiu occuparunt filij Reiani Scoti, donec à Cuneda Britanno expellerentur. Nunc verò patrimonij Lancastrensis censetur per filiam Mauritij de Londre, qui è Morgania mouens hoc bello difficili fecit illud esse sui iuris, oppidumque Kiduellum vetus adiecto castro sepsit mœnibus, quod nunc, inquit Cambdenus, vetustate quasi desertum fatiscit. Sed hæc loca dum inuaderet Mauritius, Guenliana Gruffini Principis vxor, & mulier vltimæ audaciæ, vt inclinatam rem mariti adiuuaret, in Mauritium acriter irruit signis infestis: attamen vnà cum filiò suo Morgano, alijsque nobilibus, vt ait Gyraldus, in acie cecidit.

18. ROMAM ferunt conditam. Cum Cuneda monarchiam totius insulæ triginta tribus annis gloriosè administrasset solus: eoque defuncto successisset Riuallo filius ætate iuuenis, sed bello strennus, tunc

Roma,

Roma, inquit Gaufridus, condita est vndecimo Calendas Maij, à geminis fratribus Remo & Romulo, vt supra dixi lib. I. Nota 34. Polydorus Vergilius, Sororum filij Morganus & Cuneda grauatissimè parebant, inquit, feminæ, pudebatque diutius tam vile seruitutis iugum tolerare. Itaque militum manu facta, cædibus, incendijs, & rapinis omnia vastare cœperunt, quò mulierem traherent ad certamen. quam haud multo pòst, obuiam factam cum exercitu paruo, ceperunt, & in carcerem coniecerunt. vbi mulier egregia Cordeilla, cui ad superandam Regum superiorum gloriam, virilis tantùm sexus defuit, amissi regni dolore perculsa, post annum quintum, quàm regnare cœperat, sibi mortem consciuit. Hi constituti sic victores, inter se partiti sunt Insulam. sed breui tempore interuenit regni cupiditas immensa; ita vt Morgano è medio sublato Cuneda solus sit rerum potitus. Deinde regnum obtinuere Riuallo, Gurgustius, & ceteri. De Roma condita dicit nihil. Sed Stoueus hunc Riuallonem scribit annis quadraginta sex regnasse, mortuumque vrbe Eboraco sepeliri: & eius tempore Romam in Italia per Remum ac Romulum fratres, esse conditam post aduentum Broti Prisci ad Britanniam, anno plus trecentis quinquagesimo sexto. Sanè quidem Alexander ab Alexandris lib. 2. c. 22. In Palilibus sacris, inquit, hoc custoditur, ne qua mactetur hostia, quòd eum diem, qui patriæ natalis erat, à cæde & sanguine deceret esse purum. fuit enim is dies 12. Calendas Maij, quo fausto ac felici omine iacta primum sunt fundamenta vrbis Romæ; quo die mos erat ouilia purgare, flammas transilire, sapa & milio sacrum facere, geniales dies agere, cœnas apparare, à litibus abstinere; quæ singula prosperos rerum successus decernebant. Sed quia Gaufridus per consequentiam litterarum scribit vndecimo Calendas Maij, qui est vigesimus primus Aprilis, conditam esse Romam, fortasse mendosus est codex Alexandri, per litteras numerales scriptus de xij. Calendas, qui esset dies, 20. Aprilis: Nam Plutarchus in vita

Romuli scribit Romam fuisse conditam vigesimo primo die Aprilis, & Palilia fuisse celebrata prius quàm vrbs Roma conderetur, circiter annum tertium Olympiadis 6. Est autem Olympias, spatium 4. annorum, sic appellatum, quod inter duos ludos Olympicos labebatur. earum fiebat initium, vt in Theatro suo Lycosthenes scribit, anno 19. Amulij Siluij Regis Latinorum, qui erat ab orbe condito super ter mille ac centum annus 88. cui si addantur Olympiades quinque cum annis tribus Olympiadis 6. atque sic 23. anni, videbitur Roma condita fuisse anno vndecimo supra ter mille ducentos, atque sic vigesimo sexto Regni Riuallonis.

19. CERTISSIMAE pestes. Nam ex his sumpsit initium certissima pestis Rerum-publicarum, aperta tyrannis plurimorum Regum, quæ sub vno Principe Membricio antè semen acceperat. Itaque Ferrex & Porrex Gorbodionis filij de regno, inquit Polydorus Vergilius, inter se dimicare cœperunt. in quo certamine Ferrex interfectus est. cuius cædes tantùm matri, quæ vehementer eum amabat, doloris inussit, vt percita subito furore, alterum filium nacta dormientem, adiuuantibus ancillis crudeliter trucidauerit. res profectò post hominum memoriam longè rarissima, & inaudita. quam pòst sequebatur ætas populorum atrox prælijs, discors seditionibus, & ipsa quoque pace crudelis. Cum enim fortissimus quisque sibi regnum adquirere conaretur, eatenus inter illos bellatum est, quoad omnis potestas imperij peruenerit ad quinque regulos seu tyrannos, qui non habentur numero regum Britannorum. Gaufridus exprimens nomen matris, Cum Videna certior facta esset de morte filij, quem plus alio superstite diligebat, supra modum, inquit, commota in huius odium, nacta tentorium, quo ipse sopitus iacebat, aggreditur cum ancillis suis eundem, & in plurimas partes dilacerauit, à se occisum.

20. BROTI Prisci progenies. Aliquis dicet, istud esse

esse contrarium oraculo suprà relato Nota 3. quòd Britannia foret Broto sedes perennis, & quòd Regibus de prole sua natis

Totius terræ subditus orbis erit,

Nam ista contingere non possunt, si progenies eius penitus extinguatur post annos sexcentos ac decem. Sed est respondendum, manere perennem sedem, quoties propinqui, vel adfines occupant; & totum orbem fuisse subditum Regi, hac in sede Britanniæ gubernanti; quando Constantinus Magnus Imperator orbis in ea natus, & mortuo Constantio patre suo, salutatus fuit Imperator; non quòd hi de stirpe Broti descenderint, sed quòd in imperium successerint. Nam ita Primus Gregorius Pontifex Maximus epistola 59. & 60. Aldibertum Regem Anglorum, quasi Constantini Magni successorem alloquitur; & cohortatur Aldibergam Reginam, vt exemplo Constantini Magni veram religionem in omnes sibi subditos infundi curent. nam ita futurum, vt per Dei gratiam diu, & rectè imperent. Ac inde factum esse Platina dicit, vt Angli dogmata fidei Christianæ tunc primùm integrè reciperent. Quæ cum ita sint, recenseamus ordine Reges ex Broti sanguine prognatos, & tempora, quibus imperauerunt, sicut lib. 1. notabamus.

25. *Rex Brotus Priscus incepit anno ab orbe condito 2855. & regnauit 24.*
26. *Læcrinus incepit anno 2879. & rexit. 10.*
27. *Madanus incepit anno 2889. & regnauit annos 40.*
28. *Membricius incepit anno 2929. & imperauit 20.*
29. *Eberancus accepit regnum anno 2949. & illud administrauit annos 40.*
30. *Brotus Iunior incipit annò 2989. & regnat 12.*
31. *Leilus cæpit anno 3001. & imperauit annos 25.*
32. *Rudibras cæpit anno 3026. & regnauit 39.*

33. *Badudus auspicatur anno 3065. & finit regnum anno 20.*

34. *Leir incipit regnum anno 3085. & illud finit 60.*

35. *Cordeilla Regina incipit anno 3145. neque diutius regnat, quàm annos 5.*

36. *Principes Morganus, & Cuneda cœperunt anno 3150. & simul 2. in vniuersum regnarunt annos 35.*

37. *Rex Riuallo incepit anno 3185. & imperauit annos 46.*

38. *Gurgustius regnum accepit anno 3231. & id tenuit annos 38.*

39. *Sisillius Priscus auspicatur anno 3269. atque regnum occupat annos 49.*

40. *Iago capit regnum anno 3318. & illud relinquit anno 25.*

41. *Chynemarcus incipit regnare anno 3343. & desinit anno 54.*

42. *Gorbodio auspicatur regnum anno 3397. ac illud gubernat annos 63.*

43. *Principes Ferrex, & Porrex inceperunt anno 3460. & regnarunt annos 5.*

Quæ supputatio producit annos sexcentos ac decem, quibus imperauit progenies Broti. Deinde secuta est Pentarchia, quam Græci vocant, sub quinque Principibus spatio annorum quinquaginta & vnius, vsque adeo, vt Mulmutius Dunuallo proximus Rex acceperit Reipublicæ administrationem solus anno ab orbe condito supra ter mille quingentos decimosexto.

21. QVINQVE Regibus. Ciuilis discordia (inquit Gaufridus lib. 1. c. 16.) multo tempore populum afflixit, adeo vt imperium fuerit submissum quinque Regibus, qui sese mutuis cladibus infestabant. donec vice rerum facta, morum probitas insignis excitauerit nobilissimum iuuenem, qui Mulmutius Dunuallo vocabatur, & erat filius Clotenis Corinualliç Regis. Hic post obitum patris accepit regimen patriæ suæ, facileque

que omnes Britanniæ Reges & pulchritudine corporis, & audacia virium bellicarum excellebat. Quocirca Piremen Lœcriæ Regem aggreditur, & prælio interficit. inde factus victor arma tendit in Rudacum Cambriæ Regem, qui fœdere initio cum Albaniæ Rege Staterio, conabatur iunctis viribus exercitum mouere in prouincias Mulmutij. quibus ille obuiam it comitatus triginta millibus virorum fortissimorum, commissóque diu prælio, cum videret differri victoriam, vsus est fraude similitudinis armorum, quibus induti erant hostes eius. atque sic pessundatis Regibus ipsis, ceteros palantes fugauit ad vrbes & oppida, quibus incensis, agrísque deuastatis totam omnino Insulam, suæ potestati, suæque Iurisdictioni subiecit, ac primus ex auro factum diadema capite gestauit. Quis erat Rex quintus in Cantio nescitur ex historia Britannica, quæ numerat Reges quinque, nec alios, quàm eos qui bella gesserant, commemorat tres, fortasse quòd ille reliquus in societatem venerit, aut sponte se subiecerit.

REVERENDISSIMO, GENEROSISSIMOQVE DOMINO MICHAELI D'Esne, Domino Betencurtij, electo Episcopo Tornacensi S.

QVI fuit Academiæ publicus, & qui fuit priuatus dolor meus, in lugenda morte Ioannis Venduillij nuper Episcopi Tornacensis, is nunc magno beneficio Dei mutatur in publicam, priuatamque lætitiam, quòd in eius locum nemo similior illi succedere potuisset: tum propter egregiam vtriusque beneuolentiam in vniuersitatem litteratorum hominum; tum propter affectio-

nem erga me, & meos. Subinde verebar ego consensus ad eam rem vestri dilationem, in repræsentatione veteris amici, patroníque Venduillij, nobis obstaturam. At cum ea res iam confecta est, gratulor ex animo nobis, & Ecclesiæ Dei, totíque Belgio, cui dignitatis huius nouæ acceptio, & administratio plurimum est profutura. Et in signum lætitiæ offero lectionem historiarum Britannicarum, ad intentionem animi, tanquam arcus, quandoque remittendam, ab aßiduis occupationibus, & grauibus negotijs, quibus hoc officij genus implicatur. Spero meam oblationem non ingratam fore; propter explicationem diligentißimam coniunctionis Insulæ, cum hac continenti, de qua plurimi nihil ferè cogitantes, vehementer errauerunt in cognoscendis rebus Anglicis, & Gallicanis; sibíque falsò per-

perſuadent, inter hàs gentes fuiſſe ſemper odium quoddam quaſi naturale: nec id verentur editis etiam libris publicare. quibus tamen aduerſatur ipſa rerum veritas; præterquam in æmulatione bellica, quæ ſui cultoribus vires, animoſque producit.

HISTORIARVM
LIBER TERTIVS.

IAM erat Britannia, pulsis tyrannis, reddita sibi, formæq;
1 pristinæ ad vnius Imperium 1
restituta, cum in eum statum perpetuò conseruandum Mulmutius Dunuallo Rex, & Clotenis Corinualliæ regis filius, ceterorumq; Regum victor, ac triumphator, aurea corona primus vsus est, & salutares leges quæ Mulmutiæ dicebantur, instituit. has in Latinum sapiens Gildas, & in Anglicanum sermonem postea Rex Alphredus conuertit, adeo vt, diu easdem etiam inter Anglos diligenter obseruatas fuisse, constet. quarum adhuc ferè capita memorantur hęc: Vt Deorum templa, & ciuitates hominum consequantur tantam dignitatem, Nequis illò confugiens extrahi possit antè, quàm ab eo, quem læserat, veniam impetrauerit. Vt huiusmodi priuilegium immunitatis habeant etiam ipsæ viæ, quæ ducunt ad templa, & ad vrbes. immo & iumenta quoque illa, quæ rei rusticæ subseruiunt. denique colonorum aratra ipsa, tali prærogatiua libertatis perfruantur. Hoc amplius, vt nequa terra vacaret cultura, néue populus inopia rei frumentariæ premeretur; aut ea minueretur, si pecora sola occuparent agros, qui ab hominibus coli deberent; constituit quot aratra quælibet diœcesis haberet: ac pœnam statuit ijs, per quos ille numerus aratrorum foret diminutus. Item

vetuit

vetuit bouem aratorem pro debito pecuniæ assignari creditoribus, si alia bona debitoris essent. Ita fore, ne compendij causa, homines pecuarij agros incultos redderent. sic etiam fore, ne quid earum rerum, quas natura præbet hominibus, vsquàm deesse posset. Optimus iste Rex viros incumbentes ad artes bonas, & opibus, & fauore iuuit adeo, vt exemplo suo Principes regni ad faciendum idem, atque iuuentutem totam ad virtutes capessendas excitauerit. Item pondera, & mensuras rebus emendis vendendisq́; posuit. fures, & omne noxium genus hominum seuerissimè puniuit. Itaque sub hoc Principe latrocinia, rapinæ, sæuitia generis omnis aberat à populo. nec audebat quisquàm alteri vim inferre, vel iniuriam, propter exquisitam legum obseruationem. ad quarum confirmationem, maiorem templum Concordiæ struxerat vrbe Trinobantum. quod alij templum pacis appellant, in quo vita defunctus sepelitur, cum annos quadraginta regnasset, ac Belino, & Brenno filijs, bello viris strenuis rem communiter administrandam reliquisset. Quæ Regni societas, & communio peperit inter fratres discordiam magnam; dum vterque tantopere de potentatu contendens, vix amicis persuadentibus in mutuam gratiam venire voluit; aut de diuidendo inter se Regno quidquam cogitare. quod tamen vt regere possent ambo, faciendum ipsis erat necessariò. Tandem ita conuenit, vt Lœcria, Cambria, nec non & Cornuallia Belino: quidquid autem vltra flumen Humbrum ad Septemtriones adiacet, hoc totum Brenno cederet. Hic animo celso præditus, & ingenti fiducia suarum virium plerumque nixus, atque rei militaris magnopere peritus,

non ferebat fratrem, quamlibet natu seniorem, in sortitione Regni sibi præferri: sed fraudem subesse ratus, illam diuisionem, specie factam, precibusq́ue amicorum, vindicare vi & armis conatur. tametsi re vera, ipsi nulla omnino iniuria fiebat. Erat enim vetus consuetudo Troum, lege naturæ quodammodo confirmata,
a quæ semper in Britannia obseruatur 2, vt hereditatis paternæ summa dignitas ad filium natu primum deferretur, eiq́ue frater iunior subderetur. Hoc amplius, ista Regni partitio inter amicos facta, iam per annos quinque placuerat Brenno, rei summam sic administranti communiter vnà cum fratre suo. & quo foret in tempus perpetuum custodita diligentius, icto cum fratre Belino fœdere confirmabatur. Sed nihil est tam sanctum, quod ambitio non violat; nihil tam syncerum, quod pessima rerum discordia non corrumpit. hæc solet fratrum inter se charitati, & amori, quem natura conciliauit, arte mira inuidere. Illi domestici, ac familiares Regum hostes, qui mendacijs placere student, adulatores veniunt ad Brennum, & increpant eius, quam vocant, ignauiam, qui se fratri quodammodo subditum agnouisset, cum quo tamen, & patrem, & matrem haberet æqualem, sanguinisque parem omnino nobilitatem; rebus autem bello gestis gloriam certè maiorem. Brennus his rebus auditis transmittit ad Galliarum Principes, & de fratre grauiter conquestus est. Sed à nemine obtinuit auxilium, præterquam à Seguino Allobrogum Duce. Is Brennum intuetur, hominem aspectu pulchrum, corpore procerum, membris gracilem, aucupio, venationibusq́ue, quibus ipse delectabatur, valdè affectum; idcirco beneuolentia, hono-

honoréque maiore dignum esse iudicauit. cuius prudentiam singularem, & morum honestatem in suis negotijs belli ac pacis frequenter expertus, ad consilia Principum adhibuit eum, & aperté tandem audito ipsius desiderio, filiam, quam habebat, vnicam dat in matrimonium sub hac lege, vt, si moreretur ipse sine filio, ille Regnum Allobrogum cum filia possideret. ex qua si filium suscepisset, is quoque Rex Britanniæ constitueretur. Sic Brenno suppetiæ decretæ sunt, & magna lætitia nuptiæ celebratæ, soliumq́ Regni donatum, vt etiam viri Principes ad hæc pacta seruanda iureiurando constringerentur. Nec annus præterierat, cum Rex moritur, thesauris ab atauorum tempore maximis relictis, quibus Brennus vsus est ad proceres Regni, populosq́ in suas partes trahendum largitionibus munificis, epulisq́ continuis. Quibus artibus cum omnes homines deuinxisset sibi, tum suum consilium de fratri bello indicendo aperit. & ipsi, ad quodcumque Regnum sese paratos cum eo ire profitentur. Icto fœdere cum Gallis, quo tutius exercitum transportaret, ad extremos fines, & littora Neustriorum venit; vbi naues ingressus, prospero vento defertur in Britanniam; militibusq́ expositis in terram, Belinus anté re cognita, pariter instructus armatis hominibus occurrit. Cum iam hinc inde cohortes prælium inituræ, starent paratæ ad congrediendum armis, pugnamq́ commiscendam, prudentissima mater amborum Conuenna 3, quæ viuebat adhuc, mulier confecta senio, venit in castra, Brennum diu absentem visura prius, quàm moreretur; vberibusq́ nudis, ac singultu medium sermonem impediente, sic affatur: Brenne, memor esto vberum, quæ suxisti, vteri-

vteríque tibi cum fratre communis, ac doloris magni, viscerum matris, quę vos ambos in hanc lucem produxit, quam lucem vos hodiè, nimis indignè vobismet ipsis, ac ei tollere vultis. Igitur ab armis quiescite, aut me vestram matrem in hoc loco, præsentiáque multum vestrorum occidite. Belinus frater tibi nullam fecit iniuriam; qui prius fœderis oblitus, te comparasti ad bellum. & si verum dicere volumus, te, non ille, sed ambitio tua pepulit ex patria. Iam redis, vt hostis, domum. Si tamen euenta rerum spectaueris, tibi foris dignitas est aucta, par fratri factus, Allobrogum regnum consecutus es totum, & sine consorte imperij solus. His à matre constanter dictis, animo sedato Brennus, quamquam natura ferox, tamen in re pręsenti obtemperauit; cassideq́ de capite deposita simul cum illa venit vltrò ad fratrem. Quem vt Belinus percepit ad se accedere iam pacatum, subitò abiectis armis in eiusdem amplexus occurrit. Nec mora, facti amici, cohortibusq́ exarmatis vrbem Trinobantum adiuerunt; habitoq́ consilio, Quid facerent exercitu tanto, communi, parato, in Gallias suæ potestati subigendas 4 transmittunt. Quibus rebus cognitis
4 Senones, legatis ad Brennum missis, icti cum eo fœderis admonent, & se socios fore belli contra Italos agendi pollicentur. Brennus re vera cogitans, nihil esse causæ, propter quam ipse contra Gallos, sibi fœderatos, & amicos, bellum gereret, fratrem hortatur ad ineundam communem armorum societatem. Ita simul ingenti hominum armatorum multitudine transcendunt in Italiam, superatisque Alpibus latè populantur agros. Clusini subito rei periculo attoniti, legatos Romam ad auxilia contra

nouam gentem petenda mittunt. Romani, quamquàm tunc nullam cum Clusinis societatem habebant, quia tamen aliquid sibi periculi euenire posse videbant, si Clusini superarentur ab exteris hominibus, idcirco Marcum, Cneum, & Caium tres Fabij Ambusti filios miserunt, qui Senatus Populiq; Romani nomine ab his peterent, ne Clusinos, amicos & socios Romanorum oppugnent. Quibus respondet Brennus, se quidem non aspernari pacem, dummodo Clusini partem agri, quem latius possiderent, quàm colerent, indigentibus suis comitibus diuiderent. quod nisi facerent, impetrari pacem non posse. quo verbo commoti vehementer legati Romanorum, quærunt, Quid ipsis rei sit in Hetruria? sic animis vtrinque incensis ad arma concurrunt. in quibus Legati, vt ostenderent, Quid virtus Romana valeret, contra fas, & ius gentium 5 ineunt pugnam. quæ res iustam in Romanos iram concitauit, subitóque relicta Clusinorum obsidione, conclamatur totis castris, Eundum esse Romam. Attamen Brennus antè misit legatos, qui coram Senatu, Populoq; Romano postularent ad supplicia violatores iuris publici legatos ipsorum. Sed infecta re reuersis cum esset postea nuntiatum, eosdem tres Fabios, iniuriæ tantæ auctores, non modo punitos non fuisse, verum etiam anno sequente amplificatos esse honore Tribunorum: tunc maiore, quàm prius ira concitati omnes, nihil ab hoste Romano, qui sua sponte vim fecit, arbitrati sperandum aliud, quàm bellum; recedunt à Clusinis, & vndique cuncta prosternentes, ad ipsam Romam properauerunt, celeritate quidem tanta, vt vix ad vndecimum ab vrbe lapidem potuerit eis obuiam iri. Tribuni tamen eò, 5

cum exercitu quadraginta millium armatorum hominum raptim collecto perueniunt, & circa flumen Alliam occurrunt. Is ex Crustuminis montibus labitur fluuius, neque multò infra viam, Tyberi commiscetur. ibidem inito prælio Romani superantur statim, & Brennus victoria subita, quasi stupore raptus à se, vix audebat credere debellatos esse Romanos, nisi spolijs eorum, qui cæsi erant, diligenter inspectis, veritatem bonæ fortunæ contemplaretur. quocirca optimum esse arbitratus est, inceptum ad vrbem iter maturare. Iam enim Romę ad primum nuntium aduersæ pugnæ, clamor ingens, & metus horribilis populorum, excitabatur vrbe tota, nec fuit spes vlla retinendæ ciuitatis in tanta consternatione animorum. Itaque Senatus vniuersus cum omni iuuentute militari, Capitolium, & arcem vrbis occupauit, frumento, & armis illò collatis; vbi tamquam in quodam domicilio Deorum, diuitissimè Romanum nomen conseruaretur. viri Consulares, & honoratissimi quique senes cum inbecilli turba manserunt vrbe media, quasi simul cum patria interituri, si deberet ea nunc ex vltima fatorum necessitate, cadere. Brennus interim, cæteriq; veniunt ad vrbem, ingrediuntur Collinam portam, tendunt via recta in forum. admirantur tantam solitudinem, claudi domos plebeiorum, & patere tantummodo atria nobilium. Quam ob rem suspicati quandam subesse fraudem, ne fortè dolis, & arte supprimerentur, admodum cautè procedunt: ad atria Principum virorum aspiciunt, sedentes in sellis, sub imaginibus Maiorum suorum, venerandos ętate Patres intuentur, quos tanquam certa simulachra Deorum contemplantur. donec Marcus Papyrius baculo quem

quem tenebat manu, caput Galli cuiusdam sibi barbam demulcentis percusserit iratus. Nam ea iniuria commotus ille vir, senem ita sedentem, ferro necat. & sic ab vno exorta cæde, reliqui Romanæ Reipublicæ viri triumphales, in suis sellis considentes plerique trucidantur: deinceps absque vllo discrimine sexus, vel ætatis, in omnes sæuitum est; si per vrbem erant, ferro; si domi latebant, direptione. ipsáque tecta flammis exusta sunt; & ea, quæ incendere non poterant, militari manu diruebant. cuncta denique mensibus octo integris 6 deuastarunt, solo remanente Capitolio. Qua crudelitate magna 6
permoti Consules, cum non haberent consilium vllum, quo vim præsentem aliter possent repellere, dona plurima ferunt auri, argentique, & annis singulis tributum soluere promittunt, si bona cum pace finerentur vrbem possidere. In eam rem acceptis obsidibus, Reges suas cohortes Roma deducunt in Germaniam Belinus quidem vltra Rhenum ac Danubium, sed eò potissimùm contendebat, vbi est Illyria, & vrbs Aquileia, quasi terminus Italiæ. Cuius quidem Aquileiæ magnitudo erat ingēs, & vrbs ad mare sita, velut Italiæ quoddā emporium, abundabat populo. copiam rerum è continenti vectam terra, solet Aquileia nauigantibus administrare: rursumqúe ab ipso mari res ad eorum, qui continentem incolunt, vsum necessarias suppeditare. Ex quo factum est, vt, præter ingentem numerum ciuium, etiam vis hospitum magna, & mercatorum infinita multitudo eam vrbem frequentet. Huc cum Belinus 7, vti statuerat, 7
perueniret, impeditus varijs prælijs Germanorum, intellexit Romanos pœnitere fœderis, tanquam indigni sua maiestate, vt Regibus exteris

vectigal soluant; & idcirco magna Italorum multitudine in Germaniam descendere. Commotus indignitate rei consilium init, Britones retinendi secum; ac vt Brennus paratos exercitus reduceret ad vindictam Romanorum. Itali stupefacti tam subito reditu fortissimorum exercituum, complent omnia itinera; Brennum,
8 Senonésque 8 adesse demirantur. At is diebus paucis, noctibúsque perrumpens aduersa hostium agmina superauit, ac omnes sibi obuios affecit maxima clade, agrísque deuastatis vndequaque viam vi parat. Romanis mandat, fœdus, quod inierant, seruare; nisi mallent obsides, quos eius rei causa dederunt, interfici. Romani tale mandatum aspernati sunt, suique propositi tenaces, conantur se defendere. Marcum Furium Camillum, qui tunc exulabat Ardeæ, pro extremo remedio Dictatorem creant, eum rogant maiorem in modum, vt ingratę sibi patrię subuenire velit. Camillus immemor acceptæ iniuriæ, suíque in patriam officij memor, grauis fert animo fortunam vrbis Romæ tam aduersam, & absque mora parat copias ad bellum. Interea Brennus armorum viribus potens ir-
9 rumpit in vrbem, viginti quattuor obsidum 9 nobilissimos, in conspectu Populi Romani crucibus affigi præcipit. factúsque certior, opes vrbis in Capitolium esse transportatas, & eo loco vim omnem Romanorum deponi, Gallos cohortatur Tarpeiam rupem noctu clàm ascendere. adeo vt illam totius vrbis fortissimam arcem propemodum cepissent, nisi subito clangore anseris excitatus M. Manlius custos Capitolij eos detrusisset. Qua deiectione à summo fastigio ad ima rupis Tarpeiæ, ne plus irritati Galli facerent damni; ac ne ciues, qui erant

in Capitolio, perirent fame, aut ipsa loci sancti-
tudo prophanaretur, Romani paciscuntur cum
Brenno, vt auri mille pondo datis, Populus Ro-
manus redimere se posit: ac Brennus ab vrbe,
agróque Romano vnà cum exercitu toto rece-
dat. quod aurum interim dum penditur, &
Galli non sunt contenti genere ponderis, acce-
dit Brennus, & vnà cum balcheo exutum en-
sem, nunc simul imperat pensari. 10 Ex contra- 10
rio Romani, negant aurum ponderibus iniquis
se velle appendere. Qua quidem altercatione
dum teritur tempus, M. Furius Camillus adest,
& aurum iubet de medio tolli. Nullum fœdus
iniussu Dictatoris, & nullam pactionem à mi-
nore magistratu fieri potuisse demonstrat. igi-
tur edicit, vt Galli se ad vltimum certamen ac-
cingant. hi quòd aurum ex pacto capere, non
prælium dare, cogitarent, exiguo momento
temporis commissa pugna vincuntur. Vrbe di-
gressi ad octauum lapidem, via Gabina, sunt
afflicti clade atrociore. Quarum rerum dolore
motus Brennus (quamquam vtrinque cecidis-
sent multa millia virorum fortissimorum) su-
perstites plurimos Senonas, deduxit vltra mõtes
Apenninos itinere longiore ad illum locũ, quem
exstruxit forma vrbis præstantissimæ, suóque
nomine appellauit. 11 cæterum in omnes eas re- 11
giones dispertitis militibus populos inaudita ca-
lamitate per Italiam ferè totam afflixit. Quibus
rebus cognitis iterum Camillus Gallos iam ab-
euntes armis persecutus est, & plurimis inter-
emptis aurum omne recepit, ac signa legionum
Romanarum ad eam Vmbriæ ciuitatem, cui
nomen dedit Pisaurum, quòd illic aurum pen-
satum esset. Inde Brennus conscendens paratis
nauibus Aquileiam contendit vnà cum suis ad

Belinum; communíque consilio instituunt expeditionem bellicam nationibus omnibus terribilem. Peditum erant centum & quinquaginta millia; Equites vicies mille, & quadringenti. singulos equites famuli sequebantur duo, & ipsi in equis, & artium equestrium maximè periti. Hi dominis pugnantibus erant vsui, vt si fortè amissus esset equus, statim submitterent suum: si dominus ipse concidisset, in eius locum famulus succederet: quòd si vtrumque impetus belli euertisset, iam præstò erat tertius, qui pro demortuis locum teneret. quòd si nemo mortuus, sed vulneratus tantùm esset, alter è secundis illum primum ex acie subducere, proq; eo pugnare; atque alter interim saucium curare debebat. hæc apud Gallos ad imitationem Persarum instituta militia fuit. qui selectos milites habent decies mille, quos Immortales vocant. Illud tantùm interest, quòd commisso demum prælio succenturiant Persæ: Galli verò inter pugnandum integros vel cæsis, vel saucijs supplemento esse iubent. atque hanc equestris pugnæ institutionem voce patria Trimarcisiam vocant, quòd equum patrio sermone Marcam appellent. Hoc apparatu Brennus in Græciam exercitum duxit; & Belinus in Britanniam se recepit. vbi magna tranquillitate Regnum administrat, vrbes vetustate collapsas instaurat,
12 nouas condit 12. In vrbe Trinobantum extruit portam, quæ dicitur Belina; in cuius summo turrim ædificat, & in imo, portum appellentibus per Tamisim nauibus idoneum: item aliam
13 turrim in colle Londini. 13 qua in vrbe Archiflaminem vnum, Eboraci alterum, & Carliæ ad Vscam, tertium constituit. Secundum leges Malmutij patris iussit, perpetuò, constanterq;

ius ciuibus dici. Quibus ex causis tanta rerum omnium affluentia prouenit, tot opes populi, tam magnæ diuitiæ omnium ordinum, quàm Insula tota vidit vnquam prius, aut vllo tempore pòst visura credebatur. Belinus cum annos viginti ac vnum solus imperasset, diem obit, nobilique ceremonia in ignem coniectus vritur, primus quidem omnium Britannorum Regum, qui crematus est; & cineres in vrnam auream conditi ponuntur super fastigio portæ Belinæ. Brennus autem domitis Pannonijs, & audita victoria suorum, qui Belgio duce Macedonas vicerant, prædáque relicta discesserant, adunatis centum quinquaginta millibus peditum, & quindecim millibus equitum, irrumpit in Macedoniam. Cum agros, villasque popularetur, occurrit ei Sosthenes cum instructo exercitu Macedonum. Sed pauci à pluribus, trepidi à valentibus facilè vincuntur. Itaque cum victi Macedones se condidissent intra muros vrbium, victor Brennus, nemine prohibente, totius Macedoniæ agros deprædatur. Inde, quasi spolia sorderent, conuertit animum ad Deorum immortalium templa, ioco dicens, oportere Deos locupletes, hominibus dona largiri. Statim igitur Delphos iter vertit, religionis aurum pro præda, Deorum offensæ præfert. eos ait nullis opibus indigere. Itaque cum in conspectu templum Apollinis haberet, diu deliberauit, an confestim rem aggrederetur, an verò fessis viâ militibus daret spacium noctis ad resumendas vires. Euridanus & Thessalonus duces, qui se iunxerãt ad prædæ societatem, iubent moras amputari, dum hostes forent imparati, & sui aduentus, eis esset terrori. Sed Galli ex inopia longa, cum inuenissent rura referta

 vino,

vino, ceterisque commeatibus, se per agros sparserant, desertisque signis, ad occupanda omnia pro victoribus vagabantur. Prius ergo Delphi viribus Sociorum aucti, præmuniuerunt vrbem suam, quàm Galli vino veluti prædæ incubantes, ad signa reuocarentur. Brennus habebat ex omni exercitu lecta sexaginta quinque millia peditum. Delphorum, sociorumque non erant nisi militum instructorum quatuordecim millia, quorum contemptu Brennus prænumero suorum, de victoria non dubitat. Sed ad acuendos animos ostendit militibus vbertatem prædæ, statuasque cum quadrigis fusas auro solido, Quarum rerum animaduertione Galli magis incitati, ac pridie vino pleni, ruunt in bellum sine vlla cogitatione periculorum. Delphi contrà, plus in Deo, quàm in viribus suis sibi spem ponunt, Gallosque scandentes, de summo vertice mõtis Pernassi, quo templum Apollinis est, partim saxis, partim armis obruunt. maximóque terræ motu portio montis eiusdem abrupta Gallorum exercitum prostrauit, confertissimique cunei vulneribus dissipati cadebant. Dux ipse Brennus, cũ non poterat amplius ferre dolorem vulnerum suorum, vitam pugione finiuit. Sed fratri Bellino iam in Britannia mortuo successit ad regnum filius eius Gurguntius, dictus Ahenobarbus, vir admodum prudens, qui gesta patris imitanda sibi proponit, maximus amator pacis, & æquitatis. Hic rebellium audaciam nihilosecius bello fregit: cumque vectigal, quod pendebat patri, nollet ipsi soluere Dacorum rex, expeditis classibus transmisit, occisóque Principe debitum consecutus est. Inde victor domum rediens per insulas Orchades, inuenit triginta naues virorum ac mulierum plenas, qui duce

duce Partholomo ab Hispanijs profecti, nouas habitandi sedes quærebant. quos iste Princeps ad Hiberniam pestilentia ferè tunc ab omni populo desertam, comitibus datis ire iussit. 14 14
Vrbem, quę dicitur Legionum, ædificijs ac muris amplissimè decorauit, in eá que cum decem ac nouem annos rem gubernasset, vita defunctus sepelitur. Quintelinus eius filius diadema suscepit, vir Græcè, Latinéque doctus, & omni tempore in administrando imperio se moderatè gerens, vxorem habuit nobilitate generis, prudentiáque clarissimam, & omnibus bonis artibus eruditissimam Martiam; quæ leges optimas à se nominatas, & diutissimè pòst à Britannis obseruatas instituit. quas idem Rex Alphredus sermone donauit Anglico, vt antè de legibus Mulmutijs demonstrauimus. Quintelinus cum annos viginti sex imperasset, vitam morte commutauit, Londini sepultus. Regina Martia gubernaculum septem annorum 15 accepit cum 15
filio vnico adhuc puero, qui Sisillius eo nomine Secundus appellatur: & feliciter insecutus vestigia patris administrat quindecim annos postea solus, & mortuus Carleili sepelitur. Illius filius Chimarus in imperando succedit, moribus adolescens improbus, suique in rebus omnibus agendis arbitrij, ac voluntatis adeo, vt post annos tres, quibus rexit, à feris bestijs, dum venabatur, occisus fuerit. Frater eum sequitur Elanius, natura stupidior, & legum spretor. quocirca rem administrat imprudenter, bellis, & seditionibus vndecumque vexatus. neque pacem habere potuit vel publicè, vel priuatim illis annis decem, quibus imperabat. Post hunc Morindus creatur Rex, quem Elanius ex Tangustela concubina suscepit. Is magna quidem

probitate motum futurus erat, vir clarus ad omnem temporum æternitatem, nisi nimium indulsisset asperitati crudelitatiq́; & incitatus ad iram, se tam insolenter, ac superbè cum hominibus gessisset, vt omnino parceret nemini, furoreq́ percitus, nec etiam amicos suos vellet ab hostibus internoscere. Nam quod ad cetera pertinet, homo fuit aspectu pulcher, muneribusq́ largiter dandis assuefactus: tantæ verò fortitudinis, vt cum eo luctari, vel armis congredi nemo auderet. Maurorum Rex quidam ingressus magna vi militum, dicebatur Northumbriam diuastare. cui Morindus collecta manu Iuuentutis fit obuius, ac prælium instituens fertur plus effecisse solus, quàm reliqua pars totius exercitus. Nam vbi victor euasit, ne quidem vnum ex hostibus reliquit superstitem. Iubebat homo immanis, ordine singulos captiuos ad se produci, vt quemlibet ita seorsim perimendo suam feritatem exsatiaret. cumq́ fatigatus quodammodo, necdum cessaret ardor ille sanguinis humani perfundendi; hoc amplius iubebat, eos, qui adhuc superessent, pelle detracta de toto corpore, viuos comburi. Qua ex re famam, & gloriam consequi sperabat. ideò cum ex Hibernico mari bellua quædam inauditæ feritatis, ac magnitudinis, quasi monstrum naturæ aliquod certum emersisset, appulissetq́ in Britanniam, & maritimos populos vehementer diuexasset. ipsemet Rex clam suis satellitibus ad littora pergit, & solus cum immani bellua marina congreditur, eamq́ sicut interemit, sic
16 ab ea vicissim interfectus est 16, postquam annos nouem imperasset. Quinque filios virtute præstantes reliquit. eorum primò natus Gorbonianus ascendit regni solium. quo viro iustior,

vel

vel amantior, qui nemo repertus est, aut qui maiore cum cura populum gubernaret. Assiduus illi mos erat, primùm Dijs debitum honorem impendere, populis deinde ius reddere. In omnibus ferè ciuitatibus, Deorum templa collapsa instaurat, & ex integro noua condit. Arte tanta diuitiarum honestè parandarum vtebatur, quanta nullus in insula Princeps vnquàm. quippe, colonos ad agriculturam excitabat, eos ab iniurijs virorum potentium defendebat: adolescentes, potissimum idoneos ad bellum gerendum, benignè accepit, eósque crebris pecuniarum largitionibus, à rapinis faciendis abstinebat. denique talem inter ciues operam, suauiter & amicè viuendo, prçstabat, vt eo regente, damnum dare, aut vim facere nemo auderet; ne quidem ille, qui ceterorum vir pessimus vulgò existimaretur. Cum hac innata sibi bonitate morum, postquam Britannos opibus affluentes rexisset vndecim annos, vita functus vrbe Trinobantum sepelitur. Summam rerum inde sumit Archigallo Morindi filius secundò natus, fratri moribus ac vita planè contrarius. viros nobilitate generis illustres deponit de statu, ac dignitate; plebis infimæ, nulliúsque ordinis homines, & natalibus penitus obscuros, in illorum locum, quod erat grauius, euehebat. diuitibus opes, quas habebant, vi tollit, ex eisq́ sibi thesauros conficit. Hæc vbi Principes regni diutius ferre nolebant, perquàm officiosè regem monent, talibus rebus abstinere. neque volentem honestis, & æquis monitis auscultare, cogunt armis 17 discedere ab administratione, cum 17
iam annos quinque regnasset, ac Elidurum tertiò natum Morindi statuunt regem qui totidem annos Rempublicam, sed diuersa ratione hu-

manitatis & beneuolentiæ fratri per omnia dissimilis, tenebat. Archigallo iam priuatus imperio, à Prouincialibus regnis, ad quæ proficiscitur, auxiliares copias petit. Nusquàm auditus pro animi desiderio, redit domum, militibusque decem tantummodo comitatus, visit eos, quos nuper habebat, amicos. transit nemus Calaterium, quo Rex venabatur. qui fortè temerè casu fratrem non speratum intuens, pietate motus amolectitur eum, & secum ad Arcluidam perducit. Ibi consilium cum Proceribus capit de fratre restituendo in regnum. quam eius cogitationem grauiter, & iniquo animo tulerunt omnes, quòd nihil pro sano ab Archigallone sperarent. Vsus igitur arte quadam fingendi morbum, vocat ad se singulos, & secretò ingredientibus persuadet, ac minatur etiam, nisi confestim Archigalloni, vt, & tanquam Regi suo fidem spondeant deinde per alia cubicula iubet educi, & sigillatim custodiri. quibus ita conciliatis fratri per timorem, suáque oratione confirmatis de morum eius commutatione, ducit Elidurus Archigallonem Eboracum, déque suo capite demptum diadema imponit fratri. A quo raræ pietatis erga fratrem exemplo, cognomentum adeptus est, vt apud omnes homines Elidurus Pius meritò vocaretur. Iterum regnat Archigallo decem annos. quibus, adsumit viros genere, virtutéque claros ad Reipublicæ munia capessenda. obscuro loco natos, qui minus idonei sunt ad res gerendas, repellit. quod est suum cuiusque, id tribuit vnicuique, liberumque esse permittit. in omnes denique homines iustitiæ officium, & æquitatis exercet. tandem languore quodam extinctus sepelitur Leircestriæ. Rursus ob insignem beneuolentiam Elidurus con-

consensu omnium ordinum fit Rex, quantumuis inuitus; & singulari bonitate pristinam dignitatem imperij, ad imitationem Gorboniani fratris administrat duos annos. Interim reliqui duo minores natu fratres eius, Vigenius ac Peredurus inuidia pariter, & ambitione commoti, bellum ciuile militibus vndique collectis mouent, quo Regem capiunt, & vrbis Trinobantum turre custodiunt. regnum partiuntur sic, vt Vigenius ab Humbro flumine ad occidentem solem posita loca gubernet: Peredurus Albaniam totam. ita simul annos septem viuunt. Peredurus post mortem fratris Vigenij manet adhuc duos annos. quibus adeo moderatè cuncta gerebat, vt omnes suos fratres, qui eum ætate vincebant, excellenti virtute solus vincere diceretur. nec vlla fuit in ore virûm vox, de Eliduro Pio tanta plebis inconstantia est, tam citò populus immemor est Principum bonorum; quos in oculis, prosperáque fortuna præsentes non habet. vbi tamen iste moritur, iterum statim itur ad Elidurum, & è carcere ducitur, vt sit tertiò Rex Britanniç. quam ad exemplum omnium futurorum Principum egregiè gubernabat, vir omni genere virtutum præstantissimus, animi magnitudine superans ipsam fortunam; adeo neque prosperis rebus elatus, nec aduersis deiectus esse voluit. diceres, fortunam cum eo certasse, vt Rex esset, neque tamen animum eius infractum, constantemq́ vincere potuisse. quo magis abnuebat, eo frequentius ad regendum vocabatur. sic honor & gloria persequentes fugit; & fugientes persequitur, vt vmbra corpus. Elidurus cum quattuor annos nouissimè regnasset, vrbe Carleila mortuus sepelitur. Ei Gorbonias, filius Gor-

Gorboniani, succedit patruo similis in rebus prudenter agendis. mira fuit in omnes beneuolentia eius, atque modus ipse, quo in administratione rerum vtebatur, fecit illum vniuersis esse gratissimum. Itaque cum post annos decem quibus optimè rexit, moreretur, publico luctu plangebatur, honoreq́ue funeris publico maiore, quàm cæteri, sepulchro condebatur. Quem secutus est Morganus Iunior, Archigallonis filius annos quattuordecim summa cum pace,ac tranquillitate, parentum exemplo regnans. Sed Emerianus Archigallonis secundò genitus longè diuersis moribus in regnum succedit;pro sua libidine, non pro ratione recti ac honesti cuncta facit, tyrannidem in populum, sæuitiam in omnes exercet. quæ res eum infestũ nobilibus, atque plebi tam odiosum fecit, vt breui spacio septem annorũ de regno depositus Iduallonem Vigenij filium acceperit successorem.qui didicit exemplo Emeriani, parcere subiectis, & , quod inter homines iustum, & rectum est, hoc ipsis diligenter præstare. bonos in officio continebat amore, malos autem, qua debuit, indignatione persequebatur. vtrisque tamen inopia rerum oppresis, pariter atque promptè succurrebat. Cum annos viginti regnauisset, ipse moritur. & summam rei capit Rimo Pereduri filius,vir verę nobilitatis,honorisq́ue studiosissimus, qui militię gloria clarus annos sexdecim feliciter imperauit Ei Geruntius Eliduri filius est suffectus,boni & æqui Princeps amantissimus. leges iubet ab omnibus strictè seruari. ex qua re vna pacem diutissimè conseruabat, deq́ue cunctis hominibus benè meritus esse videbatur. cum annos regnasset viginti,magno Reipublicæ desiderio extinguitur. Huius filius Catellus in regno substitui-

ſtituitur, pauperum optimus fautor. quippe ſuſpendit omnes laqueo, quos inopum oppreſſores eſſe cognouiſſet. annos regnauit decem. Secutus eum Primus Coëlus, bona cum pace regnat annos viginti. Deinde Porrex Iunior, Princeps omnium humaniſsimus, annos quinque. Tum Cherinus, at infamis ebrietatibus, regnat anno vno filios relinquit ſuperſtites Fulgenium, Eldredum & Androgium. qui ordine ſucceſſerunt patri; Fulgenius duobus; Eldredus vno, ſimiliterque Androgius anno, vno regnandi. Vrianus Androgij filius, homo voluptati deditus more pecudum, fuit in regno per annos tres. quem Eliudus, periciſsimus Aſtrologię Rex, per annos quinque ſubſecutus eſt atque per tot alios inde venit Dedacus. Enimuero Cloteuus, niſi duos annos regnabat. eiq; ſuccedens Gurguineus, duntaxat annos tres. Merianus duos, Bladunus item duos, ſed Capenus tres. Oënus duos. Tertius item Siſillius duos. At hos inſecutus Belgabridus rexit annos decem, tantaq; canendi excellentia ſuperauit omnes homines, vt quidam in arte Muſica Deus 18 eſſe videretur. Iſti frater 18
Archimalus in regno ſuffectus eſt. qui & ipſe poſt annos duos accepit Eldolum ſucceſſorem. quo Principe multa in cœlo prodigia viſa ſunt; vt ignei globi de nubibus erumpentes cum aëris maximo ſtrepitu. poſtquam annos quattuor imperaſſet, ei Redion ad annos duos ſuccedit. Hunc Roderecius ſequitur pro tribus annis. Samulius pro duobus. rurſum pro tribus Peniſellus. pro duobus Pirrhus. quot & Caporius imperabat. Dinellus autem Caporij filius gerendarum rerum ſcientiſsimus Princeps pro ſumma ſuauitate morum, & erga ſingulos benignitate laudatur. Quamquam homines ex infi-

ma plebe nascerentur, tamen si erant benè periti earum rerum, quæ in deliberatione ponebantur, ipsorum sententias libenter audiebat, neque magis à quo, quàm quid ad rem præsentem vtiliter diceretur, attendebat. Etenim consilia sciebat, non ex persona suggerentium, sed sua vi, esse ponderanda. Idcirco viri conditione humilis opinionem sæpenumero præferebat sententiæ viri nobilis, ac illustris. domi pœnas mala facientibus infligebat; foris annonam, & omnia militibus necessaria procurabat. ægrotos ac debiles corpore, visebat; nec eo contentus, res, quibus indigebant, liberaliter suppeditabat. extinctus morte, cum annos septem gubernasset, & Helium filium egregium reliquisset: à quo
19 splendor Imperij Britannici 19 cœpit in orbe Romano per filios maximos belli duces apparere.

LIBRI

LIBRI TERTII A MVLMVTIO AD HELIVM ANTIQVITATVM

Notæ.

1. VNIVS Imperium. Tres administrantia Reipublicæ formas, Regnum, quod est vnius Imperium; & Optimatum Principatum, & Timocratiam, quam Græci vocant, Latinè Potestatem ex censu poterimus appellare, atque harum omnium optimam formam, esse Regnum, satis expl cui ad orationem 3. Nota 5 Idcirco pleræque contentiones de potentatu sunt pro hac forma Monarchiæ obtinenda, vt vnus imperet solus, ac liber, tamquam aliquis in terra Deus. quemadmodum Caium Caligulam Cæsarem quidam appellauerunt Iouem Latij, vt ad eandem orationem Nota 8. dicebam. & fundum optimum maximumque Proculus l. 126. de verborum significatione, vocat eum, qui sit omnino liber. Hanc vnius Imperij formam esse pristinam Britanniæ demonstratur ex ordine principum singulorum, præter Herculem & Galatheam coniuges, lib. 1. Morganum & Cunedam consobrinos, Ferrecem & Porrecem fratres, lib. 2. & Belinum ac Brennum fratres hic dimicantes pro Regno solo.

2. IN Britannia obseruatur. Gaufridus lib. 1. c. 17. Cum plures, inquit, decertationes inter se Belinus ac Brennus fecissent, eorum amici reduxerunt ipsos ad concordiam, & censuerunt Regnum inter eos diuidendum hac conditione, vt Belinus insulæ diadema cum Loëcria, Cambria, nec non & Cornubia, possideret. nam erat primogenitus, & Troiana consuetudo requirebat, vt dignitas hereditatis perueniret ad eum.

Bren-

Brennus verò, quoniam erat Iunior, fratri subderetur, & ab Humbro vsque ad Cathenesiam cuncta obtineret. Super his pactionibus fœdere facto, simul ac bo tractauerunt Rempublicam per quinquennium, cum iustitia & pace. Verùm quia discordia se prosperis rebus immiscere conatur, adfuerunt quidam sarcinatores mendaci, qui Brennum in fratrem concitauerunt. Hanc verò consuetudinem fuisse Troianorum scribens Herodotus, Ad Alexandrum, inquit, non erat peruenturum Regnum, cum Hector & natu maior, & virtute præstantior, quàm ille, regnum defuncto Priamo suscepturus esset. Idem scribit Messala Coruinus in libello de Augusti progenie, Troem à quo Troia dicta est, Regem Troianorum habuisse filios duos, Ilum, & Assaracum. atque Ilum defuncto patre, quòd ipse maior natu esset, obtinuisse Regnum. Denique is, qui dicitur Dares Phrygius, in libro de excidio Troiæ, narrat Priamum commonefecisse filios, quos habebat multos, vt maiores natu minoribus imperarent. ex quo sequitur, vt minores maioribus subderentur. id quod in pactis cum fratre, molestissimum erat Brenno; tamen ferendum in Britannia propter ius illud Troianæ consuetudinis. quam in Anglia seruatam esse scribit Andreas Tiraquellus in præfatione de iure primogeniorum. & Bartolus ad l. 1. Codicis de summa trinitate, Consuetudo est in Anglia, inquit, vt primogenitus succedat in omnibus bonis. quod ibidem Petrus à Bella pertica fortius, In Anglia, inquit, consuetudo est, vt maior natus habeat totum.

3. MATER amborum Conuenna. Gaufridus lib. 1. c. 18. Cum hinc inde cohortes, inquit, ferè commisceri cœpissent, accelerauit mater amborum, quæ adhuc viuebat, Conuenna, desiderans videre filium, quem multo tempore non aspexerat; brachia collo iniecit, nudatisque pòst vberibus Brennum affata est. Huius matronæ laus, inquit Humfredus, antiquissimis versibus celebratur, quòd illa Brennum cum auxiliaribus copiis

è Gal-

è Gallia venientem aduersus fratrem suum, nudo pectore, mammisque monstratis reconciliauerit:

Proh dolor, inquiens, *hoc quid erit? quid vos, mea viscera, turbat?*
Fraternas acies quæ mala causa mouet?
Tota tenere nequit modò vos Brittannia? quondam
Vos tenuit venter vnicus iste meus.
Non vos maternæ lachrimæ, sparsique capilli,
Nec, quæ suxistis, vbera nuda mouent?

Certè Georgius Viuienus lib.3.de officio probę matrisfamilias c.8. In Britannia, inquit, matrona quædam semper exhortabatur liberos ad meliora: & hanc deinceps historiam verbo ad verbum recensens, Audiuī quomodo mulier hæc obstitit filiorum ingenijs? vbi reperias similem? hodiè sunt negligentiores, quàm vt dent operam, tam facinorosa inter fratres impedire facta.

4. SVAE potestati subigendas. Gaufridus lib. 1.c. 19. Re composita inter fratres Principes, habebatur consilium, inquit, vrbe Trinobantum, Quid facerent? parauerunt autem exercitum communem ducere in partes Galliarum, cunctasque prouincias suę potestati submittere: quò pergunt anno lapso, Regulisque per Allobroges & Britones captis, omnes prouincias suæ ditioni subegerunt, & inde Romā cum vniuersa multitudine petunt, vrbesque per totam Italiam deuastant. Polydorus Vergilius aliter, Maternis precibus, inquit, ambo victi fratres tam fœdum certamen abhorruerunt. Brennus deinde cum nihil haberet domi, quo acquiesceret, compositis rebus, ne torpesceret otio sordido, in Gallias traiecit, illic inter pugnacem gentem stipendia facturus, qui apud Senones Gallos, prout rectius reperio (ait Vergilius) quàm apud Allobroges, in magno honore habitus fuit. nam eius ductu Roma pòst à Gallis Senonibus capta est. Fuit autem cētesimo decimo anno postea Brennus alter, natione Gallus,

cuius ope pars altera Gallorum, inuasit Græciam. Contra quem Polydorũ Vergilium Humfredus, Principes fratres ambobus exercitibus iunctis, per Galliam, inquit, aggrediuntur Italiam, victisque Romanis, & vrbe capta, vt Polybius refert, abierunt ex Italia, Bellinus in Britanniam, Brennus in Græciam, deuictisque Macedonibus, Thessalis, Thracibus, ac Pæonibus, reliquos Græcorum populos ad Thermopylas cruentissimo prælio debellauit. Et cum Appollinis Delphici templum spoliare tandem conaretur, prodigioso casu rupis maximæ, atque imbribus è cœlo vehementer cadentibus, exercitus eius totus ferè deletus est. Brennus inde perculsus dolore sibimet ipsi vir fortissimus mortem consciuit. Nec me latet, inquit Humfredus, Polydorum conqueri de annorum supputatione, vt hæc narratio rerum gestarum constare sibi possit. sed reuera tempus optimè quadrat cum historia Britannica, quemadmodum ipse in ordine Regum censendo ponam. Quòd verò Polydorus Vergilius facit Brennos duos, illud est penitus extra fidem; nec vllus scriptor ante eum hoc vnquam memoriæ traditum esse, dixit. Præterea vanum est, quod Polydorus ait, Brennum pace cum fratre facta nihil habuisse, quod ageret domi, sed oportuisse in Galliam ire militatum, ibique Senonibus gratiorem extitisse. nam antea cum fratre Belino rexerat pro parte Septemtrionis Britanniam, ad quam Regni portionem restitutus nunc erat. & Aymarus Riuallius Allobrox lib. 2. historiæ iuris ciuilis, Brennum vocat Gallorum Regem. Atque Viuienus id affirmat esse verum, de Regno Allobrogum, quod adeptus ille, factus est par & æqualis Belino fratri suo. denique Plutarchus in vita M. Furii Camilli, Brennum semper appellat, βασιλέα τῶν Γαλατῶν, quod est, Gallorum Regem, Gallorum autem Κελτικοῦ γένους, qui sunt continentis, ἐν Κελτογαλατίᾳ, quam vocat Claudius Ptolomæus. nam Annius ad M. Catonis librum de originibus Galli, primi qui transcende-

runt

sunt, inquit, Alpes Italiæ, sit dicti à Galathe Herculis filio, sunt Celtæ, quos vulgò Francignas dicimus Repeto nomen Annij propter eius æmulum Spigelium, quem supra confutaui lib. 1. Nota 37. præsertim quòd Petrus Gregorius absolutissimus Iurisconsultus, & omnis eruditionis, antiquitatisque scientissimus eius authoritate vsus lib. 3 syntagmatis iuris vniuersi. c. 14. Annius Viterbiensis inquit, idem censet in commentarijs ad 2. librum Berosi. Sed in repræsenti satis amplector, quod Humfredus adfert, Brennum in Italiam transiuisse per Galliam. quippe mihi non constat de tota Gallia deuicta per Britannos hoc tempore, quo Iustinus lib. 24. historiarum scribit, eos abundasse tanta multitudine, vt illam terræ, quæ genuerant, capere non possent, idcircoque tercenta millia hominum ad sedes nouas quærendas veluti peregrinatum iuisse. atque ex ijs portionem in Italia consedisse, quæ & vrbem Romam captam incenderit. ac portionem aliam Illyricos sinus penetrasse, & in Pannonia consedisse. illamque gentem asperam, audacem, bellicosam esse; quę prima post Herculem, Alpium inuicta iuga, & frigore intractabilia loca transcenderit.

5. CONTRA fas, & ius gentium. Idem Polydorus, Galli post superatas Alpes in Tusciam, inquit, profecti, atque subito bello Clusium oppidum adorti, latè populantur agros, Clusinis auxilia petentibus Romani primo quoque tempore mittunt, & legatos quidem tres, Marci Fabij Ambusti filios. Hi egerunt cum Gallis, ne socios, & amicos Romanorum oppugnarent. qui primus est error, cum sit antè dictum, Romanos cum Clusinis nullam tunc habuisse societatem. Brennus ad ea respondit, se pacem non aspernari, si parte agri, quem latius Clusini possiderent, quàm colerent, egentibus Gallis concederent, alioqui pacem impetrari non posse. Huiusmodi verbis offensi legati Romanorū, quærunt, Quid in Hetruria rei sit Gallis? Inter hæc, & plura ferociter dicta, vtrinque accensis animis discur-

rũt ad arma: Legati, vt & ipsi, quid Romana virtus valeret, in armis ostenderent, contra ius gentium, in Gallos arma capiunt. hic secundus error est, pugnare Legatos. qualis accidit Corino, cum legati Aquitanorum dicerent, non licere sine venia Principis, in Regijs saltibus venari: ac ille responderet, facultatem rei natura communis, peti non oportere. vtrisque enim populis istis per suos legatos ius gentium violantibus, res admodum malè cessit. Nam, vt ait Conradus Brunus lib. 4. de legationibus c. 2. & 4. ius illud singulare non violandorum legatorum, tam diu seruandum est legatis, quamdiu ipsi ius legationis, honestatemque seruauerint; nec hos legatos pro Clusinis tanquam socijs, qui socij Romanorum non erant, ius gentium tuebatur. Creditum est etiam, vrbem Romam, ita fatis vrgentibus, ob id à Gallis captam, ferroque, & igni deuastatam esse, quòd legati Romanorum in legatione sua, bellum Gallis contra ius gentium intulissent: neque Gallis, pro iure gentium violato postulantibus, misso feciali dediti fuissét. Quin imo, quod Liuius lib. 5. refert, In tantæ nobilitatis viris obstitit ambitio, vt non solùm ius, quod Galli petebant, non decerneretur; sed etiam ij, quorum agebatur de pœna, Tribuni militum Consulari potestate in annum sequentem crearentur. Quæ res magnorum postea malorum causa fuit Romanis: quippe vrbe à Gallis capta, & incendijs, atque cædibus diuexata, penè actum penitus de nomine Romano fuisset. Quam pœnam credebantur Deo, & hominibus dedisse propterea, quòd & iusgentium a legatis eorum violatum fuerat, nec ab ipsis, vt oportiut, vindicatum. Quorum quidem artem euadendi punitionem, eleganter Plutarchus in vita Numæ propoint, quòd propter ferocius responsum, arbitrarentur se, quasi prius violatos, iam esse defunctos munere legationis, idcircoque inueniliter, ac temerè ausos pro Clusinis obsessis arma sumere. quæ cum non sufficeret excusatio fecialibus etiam Romanorum, ipsos supplicio dandos esse, & Brennum iustè de agris vacuis sibi

ſibi communicandis reſpondiſſe, ſuadentibus; iſti Fabij, qui erant legati, fugerunt ad plebem pro fauore populi obtinendo, ac ita iudicium repulerunt, ſententiamq; ue euaſerunt. Hęc mihi cuncta probantur, pręterquam quòd Liuius & Plutarchus dicunt, Quinctum Fabium Ambuſtum fuiſſe miſſum oratorem pro Cluſinis ad Gallos, illorumque ducem bellicoſiſſimum prouocaſſe ad ſingulare certamen, quo eum proſtrauerit, & ſpoliauerit; cum Polydorus Vergilius, non illum, ſed eius tres filios, legatos nominet: quem ego, licet Italum Vrbinatem, non auſim comparare cum Liuio Patauino, vel Plutarcho Græco. quanquam argumenta quædam pro eo ſint, quòd Plutarchus iuueniliter, ac temerè factam eſſe pugnam dicat. quæ accuſatio magis in filios, quàm in patrem conuenit. Præterea tempus belli Gallici Senonum (vt Antonius Contius in faſtis Conſularibus oſtendit) erat anni ab vrbe condita plus trecentis ſexageſimi tertij, quo Quinctus Sulpitius Longus, & Quinctus Fabius Ambuſtus erant Conſules, & Camillus ſecundò creatus dictator. ſed alterum Conſulem mitti pro non ſocijs defendendis oratorem vel prouocare hoſtem ad monomachiam, vel confugere auxilij cauſâ ad plebem, neſcio, quàm frequenter hæc in hiſtoria Romana legantur. denique bellaciorem ducem Brenno, nullum audiuimus vnquam, qui fuerit in caſtris Gallorum. Iuſtinus Belgium ſub Brenno, Gallorum ducem nominat in Macedoniam, & Pauſanias lib. 10. Acichorium Brenni ſocium in Pannoniã irruiſſe. Neque facilè quis poſſet credere, Fabium ipſum euaſurum fuiſſe mortem à furente Gallorum multitudine inferẽdam ſubitò, ſi ducem eorum ſic in conſpectu ac illorum oculis peremiſſet atque ſpoliaſſet. Idcirco Plutarchus idem, aliter in vita Camilli, Miſſi ſunt, inquit, optimi, præſtantiſſimique legati tres ex familia Fabiorum, qui pro rudi reſponſo, videntes non fore ſpem tranſigendi cum Rege Brenno, Cluſium ingrediuntur, & ciues exhortantur ſecum exire, impetumque in Gallos facere. in-

se magna pugna committitur antè muros Clusinos, vbi quidam ex Fabijs, dictus Quintus Fabius Ambustus, equo vectus in Gallum hominem, pulchrum ac procerum, satis à ceteris longè distantem, incognitumque, ex Clusinorum subito egressu, armorumque suorum splendore, solum occidit, atque spoliauit. quo Brennus tunc agnito contra Fabium protestatus, deos vocauit in testes violati per ipsum iuris gentium, qui veniens vt legatus, cædem fecerat, vt hostis: & confestim obsidione soluta ducit exercitum ad vrbem Romam, misso tamen antè feciali, qui postularet hunc iuris, ac legum in legatione violatorem, ad pœnam, vt ita iustus Gallorum dolor, & honesta belli contra Romanos gerendi causa posset apparere: quorum vrbem Brennus cepit paulo plus trecentis sexaginta annis ab eius fundamentis primo iactis, quod plus temporis in anno primò Plutarchus, in anno quinto Polydorus videtur ponere, nos in tertio posuimus supra sexaginta; quo anno Fabius Ambustus erat Consul. Nihilominus tamen arbitror Polydorum habere probatos auctores, quos sequatur, licet eos non nominauerit; qui Fabij Ambusti filios dicunt, hos legatos extitisse. idcirco, quod ille dat, nos accipimus. dat enim ex professo scriptum, hac de re, diligenter exquisita. id quod ceteri non fecerunt.

6. MENSIBVS octo integris. Publius Virgilius lib. 8. Æneidos

In summo, inquit, custos Tarpeiæ Manlius arcis
Stabat pro templo, & Capitolia celsa tenebat.
Atque hic auratis volitans argenteus anser
Porticibus, Gallos in limine adesse canebat.
Galli per dumos aderant, arcemque tenebant
Defensi tenebris, & dono noctis opacæ.
Aurea cæsaries illis, atque aurea vestis,
Virgatis lucent sagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur: duo quisque Alpina coruscant
Gessa manu, scutis protecti corpora longis.

Ad

Ad quos versus Seruius notans, Capitolium, inquit, esse arcem vrbis Romæ manifestum est. historia verò talis est. Brenno duce Senones Galli venerunt ad vrbem, & circa fluuium Alliam occurrentem sibi exercitum populi Romani deleuerunt. Alia quoque die, cum vellent ingredi ciuitatem, primò cũctati sunt, timentes insidias: quia & patentes portas & nullum in muris videbant. Postea paulatim ingressi sunt, & cuncta vastarũt octo integris mensibus. adeo vt ea, quæ incendere non poterant, militari manu diruerent, solo remanente Capitolio, ad quod cum vtensilibus ciues reliqui confugerunt. qui tamen à Gallis obsidebantur; etiam id penetrare cupientibus: quod alij per dumeta, & saxa aspera, sed alij per cuniculos ascendere dicunt Gallos esse conatos. tunc Manlius custos Capitolij Gallos detrusit ex arce, clangore anseris excitatus, quem priuatus quidam Iunoni dederat dono. nam, vt ait Plinius, nullum animal ita sentit odorem hominis, vt anser. Sanè quidem Gaufridus, Erant tunc, inquit, duo Consules Romæ Gabius & Porsena. manifestus error in nominibus Consulum, & Gabij pro Fabij. Sed hi duo Consules, inquit, cum vidissent nullam gentem sæuitiæ Belini atque Brenni posse resistere, Senatorum consensu venerunt ad illos, & concordiam, atque amicitiam petebãt. Plurima etiam donaria obtulerunt auri & argẽti; & per annos singulos tributum, vt bona cum pace sinerentur res suas possidere. Sũptis itaque obsidibus, hi fratres Reges veniam dederunt, suasque cohortes deduxerunt in Germaniam. Polybius ait, domum abisse, fœdere cum Romanis percusso. quod non procedit. Nam bis Romam aggressos esse, significat antea Seruius cum dicit, Alia die. & Gallos pacem ingenti pecunia vendere, Iustinus attestatur. & Pausanias eos lucri cupiditate, prædæ amore, rapiendique licentia impulsos expeditionem primam Cambaule duce in Græciam fecisse commemorat.

7. HVC cum Belinus. Illyria est Europæ regio satis ampla, & extensa secundum latus dextrum Adriatici

maris, è ceteris partibus, Istria, Mysia superiori, & ea Macedoniæ parte, quæ incumbit Adriatico mari, terminata. nomen habuit ab Illyrio Polyphemi filio, vt lib. 1. Nota 26. dicebam. Virgilius lib. 1. Æneidos,

Antenor potuit medijs, inquit, *elapsus Achiuis*
Illyricos penetrare sinus.

Et Solinus c. 7. Dalmatia procedit ad limitem Illyricum, inquit, quo simul Dardani sedes habent ex Troiana prosapia, in mores barbaros efferati. Hanc regionem hodiè Sclauoniam vocant. Aquileia verò metropolis est Carnorum: iuxta quam defluit Timauus, & à Plinio collocatur in decima regione Italiæ ad Tergestem fluuium, qui in ora Venetiarum influit Adriatico sinui. fuit autem Romanorum colonia duodecies mille passibus distans à mari. Nam Carni sunt Istris finitimi populi, ab ea parte, qua Iuliæ Alpes incunbunt Aquileiæ. Huc Belinus perueniſſe creditur, & multa bona præstitiſſe, ob quæ apud posteros eius memoria diuinis honoribus celebratur. Nam, vt ait Iulius Capitolinus in vita Maximini Cæsaris, cum is Imperator Aquileiam venit, ea contra illum portas clausit, hominesque armatos disposuit circa muros, nec oppugnatio defuit, auctoribus Menophilo, & Crispino viris Consularibus. Igitur cum Aquileiam frustrà Maximinus obsideret, legatos misit in eam vrbem. quibus consenserat ferè populus, nisi Menophilus cum collega restitisset, dicens, Etiam Deum Bellenum per aruspices spopōdisse, Maximinum esse vincendum. fuit enim hic Bellenus (vt Egnatius adnotauit) Aquileiensium Deus tutelaris ac præses. quem Herodianus lib. 8. Græcè Βέλιν vocat. Aquileia, quasi terminus, inquit, est Illyriæ, quam Crispinus defendit, homo sui natura venerabilis, ac Romana facundia potens, præterea gratus omnibus; miti, modestoque imperio persuasit multitudini, vt in officio fideque permanerent, iussitque legatos rebus infectis ad Maximinum reuerti,

uerti. Nam oracula ferebantur patrij cuiusdam numinis victoriam promittentia. Belem vocant indigenæ, magnaque eum religione colunt, Apollinem interpretantes. & rectè. nam, vt ait Seruius ad lib. 1. Æneidos, Bel punica lingua dicitur Deus. sed apud Assyrios Hel; qui & Saturnus, & Sol hospitibus appellatur. Quocirca nihil est miri, si Numinis huius etiam speciem pro vrbe ipsa pugnantem, quidam ex militibus Maximini visam sibi in cœlo affirmarent. Nam sol aduersus oculos militum radios sui splendoris inijciens, quodammodo pugnare contra ipsos videtur. Nimis ergo timidè Herodianus, vtrum sic esse nonnulli putauerint, an id commentum placuerit ad leuandam infamiam tanti exercitus victi à paucis oppidanis, vt potius à dijs, quàm ab hominibus superati esse viderentur; haud sanè, inquit, habeo satis exploratum. Nam quia corpus Belini non fuit ibi conditum, vmbra eius apparere non potuit, & idcirco nomen illius rectè sunt interpretati, solem, tum quia Belinus hospes erat; tum quia sine mendacio, sol apparet semper.

8. BRENNVM, Senonesque. Diligenter Arthurius hunc Brenni reditum exponens, Cum Principes fratres, inquit, instituissent populum infestare, piguit Romanos pacti fœderis, & audacter in auxilium Germanorum processerunt. quod cum esset compertum Regibus, hi vltra modum indignati, cõsilium inierunt, tantam Italorum multitudinem repellendi. Bellinus mansit cum Britonibus in Germania, Brennus cum exercitibus suis adiuit Romam, vt fœdus ruptum vindicaret. cuius iter Itali reuertentes, impedire conantur. Sed ille mira celeritate, per irruptionem impetu magno factam transiens, coëgit Italos sentire Brennum, Senonesque adesse. manuscriptus codex historiæ Britannicæ, pro Senonibus, habet Gallos aduenisse. quos Humfredus existimat esse Gallos insulæ vltra Sabrinam, vt lib. 1. Nota 29. demonstraui. Nam in exercitu Brenni fuisse Britannos, ipsosque Brenni milites vsos

esse lingua Britannica credit ex eo, quòd Pausanias scribit, Equestris pugnæ institutionem voce patria illos nominare Trimarchisiá: equum enim marcham appellare. Quo quid planius, inquit Hunfredus, dici potest, cum in hodiernum vsque diem Britanni pro tribus, dicunt tri; & pro equo, march: adeo vt trimarchi Britannicè, dicantur hi tres equi; quibus illa pugna instituebatur. Pausanias addit, Gallos lingua sua thyreos, appellare clypeos. quo nomine in hunc diem, scutum Britanni vocant tariam. Brennum ergo verum Britannum, & Bellini Regis fratrem, Dunuallique filium esse, constat. & Cambram Belini Britanniæ Regis filiam, Antenori Sicambrorum regi nuptam. quæ quidem affinitas potuit adiuuisse Brennum ad tam infinitam militum habendam multitudinem. & quia natione Britannus erat, dedisse causam sermonis vtendi Britannici, quamuis multæ legiones Britannæ non militauerint sub eo. nam superius dicebantur, in Germania cum Bellino mansisse. Heraclides certè Ponticus ille, qui non longè vixit à tempore captæ Romæ, scribit rumorem ex occidente venisse, quòd exercitus militum Hyperboreorum cepissent vrbem Romam, quos Britannos esse, quis facilè credat, quia dicit esse positos ad magnum Hyperboreum mare: vt lib. 1. Nota 7. demonstraui. nisi Plutarchus in vita Camilli scripsisset, Heraclidem addidisse de suo, tam nomen Hyperboreorum, quàm magni maris mentionem. Ego memini Plutarchum quoties hac de re loquitur, ferè semper vti nominibus γαλατῶν, σεννωνων, καὶ κελτορίων: qui fuerunt omnes populi continentis.

9. VIGINTI quatuor obsiduum. Brēnus (vt idem Gaufridus Arthurius narrat) tribus diebus obsidebat Romam, obsessisque Romanis mandauit seruare pacta, & vectigal soluere, nisi mallent obsides, quos dederūt, videre suspendi. Ceterum Romani perseuerant in suo proposito, seque defendere conantur. Cum illud Brennus

mus conſpexiſſet, ira graui confeſtim motus, viginti quatuor nobiliſſimos obſides laqueo ſuſpendi iubet. Romani denſis agminibus incedentes, ex improuiſo Allobroges & Britones inuaſerunt, ciuibuſque in vnum congregatis ſtragem non minimam fecerunt. quam Brénus intuens hortari ſuos cœpit fortiter agere, crebraſque irruptiones vi facere. ita tandem peremptis vtrimque viginti millibus pugnatorum (ſic enim legitur in codice hiſtoriæ Britannicæ manuſcripto) victoria Brenno prouenit, qui ciuium abſconditas opes commilitonibus dedit. Deinde Capitolium, vt ait Polydorus, clam & noctu inuaſere. adeo, vt nihil propius eſſet factum, quàm quòd caperent: cum ſubito clangore anſerum proditi, à ſummo rupis ad ima deijciuntur. Sed pro extremo remedio Romani, Camillum qui tunc Ardeæ exulabat, Dictatorem creant, ac maiorem in modum rogant, ingratæ patriæ ſubuenire. Camillus ſine mora copias ad bellum parat. Interea qui erant in Capitolio, penè ſuffocati fame, paciſcuntur cum Brenno, vt mille pondo auri ſe populus Romanus redimat, & ille cum exercitu, vrbe, agroque Romano decedat. Verùm forte quadam, bonaque fortuna factum eſt, vt Romanum genus ea ignominia non ſit aſperſum. Sanè Galli poſtea non contenti iuſto pondere auri, gladium addunt etiam ponderi. Romani contrà, negant aurum iniquis ponderibus appendere. Dum per altercationem extrahitur tempus, Camillus adfuit, priuſquam aurum ſit appenſum. tunc auro eius iuſſu de medio ſublato, ait, nullum Dictatoris iniuſſu fœdus, aut pactionem à minore magiſtratu fieri potuiſſe: atque edicit, vt Galli ad vltimum certamen ſe accingant. Ita commiſſa pugna Galli, qui non pugnam, ſed aurum expectabant, nullo ferè negotio victi ſunt. Quæ narratio Polydori, qua negat aurum fuiſſe appenſum, quaſi traditio pecuniæ Romanis ignominioſa foret, certè conſentanea non eſt Seruio, qui ad lib. 6. Æneidos, Galli Brenno duce, inquit, apud Alliam fluuium deletis legionibus, euerterunt vrbem

Romanam absque Capitolio. pro quo immensam pecuniam acceperunt. Tunc Camillus absens, dictator est factus: cum diu esset apud Ardeam in exilio propter Veientanam prædam non æquo iure diuisam. & is Gallos iam abeuntes secutus est. Quibus interemptis aurum omne recepit, & signa. Quod aurum cum illic appendisset, ciuitati nomen dedit. nam Pisaurum dicitur: quòd illic aurum pensatum est. Post hoc tamen factum rediјt in exilium Camillus, vnde rogatus reuertebatur ad vrbis, & Populi Romani auxilium. Sic Seruius. sed paulo aliter Plutarchus, Galli abeuntes, inquit, per Adriaticum mare, rursus cum exercitu magno venerunt Romam versus; & Camillus quintò Dictator electus, admodum senex, & annorum circiter octoginta, profligauit eos, castra ponentes ad flumen Anienis, non longè ab vrbe Roma; idque anno, vt plerique arbitrantur, ab eadem per Gallos ipsos capta decimo tertio. post quod tempus Romani, vires Gallorum illorum pertimescere non solebant.

10. HVNC simul imperat pensari. Vnius gladij mentionem fecit Polydorus, sed eum à Gallis iniectum esse scribit. Sulpitia poëtria in carmine, quod fecit de statu Reipublicæ, & temporibus Domitiani, posito sub finem operum Ausonij, memor pluriũ gladiorum,

Non Capitolino veluti turbante Camillo, inquit,
Ensibus, & trutina Galli fugêre relicta;
Sic nostri palare senes dicuntur.

Ego autem nisi gladium vnum, cumque Brenni arbitror fuisse. sic enim Plutarchus in vita Camilli, cum placuisset vti Principes, inquit, venirẽt ad colloquium, Brennus, & Sulpitius Romanorum ductor, conuenit, vt Romani mille libras auri dependerent, & Galli simul atque accepissent aurum, ex vrbe, & ex agris discederent. Super his rebus cum intercessisset etiam iusiurandum, & aurum iam esset adductum, Gallique immemores pactæ fidei, furtim initiò, palàm deinceps lancem deprimerent, ac detorquerent, aduersus

illos

illos coorta est indignatio Romanorum. At verò Brennus tanquam per ludibrium, & irridendi causa, ensem vnà cum baltheo exutum, apposuit lancibus. Tunc interroganti Sulpitio, Quid hoc esset rei? Brennus respōdit, Quid aliud, nisi victis dolor? quod ab eo dictum, postea in prouerbium abijt. cuius meminit Festus Pompeius; illud addens, quòd Camillus, cum Brennum circumuentum insidijs premeret; ac ille quereretur, contra fœdus fieri, retorserit in eum vocem hanc propriam, Væ victis.

II. NOMINE appellauit. Hæc vrbs lib. I. feudorum titulo 19. Verona, quę Brenus vocatur & quidam historiæ ignari, variam lectionem finxerunt, de Hyberno, vrbe nusquam audita. Brennus quoque splendidam ciuitatem Bergomi condidit. qua de re Philippus Bergomas in principio lib. 6. gloriatur. Iam ad Brennum conditorem, inquit, nostrum, ventum est. Is, vt omnes historici planè testantur, aut conditor, aut amplificator fuit omnium ferè Cisalpinarum vrbium. inter quas Mediolanum, inquit Caius, Verona, Mātua, Brixia, Vincentia, Sena, Papia, Comum, & Cremona est, sicut ipsi etiam Itali scriptores tradiderunt. Primus igitur Anglorum rex Brutus nepos Æneæ, secundus Locrinus eius filius, erat. qui sagitta percussus in bello vitam finit. & Madanus eius filius rex erat tertius. Inde quartus Membricius, vir pessimus imperauit post quem Ebrancus, qui primus à Bruto classem in Gallias perduxit. Secundus Brutus, ipsius filius successit loco sexto. post hunc septimus imperat Leilus, qui vrbem condidit ex nomine suo. Et prætermisso Rudibra Leili filio, malè numerans Philippus Bergomas, Octauus, inquit, Badudus imperat. qui Necromantiam primus Anglos docuit. Deinde Leir, filius eius, plurimarum vrbium exstructor, & trium filiarum parens. quibus matrimonio collocatis, à duob⁹ Generis regno pulsus, à tertio Aganippo rege Galliæ restitutus est. Mortuo patre succedit vltima earum; cuius sororum filij regnum adepti, vnus eorum Cuneda dictus, ger-

mano

mano fratre pulso triginta tribus annis rex imperauit. Riuallo deinceps rex est. post hunc Gurgustius, & Sisillius & Iago, & Chinemarcus & Gorbodio; deinde Porrex, qui Ferrece fratre perempto, ipse pòst occiditur, & regnum diu per quinque Principes laceratur. Tandem Mulmutius Clotenis filius regnum obtinuit, aureaque corona sibi accepta, leges Mulmutias edidit. atque celeberrimum Concordiæ templum exstruxit, in quo sepelitur anno regni quadragesimo. filios relinquit duos Bellinum, & Brennum. Brennus ergo conditor noster, inquit Philippus, & maximus & excellentissimus militum ductor, multarum vrbium fundamenta iecit. in quarum est numero, Ticinum, & Bergomum.

12. NOVAS condit. Belinus in Britanniam reuersus est, &, vt ait Gaufridus, magna cum tranquillitate rem administrat. vrbes iam ædificatas, vbicumque fuerant collapsæ, instaurat, & nouas ædificat. in quibus est vna, quam statuit supra Oscam flumen propè Sabrinam. Hæc metropolis est Demetiæ, & postquam Romani venerunt in Britanniam, eo nomine deleto, vocata est vrbs legionum, propter legiones Romanas, quæ in ea hyemem agere solebant. Quibus ita constitutis Polydorus, qui dixerat antè. Carliolum à Leilo conditum esse, nunc Caerleonum ait à Belino factum, ibidemque frequenter hybernare Romanas legiones, & idcirco dici, vrbem legionum. Nam in Vallia oppidum esse illud ædificijs celebre, ac situ loci peramænum. postea subijcit, aliud esse oppidum Legionum, in altero cornu Vallici sinus ad septemtrionem conditum, atque istud ita quoque dictum, quòd eo loco etiam Legiones plurimùm adessent, populusque vrbem hanc Cestriam vocaret. adluitur, inquit Polydorus, Dea flumine, quod procul ab ea circiter sex millia passuum, se in Oceanum emittit. Cui Gulielmus Paradinus adsentiens in compendio descriptionis Angliæ c. 25. Bellinus Rex, inquit, vrbem condidit, quam nunc appellant Carleonem in Vallia, loco

amæ-

amœnissimo. hanc vrbem Legionum hodiè nominant, forsitan à legionibus Romanis, quæ illic stationem habebant. Et etiam aliud eiusdem nominis oppidum in Vallico sinu, quod hodiè Cestriam vocent. Igitur Hunfredus, Deuani, siue Cestrienses, inquit, sunt habitantes propè fluuium Deam. vbi alia ciuitas est, Romanorum monumentis celeberrima, quæ à legionibus Romanorum ibidem hyemantibus in hunc diem a Britannis Caer-leon, id est ciuitas legionum super aquam Deæ nominatur, ad differentiam alterius ciuitatis eiusdem nominis, sitæ super Oscam fluuium. Ex Antonino perspicuum est hanc olim Deuam à Latinis appellatam fuisse, quam nunc Angli Cestriam nominant. Quocirca rectè Gaufridus natus in regione Monemuthensi, vbi Belini vrbs est, eam dicit multis temporibus vocatam fuisse Caeruscam, donec ex aduentu legionum Romanarum, vrbs Legionum nominaretur. quam Antoninus Iscæleiam Augustam appellat, & à Burrio distare nouem millibus passuum arbitratur. certè solebat in hac vrbe Secunda Legio Augusta, quæ Britannica etiam Secunda nominatur, manere. vnde Cambdenus, vrbem legionis vocari scribit. Hæc legio ab Augusto Cæsare instituta transferebatur per Claudium Imperatorem sub auspicijs Vespasiani, è Germania in Britanniam, & hic in præsidio contra Siluras locabatur. Altera vegesima Legio, dicta Nicephoria, collocabatur ad Deuam, vrbe, quæ nunc Cestria vocatur, & inde quandoque vrbs legionis etiam illa nominatur. Itaque distinguendi causa, solet hæc Belini, vrbs Legionis ad Iscam appellari.

13. Turrim in colle Londini. Fecit Belinus etiam in vrbe Trinobantum ianuam fabricæ magnæ super ripam Tamisis. hanc temporibus istis, inquit Gaufridus, Belini portam, ex eius nomine ciues vocãt, cuius in portæ fastigio turrim extruit quoque magnam, ac in eius pede commodum portum, nauibus illuc adplicãtibus. denique mortui corporis eius combusti puluis aureo cado reconditus, in summo turris illius

illius, arte mira ponebatur. Ioannes Lelandus addit, Belinum ædificasse turrim Londinensem, quam hodiè vocamus. quod non est improbabile. nam Peredurus Rex postea captus, in ea custoditur. Hanc igitur arcem Londinensem, inquit Polydorus Vergilius, satis munitam, & multis turribus, vnde nomen habet, exstructam, falsò vulgus Anglorum prædicat à Iulio Cęsare conditam esse, qui de Londino non meminit, quippe quòd eò non peruenerit. Stoueus non prætermisit Belinum ea, quæ religionis erant, summopere curasse, atque idcirco tres Archiflamines Londini, Eboraci, Carliæ ad Vscam instituisse. Fuit autem hęc vrbs Caervsca perantiqua, inquit Gyraldus, olim egregiè à Romanis constructa coctilibus muris. In qua videntur multa pristinæ nobilitatis vestigia, & immensa palatia fastigijs tectorum aureis, imitantia fastus Romanos, quòd à Romanis principibus exstructa primùm, & egregijs ædificijs illustrata fuisset. Id ab eo dictum, si est verum, profectò non à Belino, sed à Romanis hæc vrbs initio sui condebatur. Cui dubitationi responderi potest, vrbem Legionis hanc fuisse circundatam muro primo à Romanis, non ædificatam ex fundamentis. nam in eius ingressu turrim giganteam commemorat Gyraldus, quam nemo dixerit Romanos exstruxisse: verùm illos potius gigantes antiquissimos, vt lib. 1. Nota 16. demonstratur. Sed quod attinet ad religionem, Iacent hic duo nobiles, inquit Gyraldus, atque post Albanum, & Amphibalum, duo præcipui Britanniæ maioris protomartyres, ibidem pro fide Christi occisi, Iulius & Aaron. quorum vterque insignem Ecclesiam in vrbe habebat. fuerunt enim temporibus antiquis Ecclesiæ tres egregiæ. vna Iulij Martyris, choro Virginum Deo dicatarum venustata. tum secunda, nomine Aaronis, eiusdem socij fundata, & præclaro Canonicorum ordine illustris. tertia fuit Amphibali, hoc in loco oriundi, qui Sancti Albani doctor, & certus ad fidem informator erat. Situs vrbis egregius est super Oscam flumen, satis idoneum naui-

gio

gio influente mari. Denique ſyluis & pratis vrbs eſt illuſtrata. in qua Magni illius Arcturi curiam fama claram, homines adiuerunt, & Dubritius Archiepiſcopus tranſlata ſede, Dauidi Meneuenſi ceſſit honorem. Nam Archiflaminem à Belino conſtitutum, Lucius Rex Chriſtianus poſtea, fecit eſſe Archiepiſcopum. quia illo imperante, tres Archiepiſcopi conſtituebantur loco trium Archiflaminum, vt ad l. 78. Decem virorum explicabam.

14. IRE iuſſit. Cambdenus ait, Si ſit verum quod Hiberni hiſtorici narrant, eorum inſula meritò dicta fuit, Ogygia, id eſt, perantiqua, Ceſaram enim ante diluuium incoluiſſe ſcribunt. poſt ſecula plurima Hiberum & Hermionem Hiſpanos Gurguntij Regis Britannorum permiſſu colonias deduxiſſe in hanc regionem peſtilentia exhauſtam, hiſtoria Britannica demonſtrat, vt retuli ſupra lib. 1. Nota 13. Hæc neque affirmare, neque refellere, inquit Cambdenus, in animo mihi eſt. Certè vt Hiberniam antiquitus habitatam fuiſſe crediderim, cum genus humanum ſeminaretur per vniuerſum terrarum orbem; ita perſpicuum eſt, ex Britannia primos incolas illò migraſſe. nam in Hibernico ſermone vis infinita eſt Britannicarum dictionum, atque vetus cultus Hibernorum, vt ait Cornelius Tacitus, non multum differt à Britannico. Denique à ſcriptoribus antiquis omnibus inſula ea, Britannica nominatur, præſertim cum Romani ſuum imperium vndique propagaſſent, multi procul dubio ex Hiſpania, Gallia, & Britannia ſe receperunt in Hiberniam, ne potentiæ Romanæ ſubijcerentur. Quæ res fecit Iulium Agricolam ſuadere Romanis capere Hiberniam, ſi Britannos in officio continere vellent. Attamen Hibernia, licet ipſo ſitu fuerit Imperio Romano ſummè neceſſaria, eiuſque aditus, & portus per commercia fuerint cogniti Romanis; & Iulius Agricola quemdam Hiberniæ Regulum ſeditionibus expulſum, retinuerit ad occaſionem inſulæ capiendæ; nunquam tamen à Romanis in ditionem accepta fuit.

Nam quòd in historia Britannica Hispani Balenses appellantur, puto legendum, esse Baleares, vt Virgilius lib. 1. Georgicôn, Balearem fundam ex eo loco vocat. Nam Seruius ad 7. Æneidos, Geryones, inquit, Rex fuit Hispaniæ. qui trimembris ideo fingitur; quia præfuit tribus insulis, quæ adiacent Hispaniæ Balearicæ, minori, maiori, & Ebusæ. Vnde credo nunc has duas insulas Baleares ab Hispanis, quorum imperio parent, Maioricam, & Minoricam appellari.

15. GVBERNACVLVM septem annorum. Amandus Zirixæus, Post Gurguntium in Britannia, inquit, Guintelinus regnat annos 26. & deinceps Martia vxor eius, à qua conditæ sunt Martiæ leges, regnat annis septem, vnà cum filio Sisilio. Quem Polydorus more Romano Sicilium vocat. à quo fortasse vicus in Britannia fuit extructus, cui nomen Sicila. nam Aelius Lampridius in vita Cæsaris Alexandri Seueri scribit, eundem cum paucis in Britannia occisum esse in vico, cui Sicila nomen est. Gaufridus lib. 1. c. 20. Diadema regni Guintelinus omni vitæ tempore, inquit, benignè, modestéque tractauit. Vxor ei nobilis mulier erat, Martia nomine, & artibus omnibus erudita. Hæc inter multa, & inaudita, quæ fecit, proprio ingenio legem inuenit, quam Britones Martiam vocant, quamque Rex Alphredus transtulit in linguam Saxonicam. Cum obijsset Guintelinus, regni gubernaculum mansit Reginæ, ac filio eius, qui Sisillius vocabatur, cuius ætas needum ferebat administrationem sine matris auxilio, consilioque. hac mortua, benè, prudenterque rexit solus annos quindecim, vt in publico Regum ordine describitur, & vestigia patris secutus est. De quo Polydorus, Nutu dei factum, inquit, est, vt Gintolinus ad regnum ciuilibus dissensionibus quassátum perueniret; quò reduceret illud in pristinum statum. id quod gnauiter fecit. eo enim potitus, Rempublicam Britannicam, iure, legibus, ac moribus, velut de integro condere, atque ornare maximè studuit. sed ante omnia, ciuiles discordias, quæ

adhuc

adhuc tanquam reliquiæ factionum durabant, penitus sedauit. Huic vxor erat nomine Martia, mulier prętet ceteras pulchra & sapiens; quæ peperit vnicam filium Sicilium. iste mortuo patre cum nondum esset maturus imperio, Martia multarum rerum perita, regni curam interim suscepit. quod è Republica esset, id in primis sibi faciendum rata, leges tulit, quas posteri Martianas appellauerunt; Nouissimè Caius, Prætereo, inquit, Guttelinum Regem, Gurguntij filium, quem Beda grecè, & Latinè doctissimum fuisse scribit quam eius doctrinam cogitans, in tanta varietate nominis, hunc regem more Romano Quintelinum, vt facit Dauid Chamber, appello.

16. INTERFECTVS est. Defuncto Elanio, inquit Gaufridus, ex Tangustela cōcubina filius eius Morindus fuisse: Rex fama clarus, si non plus ęquo indulsisset nimiæ crudelitati. cuius immanitatis exempla verbo ad verbum inde recensui. Quod sæuitiæ, crudelitatisque vitium videtur huius ætatis hominum fuisse. Dequeillo conquestus Pausanias, Erat Brennus, inquit, haudquaquam incallidus, aut rudis. quin, vt Barbarus homo, satis acutus & experiens ad eas artes, quibus hostem falleret, excogitandas. Tum de militibus eius sic, Erat armatura eorum, inquit, multo infirmior, quàm Græcorum. nam præter suos illos thyreos nullo armorum genere corpora munierant. Rei autem militaris scientia, erant multo etiam inferiores Græcis: furore tantum, & impetu animi oppressa ratione in prælium ritu ferarum ruebant. Neque verò aut bipennibus diuisos, aut gladijs concisos, sua illa mentis efferatæ concitatio, dum animam agerent, deficiebat: aut sagittis & missilibus confixi, quamdiu vitæ aliquæ reliquiæ superessent in corpore, sænire desinebant. De his fuerunt, qui è suis ipsorum vulneribus euulsa spicula, in Græcos retorserint, vel cominus impresserint. Denique de crudelitate ipsorum erga hostes sic, Brenno venit in mentem, fore sibi facilem, inquit, belli conficiendi rationem, modò Ætolos cogere posset, vt

domum redirent. Delectis itaque è toto exercitu peditum quadragies mille, ac equitibus octingentis, præficit ijs Orestorium & Combutin, quibus mandat, vt per Sperchij pontes in Thessaliam primùm veniant, atque illinc in Ætoliam inuadant. Hi duo fuerunt, qui in Callienses dira, & omnium, quæ vnquam ad aures nostras peruenerint, inquit Pausanias, atrocissima edidere facinora, & quæ omnino ausos vnquam homines fuisse, veri neutiquam simile videri possit. Quidquid marium fuit, ad internicionem exciderunt: senes, & paruulos ab ipsis matrum vberibus abreptos immaniter trucidarunt. Horum, si qui erant lactis alimonia melius curati, sanguinem hauserunt, & ipsis etiam carnibus in cibum sunt abusi. Mulieres, & nubiles puellæ, vrbe expugnata, quæ fuerunt elatioris animi, sua sibi manu mortem consciuerunt: quæ superstites fuêre, eas Barbari omni cuiusuis exquisitę cõtumelię genere affectas lacerarunt; gens scilicet tam amoris, quàm misericordiæ expers. Et earum sanè multæ, Gallorum enses nactæ, in eos vltrò incubuerunt. Aliæ non ita multò pòst immaniter Barbaris in eas vicissim irruentibus, inedia & vigilia mortem oppetiere: quibus neque spiritum exhalantibus, neque iam exanimis, quo minus libidinem explerent suam, illi parcebant. Effectum certè est, ex tantis Calliensium calamitatibus, vt quæ ab Homero de Læstrygonibus, & Cyclopibus dicta sunt, fabulosa videri iam non possint. Hæc Pausanias de Brenni militibus, quos vocat semper Gallos, & Humfredus intelligit vltra Sabrinam Britannos, quod mihi Nota 8. superius, non videbatur, esse cuiquam necessarium credere.

17. COGVNT armis. Idem Gaufridus lib. 3. c. 21. Archigallo moribus contrarius, inquit, germano fratri Gorboniano viros nobiles, de sua dignitate deponit, & ignobiles extollit: diuitibus aufert bona, & ex his cumulat thesauros. Quod Heroes Regni diutius ferre recusant, & in illum commoti, à solio Regio deponunt; eiusque fratrem Elidurum in eo collocant,

qui

qui postea vocatus est Pius, propter insignem misericordiam, quam erga fratrem depositum exhibuit, illum elapso quinquennio restituens ad Regni administrationem. Qua de re Paradinus satis vehementer c. 28. Quoties mecum reputo, inquit, quàm crudeles se præstiterint Angli contra suos Reges, & quoties illos tanquam vile pecus mactauerint, sanè quidem admiror in ea Insula fuisse, qui Regia insignia, vel humi iacentia, tolleret: nec aliquem fuisse, qui aliorum carnificinam exhorreret. Verùm cæca cupiditas dominandi omnes ferè in exitium perpulit. Manlius Rex interficitur sub specie pacis, à fratre suo. Leir à generis regno pellitur. Cordeilla eius filia regno spoliata per nepotes ac in perpetuum carcerem trusa, vitæ tædio sibi mortem consciuit. Ferrex à fratre Porrece ob regni administrationem interfectus est. cuius desiderium non ferens mater, sed furore percita dormientem Porrecem suis manibus iugulauit. Archigallo Rex, cum infimæ plebis homines pluris faceret, quàm summos proceres, ab his deiectus est solio. Elidurus cognomento Pius à fratribus germanis Regnum affectantibus in vincula coniectus est Londini.

18. IN arte Musica Deus. Deinde Gaufridus lib. 1. c. 22. Belgabridus omnes cantores, inquit, quos ætas præcedens habuit, plurimum excedebat, tum in modulis, tum in omnibus Musicis instrumentis, ita vt Deus ioculatorum esse videretur. Iocationem vocat lætitiam, atque delectationem ex arte Musica, siue per voces, siue per instrumenta procedentem. nam ita Caius, Belgabridum hominem Regem, inquit, tantum fuisse Musicum constat, vt propter excellentem Musices cognitionem, sicut Fabianus scribit, Musicorum Deus appellaretur.

19. SPLENDOR Imperij Britannici. Idem Gaufridus, Post Dinellum, inquit, Helius eius filius Regnum annis quadraginta gubernat. tres filios generat Luddum, Cassuellanum, Nennium; quæ simplex eorum nominatio, quandam excellentiam demonstrat.

 licet

licet Polydorus de ijs Regibus, qui præcesserunt, dicat, nihil scriptu dignum esse proditum memoriæ, quia pre socordia & desidia, nullas bonas artes coluêre. Gyraldus tamen Pirrhi mansionem vocat castrum Manobri, quod ætate sua fuerat adhuc turribus & propugnaculis eximium: ab occidente, portum habebat extensum; à Circio, & Borea sub ipsis mænibus, viuarium egregium, tam sui venustate, quàm profunditate aquarum valdè conspicuum. Item Ziriχæus Dinellum vocat Caporij filium laudatissimum. & Stoueus, Helium struxisse Regiam scribit, vixisse, ac mortuum, in ea insula sepeliri, quæ post ab ipso Helis appellabatur. Verumtamen in re præsenti, quod restat, annos, & tempora, quibus hi Principes rexerunt, sicut in alijs hactenus feci, puto nunc explicari ordine debere. nam ita res per eos gestæ, melius intelligentur. Pentarchia incepit post mortem Porrecis, anno ab orbe condito 3465. & durauit per annos 51. proinde Rex

44. *Mulmutius Dunuallo cœpit imperare anno 3516. & regnauit annos 40.*

45. *Belinus & Brennus regnare incipiunt anno 3556. & simul 5. Belinus solus 21. Itaque 26. ipse regnat.*

46. *Gurguntius inchoat regnum anno 3582. & finit anno 19. postea.*

47. *Quintelinus regnare cœpit anno 3601. & imperauit 26. annos.*

48. *Sisillius Secundus auspicatur regnum anno 3627. & cum Martia matre 7. solus 15. Itaque in vniuersum 22. annos regnat.*

49. *Chimarus incipit regnare anno 3649. & desinit post annos 3.*

50. *Elanius regnum accipit anno 3652. & relinquit post annos 10.*

51. *Morindus inchoat anno 3662. & finit imperium anno deinceps 9.*

52. Gor-

52. *Gorbonianus cœpit regnare anno 3671. & desijt anno postea 11.*

53. *Archigallo incipit regnare anno 3682. & ceßat anno 5.*

54. *Elidurus cœpit imperare anno 3687. & ceßat anno 5. Rursus Archigallo restitutus imperat annos 10. eóque mortuo redit Elidurus ad regnandum per annos 2. Quibus computatis*

55. *Vigenius & Peredurus incipiunt regnare anno 3704. & simul regnant annos 7. tum solus Peredurus annos 2. atque sic in vniuersum 9. Denique Elidurus redit ad Imperium per annos 4. quibus supputatis*

56. *Rex Gorbonius inceperit administrare anno 3717. & finierit anno 10.*

57. *Morganus Iunior inchoat anno 3727. & finit regnum post annos 14.*

58. *Emerianus regnare cœpit anno 3741. & desijt anno deinde 7.*

59. *Idwallo auspicatur anno 3748. & finit regnum post annos 20.*

60. *Rimo cœpit regnare anno 3768. desijt autem post annos 16.*

61. *Geruntius inchoabat anno 3784. & finiebat regnum anno deinceps 20.*

62. *Catellus accepit imperium anno 3804. & reliquit post annos 10.*

63. *Coëlus Primus incipit anno 3814. & desinit regnare post annos 20.*

64. *Porrex Iunior inchoat anno 3834. finitque imperium anno 5. postea.*

65. *Cherinus incipit anno 3839. & anno vno finit regnum.*

66. *Fulgenius itaque cœpit anno 3840. cessatque regnare post annos 2.*

67. *Eldreaus incipit anno 3842. neque regnat plus anno vno.*

 68. *An-*

68. *Androgius anno 3843. cœpit, & desijt anno sequente.*

69. *Vrianus anno 3844. incipit, ac finit regnum anno 3.*

70. *Eliudus anno 3847. rem capit, & relinquit anno 5.*

71. *Dedacus anno 3852. auspicatur, & finit regnum post annos 5.*

72. *Cloteuus anno 3857. regnare cœpit, ac desijt anno 2.*

73. *Gurguineus anno 3859. inchoat regnum, & finit post annos 3.*

74. *Merianus anno 3862. capit, & relinquit regnum anno 2. sic*

75. *Bladunus anno 3864. incipit regnare, ac desinit anno 2.*

76. *Capenus anno 3866. inchoat, & finit imperium anno 3.*

77. *Oënus anno 3869. cepit, ac finiuit regnum post annos 2. itidem*

78. *Sisillius Tertius anno 3871. incipit, & desinit regnare post annos 2.*

79. *Rex Belgabridus anno 3873. auspicatur, & regnat annos 10.*

80. *Archimalus anno 3883. rem capit, tractatque per annos 2.*

81. *Eldolus anno 3885. accipit imperium, quod relinquit post annos 4.*

82. *Redion anno 3889. cœpit, atque desijt regnare anno 2.*

83. *Roderecius anno 3891. incipit, & finit regnum anno 3.*

84. *Samulius anno 3894. initium facit regni, ac finem post biennium.*

85. *Penisellus anno 3896. regnare cœpit, ac desijt post triennium.*

86. Pir-

86. *Pirrhus anno 3899. incipit regere, atque finit biennio.*

87. *Caporius anno 3901. cœpit imperare, sed perrexit nisi per annos 2.*

88. *Dinellus auspicatur imperium anno 3903. & eiusdem perficit annos 7.*

Adeo vt principium Regni Helij, qui est Dinelli filius, contigerit anno ab orbe condito 3910. atque sic à Dite Samothe ad ipsum, intercesserint anni bis mille: nimirum à Dite ad Brotum 945. & ab eo ad Helium 1055.

AMPLISSIMO DOMINO CHRISTOPHORO ASSONVILLIO

Catholicæ Regiæ Maiestatis in Consilio Arcano, summisque totius Belgij negotijs Primario S.

MARCVS *Tullius Cicero, cum intellexerat poëma suum à Iulio Cæsare probari, volebat tum equis, tum verò quadrigis poëticis res eius in Britannia gestas exornare. Quam ob causam epistolas scribens ad Quinctum Ciceronem fratrem suum, qui cum Cæsare fuit, sicut & Caius Trebatius Iurisconsultus, in Britannia, Modò mihi date, inquit, Britanniam; ego pingam coloribus tuis, & pe-*

& penicillo meo. Ad quod argumentum cum à fratre de Britannia literas accepisset, ὑπόθεσιν scribendi egregiam inquit, habere videor. quos situs, quas naturas rerum, & locorum, quos mores; quas gentes, quas pugnas, quem verò ipsum Imperatorem? Certè si liber ille Ciceronis extaret, quo res Britannicas fortasse descripsit, hoc meo non esset opus. Qui vt probetur à Gubernatore nostro, sis mihi, quæso, Trebatius alter; qui es Iurisconsultorum ornatissimus, atque Historicorum peritissimus. Scio Principem non posse per occupationes totius Reipublicæ maximas, vacare legendis his nostris: quæ per otium quantulumcumque Amplitudo vestra legi coram se iubeat, Principique, siquando vacat, audita referre dignetur.

HIS-

HISTORIARVM
LIBER QVARTVS.

HELIVS Dinelli filius iure succedit in Regno Britanniæ, patri suo, leges obseruari curat, iustitiam colit, summa cum tranquillitate annos quadraginta Rempublicam administrat. In ea insula, quæ ab ipso dicitur Helis, 1 palatium extruit, Regiam figit, mortuus sepelitur, susceptis, & generosè per omnia educatis, tribus filijs illustribus Luddo, Cassuellano, & Nennio 2. Luddus natu maior capit regnum, cingit mœnibus vrbem Trinobantum, & innumeris turribus condecorat. intra quam præcipit ciuibus omnes domos suas ædificare; quòd eam plus cæteris vrbibus Insulæ diligeret. nam in ea pro maiore parte anni vitam transigebat. In eius medio palatium egregium, & in occidentis parte struxit opere magno portam, quæ ab eo Ludda nominatur; 3 & vrbs ipsa tot ædificijs nouis exornata, cœpit numero plurium cognosci per appellationem Lundoniarum. Iste Luddus cognomento Imanuentius fuit homo bellicosus, epularumque populo dandarum liberalitate clarus. Accepto Regni diademate confestim de statu Reipublicæ instaurando, deque legibus recognoscendis egit accuratè, pessimosque rerum abusus tot diuersorum Principum temporibus inueteratos, è populo sustulit. Cum annos vndecim in ciuitate Trinobantum rexisset, à Cassuellano interficitur, & An-

1

2

3

& Androgeus cognomento Mandubratius eius filius natu maior in Galliam postea transmittens, ad Caium Iulium Cæsarem, fuga mortem euitat. 4 Luddi corpus in templo, quod iuxta
4 portam à se dictam struxerat, humi reconditur, filios reliquit superstites duos adolescentes, Androgeum, quem dixi, ac Theomantium. quorum patruus Cassuellanus occupat Regnum. Androgeo Londinum, & Cantium; Theomantio Corinualliam habere permittit, ne suis nepotibus Regnum abstulisse videretur. Sed quia nihil amplius tribuit eis, ipséque diademate Regni præfulgens, tam illis, quàm ceteris Insulæ Principibus solus imperat, Cassuellano cum reliquis ciuitatibus continentia bella intercesserunt; donec aduentu Cæsaris ad Britanniam permotæ, eundem toti bello, imperióque præfecerunt. Hac re tanta factus iam in suo potentatu quietior, edicit omnibus Britanniæ Principibus, vt ad vrbem Trinobantum adessent, & in templo Concordiæ sacrificia Dijs patrijs offerrent. Quò cum aduenissent, occisione pecudum sacra diuersa fecerunt. quadraginta millia boum, & centum millia ouium, volatiliaque, & omnis generis animantia, præter triginta millia ferarum syluestrium litauerunt. Mox cum honores Dijs debitos perfecissent, sese residuis epulis, vt in sacrificando fieri solet, refecerunt. reliquum diei, noctisque, tempus quod restabat, varijs generibus spectaculorum, ludorumque peregerunt. In his accidebat, inclytos iuuenes Hireldam Regis Cassuellani, & Euclinum Ducis Androgei nepotem in palæstra contendere. Hireldas Euclinum magna verborum contumelia prouocat. quem iste statim arrepto gladio interficit. Continuò perturbātur omnes Ordi-

Ordines. fama rei defertur ad Caſſuellanum. Is
Androgeo mandat Euclinum ſiſtere. Andro-
geus cognito Regis in ſe maleuolo animo, dixit
eſſe ſibi tribunal, ad quod oportet ſiſti ſuos ſub-
ditos, ac inde ius audire. propterea quid de
Euclino ſtatuendum ſit, ſe more maiorum in
vrbe Trinobantum velle cognoſcere. Huius
reſponſionis libertate maiorem iram Caſſuella-
nus animo cõcepit, quàm de morte ſui nepotis.
Hireldæ. Metuebat enim de ſummo Principatu
abrogando ſibi. proinde cenſet Androgeũ ferro,
flammaq́; proſequendum. minatur extremam
prouinciæ ſuæ deuaſtationem, niſi citò faciat
imperata. Cuius immanem feritatem ſæuientis
in res, propter delicta perſonæ, Androgeus quo-
tidiè per amicos lenit. 5 quibus nihil proficien- 5
tibus, conſilium init, quo Caſſuellanum ab iniu-
rijs abſtinere vi cogat. Deſtitutus autem omni
ſpe alia, cogitat rem ipſo ſe indignam, patriæq́;
ſuæ perniciosam. Caij Iulij Cęſaris in continen-
te tunc exercitus Romanos ducentis, auxilium
ſibi petendum eſſe arbitratur. Si dignitatem
ſuam comiter tueri vellet, ei promittit Britan-
niam ope ſua ſubijciendam. Marcum Scæuam,
6 ac triginta nobiles adoleſcentes, ſuosq́; pro- 6
pinquos dat obſides, vti ea, quæ polliceatur,
facturum intelligat. Quibus rebus cognitis ſta-
tim Caſſuellanus, totum Cantium quod erat
Mandubratij, & obijcitur Galliæ, ideóque ma-
gis debuit contra Cæſarem defendi, quattuor
viris Principibus donat, ipſe Trinobantes ob-
ſidere cœpit. Hoc vbi vidit Androgeus Mandu-
bratius, ad Cæſarem fugit, ſui quidem iuris
tuendi cauſa, ſed Romanis occaſionem ea re
dedit, plus detrimenti Britannis, Gallisq́; infe-
rendi, quàm aut Brennus olim; vel Galli fece-
runt

runt populo Romano, Italiæq́; toti. quod à nobis eſt paulo altius, quamquam breuiſsimè, repetendum. cum nihil in hiſtoria fuerit dulcius pura & illuſtri breuitate. Caius ergo Iulius Cæſar omnibus rebus confectis, quarum rerum cauſa exercitum traducere conſtituerat, vt Germanis metum inijceret, vt Sicambros vlciſceretur, vt Vbios obſidione liberaret, diebus omnino octodecim trans Rhenum conſumptis, ſatis & ad laudem, & ad vtilitatem profectum arbitratus, ſe in Galliam recepit, pontemq́;, quem paulo antè pro tranſitu fecerat, reſcidit. Exigua parte æſtatis reliqua, & ſi in his locis (quòd omnis Gallia ad Septemtrionem vergit) maturæ ſunt hyemes, tamen in Britanniam proficiſci contendit; quòd omnibus ferè Gallicis bellis, hoſtibus Romanorum
7 inde ſubminiſtrata auxilia 7 intelligebat. Et ſi tempus anni ad bellum gerendum deficeret, tamen magno ſibi vſui fore arbitrabatur, ſi modò Inſulam adiſſet, & genus hominum perſpexiſſet, loca, portus, aditus cognouiſſet. quæ omnia ferè Gallis erant incognita. Neque enim temerè præter mercatores adit ad illos quiſquam: neque ijs ipſis quidquam præter oram maritimam, atque eas regiones, quę ſunt contra Galliam, notum eſt. Itaque conuocatis ad ſe vndique mercatoribus, neque quanta eſſet Inſulæ magnitudo, neque quæ, aut quantæ nationes incolerent, neque quem vſum belli haberent, aut quibus inſtitutis vterentur, neque qui eſſent ad maiorem nauium multitudinem idonei portus, reperire poterat. Ad hunc errorem de Britannia, quaſi Gallis incognita, perductus eſt Iulius Cæſar à mercatoribus, quos conuocauerat, quòd cum ſcirent nimia cupiditate

gemma-

gemmarum, atque spe consequendi margaritas, 8 quæ ibi nascuntur egregiæ, Britanniam petere. Nam Oceanus Britannicus gignit margaritas, sed subfuscas, & liuentes, quæ colliguntur ita, sicut è mari pulsæ sunt. tanta verò sunt magnitudine, vt earum amplitudinem conferens interdum Cæsar sua manu, pondus illarum ipsemet exegerit. Qui cum animaduertisset hanc suam diligentiam obsistere lucris mercatorum, neque per eos in obeundis expeditionibus posse quidquam se præsentire, nisi exercitum in Britanniam transueheret, aut nisi prius per se tam portus, & nauigationē, quàm accessum ad Insulam explorasset; veritus insidias ab his, quos consulebat, mercatoribus, si confestim ipse temerè proficisceretur; ad ea cognoscenda prius, quàm periculum faceret, idoneum esse arbitratus, Caium Volusenum cum naui longa præmittit. Huic mandat, vt exploratis omnibus rebus, ad se quàm primùm reuertatur. Ipse cum omnibus copijs in Morinos proficiscitur, quòd inde erat breuissimus in Britanniam traiectus. Huc naues vndique ex finitimis regionibus, & quam superiore æstate ad Veneticum bellum fecerat, classem, iubet conuenire. Interim consilio eius cognito, & per mercatores perlato ad Britannos, à compluribus Insulæ ciuitatibus ad Cæsarem legati veniunt: qui polliceantur obsides dare, atque imperio Populi Romani obtemperare. Quibus comiter auditis, Cæsar liberaliter pollicitus, hortatusq; vt in ea sententia permanerent, eos domum remittit: & cum his vnà Comium, 9 quem ipse Atrebatibus superatis, Regem ibi constituerat; cuius & virtutem & consilium probabat, & quem sibi fidelem esse arbitrabatur, cuiúsque auctoritas

in his regionibus magna habebatur, mittit. Huic imperat, quas poſsit, adeat ciuitates, horteturq́ vt Populi Romani fidem ſequantur: ſeq́ celeriter eò venturum nuntiet. Cuius quidem nuntij tanquam ingentes Caij Cæſaris minæ, à Britannis acceptæ, & mox in ludibrium verſæ ſunt. Nam & Comium è naui egreſſum, & mandata Cæſaris, Oratoris modo conantem dicere, prohibent, & in vincula conijciunt: litterisq́, quibus, Imperium Populi Romani Oceano, & aſtris terminum accipere, ſcribebatur, inſulámque Britanniam, vt ceteras orbis terrarum partes, benè decere, obſequium Senatui, & vectigal Populo Romano præſtare; verbo Principes reſpondent ſic: Sciat Cęſar, nos pro libertate, proque Regno pugnaturos, ſi huc venerit, vti comminatur. Scripto Caſſuellanus ita reſpondet: Mirandam eſſe cupiditatem Populi Romani, qui Britannos poſitos intra Oceanum, Imperij terminum, & vltra terrarum orbem, quieſcere non patiatur. tributum, niſi ſubiectionis obſequium, niſi ſeruitutis cauſa, non præſtari. Britannis & propter inclytam nobilitatem Inſulæ, & propter coniunctionem originis Romanæ, aut ſubijci, aut ſeruire ſummum eſſe dedecus. Si petis, inquit, amicitiam, libenter aſſentimur:
10 Libertatem, 10 ſi nobis eriperent ipſi Dij, reſiſteremus. Iam Caius Voluſenus perſpectis regionibus omnibus, quantum ei facultas dari potuit, qui naui egredi, & ſe Britannis committere non audebat, quinto die ad Cæſarem reuerſus, quæ ibi perſpexiſſet, renunciarat. Dum in his locis Cæſar parandarum nauium cauſa moratur, ex magna parte Morinorum ad eum legati venerunt, qui ſe de ſuperioris temporis conſilio excuſarent, quòd homines barbari, & Roma-

Romanæ consuetudinis imperiti, bellum Populo Romano fecissent, seqúe ea, quæ imperasset, facturos pollicentur. Hæc sibi satis opportunè Cæsar accidisse arbitratus, quòd neque post tergum hostem relinquere volebat, neque belli gerendi propter anni tempus facultatem habebat, neque has tantarum rerum occupationes, Britanniæ anteponendas iudicabat, magnum his numerũ obsidum imperat. quibus adductis eos in fidem recipit. Nauibus circiter octoginta onerarijs coactis, contractisq́; quot satis esse ad duas legiones transportandas existimabat, quidquid præterea nauium longarum habebat, Quæstori, Legatis, Præfectisq́; distribuit. Huc accedebant octodecim onerariæ naues, quæ ex eo loco millibus passuum octo, vento tenebantur, quò minus in eundem portum peruenire possent. has equitibus distribuit. Reliquum exercitum Quinto Titurio Sabino, & Lucio Arunculeio Cottæ legatis, in Menapios, atque in eos pagos Morinorum, à quibus ad eum legati non venerant, ducendum dedit. Publium Sulpitium Rufum legatum cum eo præsidio, quod satis esse arbitrabatur, portum tenere iussit. His constitutis rebus, nactus idoneam ad nauigandum tempestatem tertia ferè vigilia soluit: equitesq́ue in vlteriorem portum progredi, & naues conscendere, ac se sequi iussit. à quibus cum id paulo tardius esset administratum, ipse hora circiter diei quarta cum primis nauibus Britanniam attigit: atque ibi in omnibus collibus expositas Britannorum copias armatas 11, 11
conspexit. Cuius loci hæc erat natura atque ita montibus angustis mare continebatur, vt ex locis superioribus in littus telum adijci posset. Hunc ad egrediendum nequaquam ido-

neum arbitratus locum, dum reliquæ naues eò conuenirent, ad horam nonam in anchoris expectauit. Interim legatis tribunisque militum conuocatis, & quæ ex Voluseno cognouisset, & quæ fieri vellet, Cæsar ostendit: monuitque (sicut rei militaris ratio, maximeque sicut res maritimæ postularent) vt quàm celerem, atque instabilem motum haberent, ad nutum, & ad tempus omnes res ab his administrarentur. His dimissis, & ventum, & æstum vno tempore nactus secundum, dato signo, & sublatis anchoris circiter millia passuum octo ab eo loco progressus, aperto ac plano littore naues constituit. At Britanni cognito consilio Romanorum, præmisso equitatu, & essedarijs (quo plerumque genere in prælijs vti consueuerunt) reliquis copijs subsecuti, Romanos nauibus egredi ad ostium Tamisis fluuij prohibebant. vbi Cassuellanus cum exercitu
12 eis occurrit ad oppidum Dorobellum: 12 & cum Principibus graue consilium init, quo felicius hostes à finibus arceat. Illi, vt omnes ad benè pugnandum pro patria excitarēt, suadent seriò, castra Cæsaris vt recenter aduecti, celeriter adire, priusquam vrbem, aliquódue oppidum accepisset: imò Cæsarem oportere ab ipsis littoribus repelli; ne si se suosque in locum Insulę munitum reciperet, inde postea eijci nequiret. Ergo littora, quibus appulit Iulius Cæsar, occupant citissimè, ab eisque tela frequenter iaciunt, & plurimos vulnerant. Erat ob has caussas summa difficultas, quòd naues etiam Cęsaris propter ipsarum magnitudinem, nisi in alto constitui non poterant. militibus autem, ignotis locis, impeditis manibus, magno & graui onere armorum pressis, simul & de nauibus desiliendum, & in fluctibus consistendum, & cum Britannis

tannis erat pugnandum: cum illi aut ex arido, aut paululum in aquam progressi, omnibus membris expediti, notissimis locis, audacter tela conijcerent, & equos assuefactos incitarent. Quibus rebus perterriti Romani, atque huius omnino generis pugnæ imperiti, non eadem alacritate ac studio, quo in pedestribus vti præliis consueuerant, vtebantur. Quod cum animaduertisset Cæsar, naues longas (quarum & species Britannis inusitatior, & motus ad vsum expeditior erat) paulùm remoueri ab onerarijs nauibus, & remis incitari, & ad latus apertum Britannorum constitui; atque inde fundis, tormētis, sagittis eos propelli, ac summoueri iussit. quæ res magno vsui Romanis fuit. Nam & nauium figura, & remorum motu, & inusitato genere tormentorum permoti Britanni constiterunt, ac paulùm modò pedem retulerunt. Atque Romanis militibus cunctantibus, maximè propter altitudinem nauis, is qui Decimæ legionis aquilam ferebat, contestatus Deos, vt ea res legioni feliciter eueniret, Desilite, inquit, commilitones, nisi vultis aquilam hostibus prodere: ego certè meum Reipublicæ, atque Imperatori officium præstitero. Hoc quum magna voce dixisset, se ex naui proiecit, atque in hostes aquilam ferre cœpit. Tum Romani cohortati inter se, ne tántum dedecus admitteretur, vniuersi ex naui desiluerunt. Hos item alij ex proximis primis nauibus cum conspexissent, subsecuti, Britannis appropinquarūt. Pugnatum est ab vtrisque acriter. Romani tamen, quòd neque ordines seruare, neque firmiter insistere, neque signa subsequi poterant, atque alius alia ex naui quibuscumque signis occurrebat, se aggregabat, magnopere perturbantur. Britanni verò, notis

omnibus vadis vbi ex littore aliquos singulares ex naui egredientes conspexerant; incitatis equis, impeditos adoriebantur, plures paucos circunsistebant. Alij ab latere aperto in vniuersos tela conijciebant. Marcus Aper postea fuit in Britannia, viditq; grandæuum senem Britannum,
13 13 qui restitit armatus Caio Iulio Cæsari, quiq; fatebatur se interfuisse pugnæ, qua Cæsarem arma Britannis inferentem ipsi littoribus arcerent & pellerent. Has ob res etenim lætus Cassuellanus persoluit grates Deo, milites conuocatos laudat, & vnumquemque pro merito selectum, muneribus afficit. Cum Cæsar animaduertisset Romanos ex littore à Britannis opprimi, scaphas longarum nauium, item speculatoria nauigia militibus compleri iussit: & quos laborantes conspexerat ijs subsidia submittebat. Romani simulatque in arido constiterunt, suis omnibus consecutis, in Britannos impetum fecerunt, atque eos in fugam dederunt: neque longius prosequi potuerunt, quòd equites cursum tenere, atque Insulam capere non potuerunt. hoc vnum ad pristinam fortunam Cæsari defuit. Nam à Cantio promontorio littus exurgens, per aliquot millia passuum crebro colle procurrit. Sed cum ad
14 Arenarum cumulum, 14 & cum ad Dela Castra ei vicina peruenerit, idem littus subsidet, apertumq; ac planum, vt antè demonstrauimus, obiacet mari. Eo loci Cæsar terram cõscendens difficili pugna exceptus à Britannis est. sed postea, vt est admodum varia fortuna belli, sunt ipsi Britanni prælio superati: & simulatque se ex fuga receperunt, statim legatos de pace miserunt, obsides daturos, quæq; imperasset Cæsar, sese facturos esse pollicetur. vnà cum his legatis

Comius

Comius Atrebas venit, quem à Cæsare in Britanniam præmissum, ab eisq; comprehensum in vincula conijci, cum ad eos mandata deferret, suprà demonstrauimus. Hunc post initum prælium remiserunt, Oratorem pro se, ac in petenda pace, eius rei culpam in multitudinem coniecerunt, & propter imprudentiam, vt ignosceretur, petiuerunt. Cæsar questus quòd, cum vltrò in continentem legatis missis pacem à se petissent, bellum sine causa intulissent, ignoscere imprudentiæ dixit, obsidesq; imperauit. quorum illi partem statim dederunt: partem ex longinquioribus locis accersitam, paucis diebus sese daturos dixerunt. Interea suos remigrare in agros iusserunt: principesq; vndique conuenerunt, & se, ciuitatesque suas Cæsari commendarunt. His rebus pace firmata, post diem quartum, quàm est in Britanniam ventum, naues octodecim, quæ equites sustulerant, ex superiore portu leui vento soluerunt. Quæ cum appropinquarent Britanniæ, & ex castris viderentur, tanta tempestas subitò coorta est vt nulla earum cursum tenere posset, sed aliæ eodem, vnde erant profectæ, referrentur; aliæ ad inferiorem partem Insulæ, quæ est propius solis occasum, magno sui cum periculo deijcerentur. Quæ tamen anchoris iactis, cum fluctibus complerētur, necessariò aduersa nocte in altum prouectæ, continentem petiuerunt. Eadem nocte accidit, vt esset luna plena, quæ maritimos æstus maximos in Oceano efficere consueuit, Romanisq; id erat incognitum. Ita vno tempore, & longas naues, quibus Cæsar exercitum transportandum curauerat, quásque in aridum subduxerat, æstus complebat: & onerarias, quæ ad anchoras erant deligatæ, tempestas

peſtas afflictabat. Neque vlla Romanis facultas aut adminiſtrandi, aut auxiliandi dabatur. Compluribus nauibus fractis, reliquæ cum eſſent funibus, anchoris, reliquisq; armamentis amiſsis ad nauigandum inutiles, magna (id quod neceſſe erat accidere) totius exercitus perturbatio facta eſt. neque enim naues erant aliæ, quibus reportari poſſent, & omnia deerant, quæ ad reficiendas naues erant vſui, & quòd omnibus conſtabat hyemare in Gallia oportere, frumentum his in locis in hyemem prouiſum non erat. Ad hæc incommoda publica, cum in Britanniam peragraret Cæſar, accidit, vt deceſ-
15 ſiſſe filiam 15 audiret. Sed eius rei dolorem tam citò vicit, quàm omnia vincere ſolebat. ea tamẽ modeſtia, temperantiáque vixit in Britannia, vt ſolũmodo tres domeſticos in famulatu haberet. Quibus rebus cognitis Principes Britanniæ, qui poſt prælium ad Cæſarem conuenerant, inter ſe collocuti, cum & equites, & naues, & frumentum Romanis deeſſe intelligerent, & paucitatem militum ex caſtrorum exiguitate cognoſcerent: quæ hoc erant etiam anguſtiora, quòd ſine impedimentis Cæſar legiones tranſportauerat: optimum factu eſſe duxerunt frumento, commeatuq; Romanos prohibere, & rem in hyemem producere: quòd his ſuperatis, aut reditu interclusis, neminem poſtea belli inferendi cauſa in Britanniam tranſiturum confidebant. Itaque rurſus paulatim ex caſtris diſcedere, ac ſuos clàm ex agris deducere cœperũt. At Cęſar, & ſi nondum eorum conſilia cognouerat, tamen & ex euentu nauium ſuarum, & ex eo, quòd obſides dare intermiſerunt, fore id, quod accidit, ſuſpicabatur. Itaque ad omnes caſus ſubſidia comparabat. Nam & frumentum ex agris in

caſtra

castra quotidiè conferebat, & quæ grauissimè afflictæ erant naues, earum materia, atque ære ad reliquas reficiendas vtebatur: & quæ ad eas res erant vsui, ex continenti comportari iubebat. Itaque cum id summo studio à militibus administraretur, duodecim nauibus amissis, reliquis vt nauigari commodè posset, effecit. Dum ea geruntur, legione ex consuetudine vna frumentatum missa, quæ appellabatur Septima, neque vlla ad id tempus belli suspicione interposita, cum pars hominum in agris remaneret, pars etiam in castra ventitaret: hi qui pro portis castrorum in statione erant, Cæsari renuntiarunt, puluerem maiorem, 16 quàm consuetudo 16
ferret, in ea parte videri, quam in partem legio iter fecisset. Cæsar id, quod erat, suspicatus aliquid noui à Britannis initum consilij; cohortes quæ in stationibus erant, secum in eam partem proficisci, ex reliquis duas in stationem succedere, reliquas armari, & confestim se subsequi iussit. Cum paulo longius à castris processisset; & suos à Britannis premi, atque ægrè sustinere, & conferta legione ex omnibus partibus tela conijci animaduertit. Nam quòd omni ex reliquis partibus demesso frumento, vna pars erat reliqua, suspicati Britanni huc Romanos esse venturos, noctu in syluis delituerant. Tum dispersos depositis armis in metendo occupatos subitò adorti, paucis interfectis, reliquos incertis ordinibus perturbauerant; simul equitatu atque essedis circumdederant. Genus hoc est ex essedis pugnæ: primò per omnes partes perequitant, & tela conijciunt: atque ipso terrore equorum, & strepitu rotarum ordines plerumque perturbant. & cum se inter equitum turmas insinuauerint, ex essedis desiliunt, & pedites prælian-

liantur. Aurigæ interim paulatim è prælio excedunt, atque ita rursus collocant, vt si illi à multitudine hostium premantur, expeditum ad suos receptum habeant. Ita mobilitatem equitum, stabilitatem peditum in prælijs præstant: ac tantum vsu quotidiano & exercitatione efficiunt, vt in decliui ac præcipiti loco incitatos equos sustinere, & breui moderari ac flectere, & per temonem percurrere, & in iugo insistere, & inde se in currus citissimè recipere consueuerint. Quibus rebus & pugnæ nouitate perturbatis Romanis, tempore opportunissimo Cæsar auxilium tulit. Namque eius aduentu Britanni constiterunt, Romani ex timore se receperunt. Quo facto, ad lacessendum Britannum, & committendum prælium, Cæsar alienum esse tempus arbitratus, suo se loco continuit, & breui tempore intermisso legiones in castra reduxit. Dum hæc geruntur Romanis omnibus occupatis, qui erant in agris reliqui discesserunt. Secutę sunt cõtinuos cõplures dies magnæ tẽpestates: quæ & Romanos castris continerent, & Britannos à pugna prohiberent. qui nuntios interim in omnes partes dimiserunt, paucitatemq; Romanorum militum, suis prædicauerunt: & quanta prędæ faciendæ, atque in
17 perpetuum sui liberandi facultas 17 daretur, si Romanos castris expulissent, demonstrauerunt. His rebus celeriter magna multitudine peditatus, equitatusque coacta, ad castra venerunt. Cæsar, & si idem, quod superioribus diebus acciderat, fore videbat. vt si essent Britanni pulsi, celeritate periculum effugerent: tamen nactus equites circiter triginta, quos Comius Atrebas secum transportauerat, legiones in acie pro castris constituit. Commisso prælio, diutius Romano-

mano-

manorum militum impetum Britanni ferre non potuerunt, ac terga verterunt: quos tanto ſpatio ſecuti, quantum curſu & viribus efficere potuerunt, Romani complures ex his occiderunt: deinde omnibus longè latéque ædificijs incenſis, ſe in caſtra receperunt. Eodem die legati à Britannis miſsi ad Cæſarem, de pace venerunt. His Cæſar numerum obſidum, quem antè imperauerat, duplicauit, cóſque in continentem adduci iuſsit: quòd propinqua die æquinoctij, infirmis nauibus, hyemis nauigationem ſubeundam non exiſtimabat; ipſe idoneam tempeſtatem nactus, paulò poſt mediam noctem naues ſoluit. Quæ omnes incolumes ad continentem peruenerunt: ſed ex his onerariæ duæ eoſdem, quos reliquæ, portus capere non potuerunt, & paulò infrà delatæ ſunt. Quibus ex nauibus cum eſſent expoſiti milites circiter trecenti, atque in caſtra contenderent, Morini quos Cæſar in Britanniam proficiſcens pacatos reliquerat, ſpe prædæ adducti, 18 primò non ita magno 18
ſuorum numero circunſteterunt, ac, ſi ſeſe interfici nollent, arma ponere iuſſerunt. cum illi orbe facto ſeſe defenderent, celeriter ad clamorem, hominum circiter millia ſex conuenerunt. Qua re nuntiata, Cæſar omnem è caſtris equitatum, ſuis auxilio miſit. Interim Romani milites impetum hoſtium ſuſtinuerunt, atque amplius horis quatuor fortiſsimè pugnauerunt, & paucis vulneribus acceptis, complures ex his occiderunt. Poſtea verò quàm equitatus Romanus in conſpectum venit, Morini prædæ Britannicæ obliti, abiectis armis terga verterunt: magnúsq; eorum numerus eſt occiſus. Cæſar poſtero die Titum Labienum legatum, cum ijs legionibus, quas ex Britannia reduxerat, in Morinos, qui

rebellionem fecerant, misit. Qui cum propter paludum siccitatem, quò se reciperent, non haberent, omnes ferè in potestatem Labieni venerunt. At Quinctus Titurius, & Lucius Cotta legati, qui in Menapiorum fines legiones duxerant, omnibus eorum agris vastatis, trumentis succisis, ædificijsq; incensis, quòd Menapij se omnes in densissimas syluas abdiderant, ad Cæsarem se receperunt. Cæsar in Belgis omnium legionum hyberna constituit: Eò duæ omnino ciuitates ex Britannia obsides miserunt: reliquæ neglexerunt. His rebus gestis, ex litteris Cęsaris dierum viginti supplicatio à Senatu decreta est Romę. Lucioq; Domitio Ænobarbo, & Appio Claudio Pulchro Consulibus, discedens ab hybernis Cęsar in Italiam, vt quotannis facere consueuerat, legatis imperat, quos legionibus præfecerat, vti quamplurimas possent, hyeme naues ædificandas, veteresq úe reficiendas curarent. Earum modum, formamq; demonstrat: ad celeritatem onerandi, subductionesq;, paulò facit humiliores, quàm quibus Itali suo in mari vti consueuerunt: atque ideo magis, quòd propter crebras commutationes æstuum, minus magnos ibi fluctus fieri cognouerat: ad onera, & ad multitudinem iumentorum transportandum, paulò latiores, quàm quibus in reliquis maribus vtebantur Romani. has omnes actuarias imperat fieri: quam ad rem humilitas multum adiuuat. ea, quæ sunt vsui ad armandas naues, ex Hispania apportari iubet. Ipse conuentibus Gallię citerioris peractis, in Illyriam proficiscitur, quòd à Pirustis finitimam partem prouinciæ, incursionibus vastari audiebat. Horum confectis rebus, in citeriorem Galliam reuertitur, atque inde ad exercitum in

Belgis

Belgis proficiſcitur. omnibuſque circuitis hybernis, ſingulari militum ſtudio, in ſumma rerum omnium inopia, circiter ſexcentas eius generis, cuius ſuprà demonſtrauimus, naues, & longas duodetriginta inuenit conſtructas, neque multum abeſſe ab eo, quin paucis diebus deduci poſſent. Collaudatis militibus, atque ijs, qui negotio præfuerant, quid fieri velit, oſtendit: atque omnes ad portum Itium conuenire iubet: quo ex portu commodiſsimum in Britanniam traiectum eſſe cognouerat: circiter millium paſſuum triginta tranſmiſſum à continenti. Huic rei quod ſatis eſſe viſum eſt militum, relinquit: ipſe cum legionibus expeditis quatuor, & equitibus octingentis in fines Treuerorum proficiſcitur: quòd hi neque ad concilia veniebant, neque imperio parebant, Germanosq; Tranſrhenanos ſolicitare dicebantur. In ea ciuitate duo de Principatu inter ſe contendebant, Induciomarus, & Cingentorix: è quibus alter ſimul atque de Cæſaris legionum aduentu cognitum eſt, ad eum venit: ſe ſuosq; omnes in officio futuros, neque ab amicitia Populi Romani defecturos confirmauit; quęq; in Treueris gererentur, 19 oſtendit. At Induciomarus equitatum peditatumq; cogere, ijſq́ue qui per ætatem in armis eſſe non poterant, in ſyluam Arduennam abditis, bellum parare inſtituit. Sed poſteaquam nonnulli principes ex ea ciuitate, & familiaritate Cingentorigis adducti, & aduentu Romani exercitus perterriti, ad Cęſarem venerunt, & de ſuis priuatim rebus ab eo petere cœperunt, quoniã ciuitati cõſulere non poſſent; veritus ne ab omnibus deſereretur, Induciomarus legatos ad Cæſarem mittit. Cæſar, & ſi intelligebat, quæ res eum ab inſtituto conſilio deter-

deterreret, tamen ne æstatem in Treueris consumere cogeretur, omnibus ad Britannicum bellum rebus comparatis, Induciomarum ad se cum ducentis obsidibus venire iussit. His adductis, & in his filio, propinquisq́ eius omnibus quos nominatim euocauerat, consolatus Induciomarum, hortatusq́ est, vti in officio permaneret. Nihilo tamen secius Principibus Treuerorum ad se conuocatis, eos sigillatim Cingentorigi conciliauit. His rebus constitutis, Cæsar ad portum Itium cum legionibus peruenit: ibi cognoscit, quadraginta naues, quæ in Meldis factę fuerant, tempestate reiectas, cursum tenere non potuisse, atque eodem, vnde erant profectæ reuertisse. reliquas paratas ad nauigandū, atque omnibus rebus instructas inuenit. hæc classis
80 mille nauiū 20 esse dicebatur ad eundē portum Itium equitatus totius Galliæ conuenit, numero millium quattuor, Principesq́ ex omnibus ciuitatibus: ex quibus perpaucos quorum in se fidem perspexerat, relinquere in Gallia, reliquos obsidum loco, secum ducere Cæsar decreuerat, quòd, cum ipse abesset, motum Galliæ verebatur. Erat vnà cum ceteris Dumnorix Heduus. hunc secum habere in primis constituerat, quòd eum cupidum rerum nouarum, cupidum imperij, magni animi, magnæq́ inter Gallos autoritatis cognouerat. Ille omnibus primò precibus petere contendit, vt in Gallia relinqueretur, partim quòd insuetus nauigandi, mare timeret; partim quòd religionibus sese diceret impediri. Posteaquam id obstinatè sibi negari vidit, omni spe impetrandi adempta, Principes Galliæ solicitare, reuocare singulos, hortariq́ cœpit, vt in continente remanerent: metu territare, non sine causa fieri, vt Gallia omni nobilitate spoliaretur.

retur. Id esse consilium Cæsaris, vt quos in conspectu Galliæ interficere vereretur, hos omnes in Britanniam traductos necaret. Qua re cognita, Cæsar quòd tantum ciuitati Heduę dignitatis tribuebat, coërcendum atque deterrendum, quibuscumq; rebus posset, Dumnorigem statuebat: quòd longius eius amentiam progredi videbat, prospiciēdum ne quid sibi, ac Reipublicę nocere posset. Itaque circiter dies viginti quinque in eo loco commoratus, quòd Corus ventus nauigationem impediebat, qui magnam partem omnis temporis in his locis flare consueuit; dabat operam, vt in officio Dumnorigem contineret, nihilo tamen secius omnia eius consilia cognosceret. Tandem idoneam tempestatem nactus, milites, equitesq; conscendere naues iubet. At impeditis omnium animis Dumnorix cum equitibus Heduorum à castris insciente Cæsare domum discedere cœpit. Qua re nuntiata, Cæsar intermissa profectione, atque omnibus rebus postpositis, magnam partem equitatus ad eum insequendum mittit, retrahíque imperat: si vim faciat, neque pareat, interfici iubet; nihil hunc se absente pro sano facturum arbitratus, qui pręsentis imperium neglexisset. Ille autem reuocatus, resistere, ac se manu defendere, suorumq; fidem implorare cœpit, sæpè clamitans liberum se, liberæq; ciuitatis esse. Illi, vt erat imperatum, circumsistunt hominem, atque interficiunt. At equites Hedui ad Cęsarem omnes reuertuntur. His rebus gestis Tito Labieno in continente cum tribus legionibus, & equitum millibus duobus relicto, vt portus tueretur, & rei frumentariæ prouideret, quæqúe in Gallia gererentur, cognosceret, consiliumq; pro tempore, & pro re caperet: ipse cum legionibus quin-

quinque, & pari numero equitum, quem in continẽte reliquerat, ad Solis occasum naues soluit; & leni Africo prouectus media circiter nocte vento intermisso, cursum non tenuit: & longius delatus æstu, orta luce sub sinistra Britanniam relictam conspexit. Tum rursus æstus commutationem secutus, remis contendit, vt eam partem Insulæ caperet, qua optimum esse egressum, superiore æstate cognouerat. Qua in re admodum fuit militum virtus laudanda, qui vectorijs, grauibusq; nauigijs, non intermisso remigandi labore, longarum nauium cursum adæquarunt. Accessum est ad Britanniam omnibus nauibus meridiano ferè tempore: neque in eo loco Britannus est visus; sed cum magnæ manus eò conuenissent, multitudine nauium perterritæ à littore discesserant, ac se in superiora loca abdiderant. Naues autem, cum annotinis, priuatisq;, quas sui quisque commodi causa fecerat, amplius octingentæ vno erant visæ tempore, ceteris adhuc retrò latentibus. Sed Cassuellanus cum intellexisset Cæsarem parare rursus in Britanniam, portubus communitis, vrbes armatis hominibus replet Tamisis fluminis alueo, quo nauigatur ad Trinobantes, palis ferreis, plumbatisq; crassis subter aquas infixis, naues illidere, transitumq; impedire conatur. Cæsar exposito in terram exercitu, ac loco castris idoneo capto, vbi ex captiuis cognouit, quo in loco Britannorum copiæ consedissent: cohortibus decem ad mare relictis, & equitibus trecentis, qui præsidio nauibus essent, de tertia vigilia ad Britannos contendit, eò minus veritus nauibus, quòd in littore molli, atque aperto deligatas ad anchoras relinquebat: & præsidio nauibus Quinctum Atrium præfecit. Ipse noctu pro-

progressus milia passuum circiter duodecim, Britannorum copias conspicatus est. Vallis erat prope Doroberniam, in qua Cassuellanus relicta Trinobantum obsidione, festinanter ibat obuiam Cæsari. huc Androgeus Mandubratius Cæsarem duxit, vt de Cassuellano patruo suo vindictam faceret. Britanni equitatu atque essedis ad flumen progressi, ex loco superiore Romanos prohibere, & prælium committere cœperunt. Cæsar cum transitu fluminis arceretur multis equitibus, & essedis Cassuellani, maximum elephantem, zi qui sequebatur ipsum, (quoniam in Britannia visus elephas antea non fuisse dicebatur) ferreis squamis munit, & altissimam eius tergore turrim extruit, in qua sagittarios, & funditores constitutos ingredi flumen iussit. Britanni perterriti nouo genere pugnæ, & conspicati supra modum animal grande, sese receperunt. eorum equi, vt & Græcorum equi plurimi, naturâ facere solent, ad solum aspectum elephantis, in fugam coniecti sunt. hac arte repulsi ab equitatu Cæsaris Britanni, se in syluas abdiderunt, locum nacti egregiè munitum opere, naturáque, quem iam antè domestici, ac ciuilis belli causa sibi parauerant. nam crebris arboribus succisis, omnes introitus præclusi erant. Ipsi ex syluis rari propugnabant, Romanosque intra munitiones ingredi prohibebant. At milites legionis Septimæ duce Androgeo Mandrubatio testudine facta, & aggere ad munitiones adiecto, locum ceperunt, eósque ex syluis paucis, vulneribus acceptis expulerunt. Sed eos fugientes longius, Cæsar persequi vetuit, & quòd loci naturam ignorabat, & quòd magna parte diei consumpta, munitioni castrorum tempus relinqui volebat. Postridiè eius

diei manè tripartitò milites, equitésque in expeditionem misit, vt eos, qui fugerant, persequerentur. His aliquantum itineris progressis, cum iam extremi essent in conspectu, equites à Quincto Atrio ad Cęsarem venerunt, qui nuntiarent, superiori nocte, maxima coorta tempestate propè omnes naues afflictas, atque in littus eiectas esse, quòd neque anchoræ, funesq́ue subsisterent, neque nautæ gubernatoresq́ue vim tempestatis pati possent. Itaque ex eo concursu nauium, magnum esse incommodum acceptum. His rebus cognitis Cæsar legiones, equitatumq́ue reuocari, atque itinere desistere iubet: ipse ad naues reuertitur. Eadem ferè, quæ ex nuntijs litterisq́ue cognouerat, coràm perspicit, sic, vt amissis circiter quadraginta nauibus, reliquæ tamen refici posse magno negotio viderentur. Itaque ex legionibus fabros deligit, & ex continente alios accersiri iubet. Labieno scribit, vt quàm plurimas posset, his legionibus, quæ sunt apud eum, naues instituat. Ipse etsi res erat multi operis, ac laboris, tamen commodissimum esse statuit omnes naues subduci, & cum castris vna munitione coniungi. In his rebus circiter dies decem consumit, nec nocturnis quidem temporibus ad laborem militum intermissis. Subductis nauibus, castrisq́ue egregiè munitis, easdem copias, quæ antea præsidio nauibus fuerant, relinquit: ipse eodem, vnde redierat, proficiscitur. Eò cum venisset, maiores iam vndique in eum locum copiæ Britannorum conuenerant. Summa imperij, belliq́ue administrandi, sepositis odijs priuatis, communi consilio permissa est Cas-
22 suellano, 22 vt suprà demonstrauimus, præsertim in hoc tempore, quo Androgeus eius nepos, & aduersarius, in armis à parte Cæsaris staret.

ſtaret. Fines Caſſuellani à maritimis ciuitatibus flumen Tamiſis, à mari circiter milia paſſuum octoginta diuidit. Equites Britãni eſſedarijq́, acriter prælio cum equitatu Romano in itinere conflixerunt: ita tamen, vt Romani omnibus partibus ſuperiores fuerint, atque eos in ſyluas collesq́ compulerint: ſed complutibus interfectis cupidius inſecuti, nonnullos è ſuis amiſerunt. At illi intermiſſo ſpatio, imprudentibus Romanis, atque occupatis in munitione caſtrorum, ſubitò ſe ex ſyluis eiecerunt: impetuq́ in eos facto, qui erant in ſtatione pro caſtris collocati, acriter pugnauerunt: duabusq́ miſsis ſubſidio cohortibus à Cæſare, atque his primis legionum duarum, cùm hæ perexiguo intermiſſo loci ſpatio inter ſe conſtitiſſent, nouo genere pugnæ perterritis Romanis, per medios audaciſsimè Duce Nennio Caſſuellani fratre perruperunt, ſeq́ inde incolumes receperunt. Eo die Quinctus Laberius Durus Tribunus militum à Nennio interficitur. Britanni tamen pluribus Romanorum ſubmiſsis cohortibus repelluntur: Nennius à Cæſare vulnere 23 accepto, intra quindecim poſt finitum prælium dies, moritur. Toto hoc genere pugnæ, cum ſub oculis omnium, ac pro caſtris dimicaretur, intellectum eſt, Romanos propter grauitatem armorum, quòd neque inſequi cedentes poſſent, neque ab ſignis diſcedere auderent, minus aptos eſſe ad huius generis hoſtem. Equites autem magno cum periculo dimicare, propterea quòd Britanni etiam conſultò plerumque cederent, & cum paululum ab legionibus Romanos remouiſſent, ex eſſedis deſilerent, & pedibus diſpari prælio contenderent. Equeſtris verò prelij ratio, & cedentibus, & inſequentibus par, atque

idem periculum inferebat. Huc accedebat, vt nunquam conferti, sed rari, magnisque interuallis præliarentur, stationesque dispositas haberent, atque alios alij deinceps exciperent, integrique, & recentes defatigatis succederent. Postero die procul à castris in collibus Britanni constiterunt, rarique se ostendere, & lentius, quàm pridiè, Romanos equites prælio lacessere cœperunt. ibi Cæsar eos obsidere, omnes exitus præcludere,
24 fame necare 24 conatur, quos armis vincere non poterat. Sed meridiè, cum Cæsar pabulandi causa tres legiones atque omnem equitatum cum Caio Trebonio legato misisset, repentè ex omnibus partibus ad pabulatores aduolauerũt sic Britãni, vt à signis legionibusque non abstinerent. Romani acriter in eos impetu facto repulerunt: neque finem insequendi fecerunt, quoad subsidio confisi equites (cum post se legiones viderent) præcipites Britannos egerunt: magnoque eorum numero interfecto, neque sui colligendi, neque consistendi, aut ex essedis desiliendi facultatem dederunt. Ex hac fuga protinus, quæ vndique conuenerant, auxilia discesserunt, neque post id tempus vnquam summis copijs Britanni cum Romanis contenderunt. Cæsar cognito consilio eorum, ad flumen Tamisim in fines Cassuellani exercitum duxit: quod flumen vno omnino loco pedibus, atque hoc ægrè, transiri potest. 25. Eò cum venisset Cæsar,
25 animaduertit ad alteram fluminis ripam magnas esse copias Britannorum instructas. erat etiam ripa sudibus acutis præfixis munita; generisque eiusdem sudes sub aqua defixæ, vt suprà demonstrauimus, flumine tegebantur. quarum vestigia etiam nunc apparent, & inspicientibus singulæ ad modũ humani femoris esse

factæ,

factæ, plumboq́ circũfusę in profundo fluminis immobiliter hęrere vidẽtur. His rebus cognitis à captiuis, perfugisq́, Cæsar præmisso equitatu confestim legiones subsequi iussit. Sed ea celeritate, atque eo impetu milites ierunt, flumenq́ ingressi sunt, vt, quum capite solo ex aqua extarent, impetum legionum, atque equitum sustinere Britanni non possent, ripasq́ dimitterent, ac se fugæ mandarent. Cassuellanus omni deposita spe cõtentionis, dimissis amplioribus copijs, millibus circiter quatuor essedariorum retentis, itinera Romanorum seruabat, paululúmque ex via excedebat, locisq́ impeditis ac syluestribus sese occultabat, atque ijs regionibus, quibus Romanos iter facturos cognouerat, pecora atque homines ex agris in syluas compellebat. Et cum equitatus Romanus liberius prædandi, vastandiq́ causa se in agros effunderet, omnibus vijs, semitisq́ essedarios ex syluis emittebat; & magno cum periculo Romanorum equitum cum his confligebat; atque hoc metu latius vagari prohibebat. Relinquebatur, vt neque longius ab agmine legionum discedi Cæsar pateretur: & tantum in agris vastandis, incendijsq́ faciendis, Britannis noceretur, quantum labore, atque itinere legionarij milites efficere poterant. Interim Trinobantes, propè firmissima earum regionum ciuitas (ex qua Mandubratius vt antè demonstrauimus, ad Cæsarem in continentem Galliam venerat) legatos mittunt, pollicenturq́ sese dedituros, & Cæsaris imperata facturos: petunt, vt Androgeum Mandubratium ab iniuria Cassuellani defendat, atque in ciuitatem mittat, qui præsit, imperiumq́ obtineat. His Cæsar imperat obsides quadraginta, frumentumq́ exercitui: Mandu-

bratiumq́ ad eos mittit. Illi imperata celeriter fecerunt: obſides ad numerum, frumentúmque miſerunt. Trinobantibus defenſis, atque ab omni militum iniuria prohibitis, Iceni, Regni, Segontiaci, Ancalites, Bibroci, Caſsi, legationibus miſsis, ſeſe Cæſari dedunt. Ab his cognoſcit non longè ex eo loco, oppidum Caſſuellani eſſe, ſyluis, paludibusq́ munitum: quò ſatis magnus hominum, pecorumqúe numerus conuenerit. Oppidum enim vocauit, huiuſmodi ſyluas impeditas, vallo foſſaq́ munitas, quò incurſionis hoſtium vitandæ cauſa conuenire conſueuerat. eò proficiſcitur ipſe Cæſar cum legionibus. locum reperit egregiè naturâ, atque opere munitum. tamen hunc duabus ex partibus oppugnare contendit Britanni pauliſper morati, militum Romanorum impetum non tulerunt, ſeſeq́ ex alia parte oppidi eiecerunt. Magnus ibi numerus pecorum repertus, multiq́ homines in fuga ſunt comprehenſi, atque interfecti. Dum hæc in his locis geruntur, Caſſuellanus ad Cantium (quod eſt ad mare, quibus regionibus quatuor reges præerant, Cingentorix, Caruilius, Taximagulus, Segonax) nuntios mittit, atque his imperat, vt coactis omnibus copijs caſtra na-
26 ualia 26 Cæſaris de improuiſo adoriantur, atque oppugnent. Hi cum ad caſtra veniſſent, Marcus Scæua (quem ſuprà demonſtrauimus à Mandubratio datum obſidem) nunc miles Cæſaris, cum quattuor commilitonibus nauicula tranſuectus antea ad ſcopulum Inſulæ propinquum, interea receſſu Oceani deſtitutus erat. Britanni complures, in paucos Romanos impetum faciunt: ceteri tamen qui per admodum rari comites ipſius fuerant, nauigio redeunt. Scæua manet imperterritus, vndique telis obrui-

tur. Ac primò quidem pilo restitit, postremò rem solus in plures gerit gladio. cúmque fessus, vulneratusq́ue esset, & frequentibus ictibus galeam, ac scutum perdidisset, cum duabus loricis ad castra Cæsaris natauit. postea veniam pro temeritate ab Imperatore poposcit; quem Cæsar etiam Centurionis honore subuexit: & in bello Ciuili, quod contra Cneum Pompeium 27 gessit Dyrrachij, clarissimum, fortissimumq́ue virum 27
expertus est. Ceterum Romani eruptione facta ex castris, multisq́ue Britannorum interfectis, capto etiam nobili Duce Cingentorige, suos incolumes reduxerunt. Cassuellanus hoc prælio nuntiato, tot detrimentis acceptis, vastatis finibus, maximè permotus etiam defectione ciuitatum, legatos per Atrebatem Comium de deditione ad Cæsarem, & thoracem è margaritis 28 factum, dono mittit. quem postea Cæsar 28
Veneri genetrici in eius templo Romæ dedicauit. Is cum statuisset hyemare in continente propter repentinos Galliæ motus, neque multum æstatis superesset, atque id facilè extrahi posse intelligeret: obsides imperat, & quid in annos singulos vectigalis Populo Romano Britanni penderent, constituit. Erant autem tria millia librarum argenti, quæ Cassuellanus vectigalis nomine soluere spopondit. cui Cæsar etiam interdicit, atque imperat, (vt ab ipso petitum per legatos erat) Ne Mandubratio, neu Trinobantibus noceat, Quod vt libentius faciat, vice mutua donis ipsum afficit: obsidibúsque acceptis exercitum reducit ad mare: naues inuenit refectas. His deductis, quòd & captiuorum magnum numerum habebat, & nonnullæ tempestate deperierant naues; duobus commeatibus exercitum reportare constituit. Ac ne

anni tempore nauigatione excluderetur, quòd
æquinoctium ſuberat, neceſſariò anguſtius mi-
lites collocauit: ſummáque tranquillitate, ſecun-
da inita, cum ſoluiſſet, vigilia, prima luce terram
attigit, & in Gallia morari conſtituit. Cúmque
vellet in Italiam proficiſci Caius Iulius Cæſar,
tunc Androgeus Mandubratius Caſſuellano
29 iratus quòd ſibi Cantium non reſtitueret, 29
(nam antè demonſtrauimus illud ad eum cum
ciuitate Trinobantium pertinere) capto præ-
ſertim Duce Cingentorige, relinquit Inſulam, &
cum Cęſare Romam, ac deinde Theſſaliam pro-
fectus eſt. vbi venit ad vrbem Cæſar de Bri-
tannia victor, aulæa confici maximo pretio iu-
bet ex velis Britannorum, in eiſque ſuas victo-
rias Britannicas depingi mandat. Hoc amplius
plurimos Britannos à ſe bello captos, officijs
Theatrorum, ad hęc tapeta pendenda, tollendá-
que donauit. Caſſuellanus poſt diſceſſum Cęſa-
ris ex Britannia, rexit annos ſeptem, & cum in
vniuerſum imperaſſet nouemdecim, ſine liberis
mortuus Eboraci ſepelitur. Britanniáque ſuis
30 Regibus, ſuiſq; legibus 30 vſa, propter abſen-
tiam Androgei, fratrem eius Theomantium,
accepit Regem, bello quidem egregium, ac pace
felicem; quòd vigorem iuſtitiæ, rigorémque iuris
obſeruaſſe diceretur. cum annos viginti benè,
beatéque Rempublicam adminiſtraſſet, mor-
tuus vrbe Londino ſepelitur, relicto ſuperſtite
filio Cunebelino, milite quidem ſtrenuo. quem
Octauius Auguſtus Cæſar, educatum Romæ,
illiúſque vrbis Equeſtri dignitate ornatum, fe-
cit à Senatu vocari, Amicum Populi Romani
31 31. Ergo poſteaquam reuerſus eſt Cunobelinus
domum, adeptus Regium nomen, & vrbe Ca-
maloduno regiā tenens in orientis Inſulę parte,
ne Se-

ne Senatui Populóque Romano videretur ingratus, quamquam haberet vectigalis immunitatem, tamen illud pendere, atque sub protectione Romani Imperij viuere malebat. quæ tranquillitas animi, moderatioq́ dominandi, peperit vtrique horum Principum, Augusto quidem gloriam nominis immortalem & Cunobelino sempiternam felicitatem. Adeo vt Dominus omnium, Iesus Christus Liberator totius generis hominum, his regnantibus in mundum natus venire voluerit. Cuius natalis dies erat vigesimus quintus mensis Decembris, anno Cæsaris Augusti quadragesimo secundo; Cunobeliníq́ tertio, vitam morte commutantis, & vrbe Londino sepulti, cum imperasset annos triginta quinque, & Guiderium, Admimum, Togodumnum, Caradocum, & Aruiragum filios belli potentes magis, quàm sapientiæ potentes reliquisset; quòd vestigia patris non sint secuti. Nam ille alumnus Cæsaris Augusti, benè sciens Romanos esse terrarum Dominos, libenterq́ amplectens nomen, Amici Senatus, Populique Romani, quieto pacis studio, quo paruæ res crescunt, & magnæ res confirmantur, ætatem transegit. Hi contrà nitebantur, aurumq́ & argentum, quod Britannia fert, Romanis effici Precium victoriæ pro iure pacti dicebant. Quocirca fortissimus Princeps Guiderius, homo diues & audax, suarúmque virium fidentissimus, dissentiebat à patre in voluntate pendendi vectigal Romanis, rem iniustam arbitratus: qua in opinione frater eius Admimus etiam fuerat. Britanni autem, mores Iuniorum Principum, qui facere ad libertatem videntur, studiosè obseruant. Itaque motus ciêre, bellorumq́ tumultus excitare cœperunt. Quibus rebus cognitis

Augustus Cæsar consilium in id vocat, vt exemplo Iulij Cæsaris illò copias transportaret. Dum in Galliam has ob res proficiscitur, accepit nuntium Pannones nouè tunc deuictos, coniuratione facta rebellionem instituere. Proinde ab intranda Britannia iter auertit, & ad compescendos vi & armis Pannones se componit. Post annos quattuor iterum parat in Britannos, cum ei ad Ariminum legati ex Insula missi de pace occurrunt, seséque fidem eius secuturos esse dicunt. Quos Augustus, cum quibus conditionibus reciperet, pro certo tunc non habebat. Quare non obtemperantibus Britannis, tertiò parat contra eos expeditionem, cum subitus Cantabrorum, & Allobrogum motus, ei nuntiatus ab hoc instituto rursum auocaret. Quibus rebus cognitis Oratores Britanni veniunt Romam, & in Capitolio munera offerunt, Dijs sacra faciunt, Senatui Populoq́ue Romano, fidem in templo Martis vnà cum Iurisiurandi religione profitentur, & vectigal soluunt. Quod cum Claudius Tiberius Cæsar Augusti successor animaduertit, vir in armis prudens, expertusq́ue, contra Britannos nec vlla voluntate, neç vlla spe motus vnquam fuit: idq́ue præcepto Cęsaris Augusti, cuius omnia dicta, factáque, vice legis obseruabat: quemq́ue homines dicebant, fuisse contentum amicitiam colere cum Britannis, & loco tributi quasdam res minutas accipere. Iste tamen Tiberius ad Orientis motum sedandum abstrahit à consuetis legionibus Germanicum Cæsarem. qui prius ingreditur Germaniam, ingentiq́ue classe fabricata exercitum Oceano ad Amisiam flumen ducit. Illic misit cũ equitibus, militibusq́ue leuis armaturæ Lucium Stertinium, vt igne, cædibusq́ue perfidiam Angriuariorum,

quo-

quorum defectio nuntiabatur, nisi deditionem
sui citò facerent, vlcisceretur. At illi supplices,
nihil eorum, quæ imperabantur, abnuendo, ve-
niam omnium, quæ fecerant, acceperunt. Sed
æstate iam prouecta legiones aliæ in hyberna
mittuntur itinere terrestri; plures Germanicus
Cæsar classibus impositas per flumen inuexit
Oceano. Ibi tempestate maris orta naues dis-
sipantur, tandemq́ claudæ, ac mancæ aliquot
reuerterunt, quas subitò refectas Germanicus
Cæsar misit, vt scrutarentur Insulas. ea cura
plerique milites collecti sunt. multos Angriua-
rij 32 iam in fidem recepti, à populis Germaniæ 32
interioribus redemptos adduxerunt. Quidam
in Britanniam rapti, & remissi à Regulis, narra-
bant miracula rerum, vimq́ turbinum, & volu-
cres inauditas, ac monstra maris, vti quisque
ex longinquo redierat. Hi Reguli, Cunobelini
filij, non expectabant, vt Germani, redemptio-
nem militum, sed sua sponte, comiterq́ remise-
runt ex fide data Romanis. Quocirca cum Ti-
berius de Caio nepote sibi successore designan-
do consuluisset Thrasyllum mathematicum,
& is dixisset eum non posse magis imperare
quàm sinum Baiarum aquis repletum, natura-
liter equis discurrere: perquam imprudenter
idem Caius, cognomento Caligula, medium
interuallum, quod est inter Baias, & Puteolanas
moles, trium ferè millium, & sexcentorum pas-
suum, vno ponte coniunxit, duplicique ordine
naues contexens, arenæ congestu viam, ad spe-
ciem terræ, solidatam effecit; illamq́ phalerato
equo, coronáque ærea insignis, & indutus aureo
paludamento quasi triumphans, curru biiugi,
minoreq́ duorum dierum spatio per hunc pon-
tem discurrit. Voluitq́ nouum atque inauditum
genus

genus hoc ſpectaculi in Germaniam, & Britanniam perferri, vt eas nationes alicuius immenſi operis fama terreret: Cum tamen Britannorum natio in fide Romanorum manens, nullam iuſtam huiuſmodi ſermonis proferendi occaſionem Cæſari dediſſet. Igitur contrà euenit, vt iſte Caius magnis copijs profectus in Germaniam, & percurrens Galliam, quæſiuerit habere aliquem ſibi hoſtem; & in ora Oceani dum proſpicit Britanniam, 33 reſtitit. Huc Admimus
33 Cunobelini Britannorum regis filius, ut ſuprà demonſtrauimus, à patre pulſus cum exigua manu hominum transfugerat. Eum Caius Cæſar in deditionem facilè capit, & tanquam vniuerſa ſibi per illum tradita Inſula foret, magnificas hac de re litteras Romam mittit. Quas qui ferrent, diligenter eos monet, vt vehiculo ad forum, & Curiam vrbis vſque procederent; neque litteras traderent, niſi in æde ſacra Martis, qua Britanni fidem publicam iureiurando confirmauerant: & nec ibidem quoque, niſi frequente iuſtóque numero tum præſente Senatu. Denique vir vanus, tanquàm ſi cum Britannis bella horrida commiſſurus eſſet, acie in littore Oceani directa, baliſtisq́ꝫ, ac machinis ordine diſpoſitis, cum nemo ſciret, aut ſuſpicaretur, quid eſſet facturus, repentè milites, conchas legere, galeasq́ꝫ, ac ſinus eiſdem implere iuſsit. Ea ſpolia Oceani, debita Capitolio, debita vrbis Romæ Palatio vocat. princeps indignus militari nomine Caligulæ, quod tamen ex ioco caſtrenſi acceperat. Nec his tantùm rebus ſolis contentus eſſe voluit Imperator, verùm etiam ad maius indicium victoriæ, tanquam perpetuum adeptæ gloriæ monumentum, excitauit altiſsimam turrim: qualem ædificaſſe ferunt
Caium

Caium Iulium Cæſarem in littore Morinorum, loco, qui dicitur Ogmia; 34 quo ſe poſſet è Britannia tutò recipere. Sed Caligula voluit, vt è turri ſua, ſicut ex Pharo, ignes noctu, ad regendos nauium curſus emicarent. Nihilo tamen ſecius in eandem quaſi in Britanniam, ingreſſus, conuocatis militibus donatiuum, centenos denarios viritim dari pronuntiat. erat autem Denarius, argenteus nummus aſsibus ſexdecim ſolitus permutari. Tum quaſi ſuperaſſet omne genus liberalitatis, Abite, inquit, læti; abite locupletes. Quibus rebus confectis ad maiorem ſui triumphi curam ſe conuertit. præter captiuos Germanos, & transfugas cum Admimo Britannos, exquirit Galliarum quemcumq; poſſet, habere virum maximo corpore procerum, & , vt ipſe dicebat, Triumpho digniſsimum, quòd ea celſitudine corporis ſuper ceteros eminens, triumphum exornaret. Ad hanc pompam, faſtúmque ſelegit etiam quoſdam ex Principibus, & eos rutilare, ſubmittereq́; comam ſuam, ac ſermonem Germanicum addiſcere, nominaq́; Barbarica, Romanis à conſuetudine loquendi aliena, & ab elegantia pronuntiandi multum diſſonantia, ferre coëgit. Quin imò triremes etiam, quibus Oceanum introibat, magna ex parte itinere terreſtri Romam deuehi præcepit. atque ſcripſit Procuratoribus quoniam ius haberent in omnium hominum bona, vt triumphũ appararent, quàm minima ſumma impenſáque: nihilo tamen ſecius vt omnino tantus eſſet, quantus habitus Romæ, viſusq́; triumphus, alius vnquam fuiſſet. His rebus cognitis Britanni legatos mittunt, qui repetant à Cæſare transfugas cum Admimo Cunobelini ſui Regis filio. propter quos non redditos, domi

com-

commouentur, & arma ſumunt. Contra hos Caius Valerius Aſiaticus, vir Conſularis, & de Republica Romanorum benè meritus, fortiter militat interim; dum Tiberius Claudius Cæſar qui Caio Caligulæ ſucceſsit, Aulum Plautium, & Cneum Sentium Saturninum viros ambos Conſulares, & vtroſque illuſtres ac nobiles, in Britanniam Præſides mittit, qui tumultus ibi compeſcant. Et quidem Caius Berricus exul Britannus, erat ſuaſor Aulo Plautio, vt ipſe primus omnium virorum Conſularium, poſt Iulium Cæſarem bella facturus Britanniam intraret. vbi eam partem Dobunorum, qui parebant Catuellanis, in fidem accepit, militúmque præſidia conſtituit. Quibus cum Togodumnus alter Cunobelini filius, aperto Marte reſiſteret, eum iuſto prælio victum Aulus Plautius interfecit: reſcripſitque Claudio Imperatori, vt ipſe in Britanniam veniret. Claudius Cæſar ornamentis triumphorum ex alijs nationibus ſibi decretis à Senatu non contentus, cum arbitraretur eorum titulum eſſe leuiorem maieſtate Principis, velletq; vnius iuſti, ac pleni triumphi decus habere, Britanniam elegit, ex qua potiſſimum id fieri poſſe credebat; quòd eam Inſulam nemo poſt Iulium Cæſarem tentaſſet. Subinde veritus tamen, ne res illa ſibi malè cederet, opportunum fore arbitratus eſt, ſi Publium
35 Oſtorium Scapulam 35 virum bello egregium præmitteret. Quem Proprætorem abeuntem Roma, turbidæ res ſtatim in Britannia exceperunt; plurimis hominibus armatis in agros ſociorum Populi Romani effuſis, eò quidem violentius, quòd nouum Ducem, exercitu ignoto, hyemeq; iam incepta non iturum ipſis obuiam exiſtimarent. At ille contrà, ſciens euen-

tibus

tibus primis metum, aut fiduciam comparari, citas militum cohortes rapit, & ijs cæsis qui restiterunt, alios disiectos consectatus est, ne rursus congregarentur, infensaq́ pax, & infida, neque Duci certam, neque militi tutam requiem permitteret. Idcirco detrahit arma suspectis, cinctosq́ Britannos, à castris, & Antona, ad Sabrinam fluuium, cohibere parat. Hæc sic ab eo facta primi ferre noluerunt Iceni, copijsq́ contractis sese opposuerunt. Valida gens, neque prælijs contusi populi, postquam in Romanorum fidem se permisissent, in quorum societatem, vt suprà demonstrauimus, volentes ac sponte venerunt. His populis nunc auctoribus, ceteræ nationes circùm habitantes delegerunt locum pugnæ, septum agresti aggere, aditúque angusto ne Romanis equitibus peruius esset. Ea munimenta Romanus Dux Ostorius perrumpere conatur, quanquam tunc socias tantummodò copias sine robore legionum deducebat. Cohortibus distributis, turmas quoque equitum ad hæc munia accingit: tum dato signo perfringunt aggerem, suisq́ claustris impeditos Britannos conturbant. At illi partim conscientia rebellionis, partim obseptis effugijs, dimicando strenuè ac fortiter, multa facinora, præclaráque facta gesserunt. Qua ex pugna Marcus Ostorius Publij Legati filius, seruati ciuis decus meruit. Ceterum hac Icenorum clade compositi, sedatiqúe sunt ij, qui dubij inter bellum, pacemqúe hærebant. Ac inde Romanorum exercitus in Cangios ductus est; vastati agri, prædæqúe passim sic actæ sunt, vt interim Britanni aciem carpere non auderent: aut si fortè Romanorum agmen ex occulto carpebant, eorum dolus puniebatur. Iam ventum erat eò

loci,

loci, qui distat haud procul à mari, quod insulam Hiberniam aspicit, cum ortæ apud Brigantes discordiæ Ducem Ostorium Scapulam retraxerunt, suæ quidem destinationis certum, ac propositi tenacem, nequa scilicet noua moliretur, nisi prioribus rebus antea benè confirmatis. Harum discordiarum causa videtur fuisse dissidium inter coniuges, Venutium è ciuitate Iugantum, & Carthilimanduam Brigantium Reginam, populis eorum vtrimque factione disiunctis. Sed Publius Ostorius huiusmodi rebus occurrit. & Brigantes paucis quidem interfectis, qui sumpserāt arma, reliquisq; venia data, resederunt. Sed fera gens Sylurum non atrocitate mutabatur, neque clementia, quo minus vellet excercere bellum; & Romanarum legionum castris opprimenda foret. Id quod vt eis promptius euenire posset, colonia valida militum veteranorum Camalodunum in agros captiuos ducitur, vti perpetuum aduersus rebelles præsidium esset, paritérque subsidium Britannis, Populi Romani socijs, ibidem ad officia legum in-
36 stituendis. 36. Itum est indè confestim in Sylures propriæ ferocitati nimium confidentes, propter vires, ac potentiam Caradoci, quem multa rerum ambigua exempla, prosperæq; res multæ, sic extulerunt, vt ceteros Britannorum Imperatores facilè supereminèret. Sed tunc astu quidem rerum, fraudéque locorum potior, vi certè militum longè inferior, transfert bellum in Ordouicas: sibiq; adiunctis ijs, qui Romanorum pacem metuebant, nouissimum casum experitur, sumpto ad prælium eo loco, quo aditus, abscessúsque, & cuncta denique Romanis importuna, suisq; militibus valdè commoda forent. Tum & montibus arduis, & siqua loca clementer

menter adiri poterant, saxis in modum valli pręstruit: & amnis incerto vado præfluebat, cateruæqúe nationum pro munimentis constiterant. Nam ille Britannorum, Gallorumq́ mos erat, aciem instituere per nationes, vt discreta cuiusque virtus magis eluceret. & ille fluuius Temdus erat, in quem Colunus alter amnis influit, vadáque facit esse incerta. Hic visitur etiam hodiè collis perantiquæ memoriæ, quem vallo saxorum Caradocus præstruxit, & obfirmato animo contra Publium Ostorium, milites legionum Romanarum ducentem, defendit. Etenim suarum gentium Ductores ipse circumibat diligenter, hortabatur seriò, animósque labantium Caradocus confirmabat, diminuendo metum de hostibus, & accendendo spem de viribus suis, ceteráque incitamenta bellorum proferebat. huc, illuc volitans contestabatur, illum diem, illam aciem, aut libertatis recuperandæ, aut seruitutis, æternum subeundæ, fore. Inuocabat nomina Maiorum, qui Caium Iulium Cæsarem, perpetuum Dictatorem, à Britannia repulissent. quorum virtute iam viuerent à securibus Romanorum, tributisq́ vacui; & coniugum, liberorumq́ corpora intemerata retinerent. Hæc atque talia dicenti Caradoco, vulgus adstrepebat, & vnusquisque se gentili religione obstrinxit, non telis, non vulneribus, non vitæ amissione cessurum. Quorum alacritas tanta Romanum Ducem Ostorium obstupefecit, simul & obiectus amnis, & additum vallum, imminentiáque iuga, & quòd ibi nihil nisi atrox, & propugnatoribus frequens, esset, hoc eum terrebat. Sed miles Romanus poscebat prælium, clamabat omnia posse virtute vinci: Præfectiq́ ac Tribuni pariter locuti, ar-

dorem exercitus intendebant. Tum Ostorius locis circumspectis, quænam impenetrabilia, & quænam essent peruia, ducit absque aliqua offensione milites, amnemque haud difficulter euadit. Vbi ventum est ad aggerem, dum missilibus certabatur, plus vulnerum in Romanos, & pleræque cędes oriebantur. Posteaquam Romani facta testudine rudes & informes compages saxorum distraxissent, iámque par acies vtraque cominus foret, Britanni in iuga montium decedebant. Sed eò quoque ferentarius, grauisque miles irrupit, illi telis assultantes, isti conferto gradu; turbatis tandem ordinibus Britannorum, cum resistebant auxiliaribus copijs Romanorum, tunc gladijs ac pilis legionum: cum se vertebant in milites legionum, tunc spatis & hastis auxiliarium, consternebantur. Ea clara victoria fuit: captaque vxore, ac filia Caradoci, fratres quoque in deditionem accepti sunt. Ipsemet, vt plerumque non sunt tutæ res aduersæ, cum fidem Carthismanduæ Brigantium Reginæ petiuisset, ab ea vinctus, & Romanis victoribus traditus est, nono pòst anno, quàm in Britannia bellum ceptum est. vnde fama viri per Insulas euecta, proximasque prouincias peruagata, per Italiam quoque celebrabatur; hominésque desiderabant vbicumque visere, Quis esset ille, qui per tot annos Romanorum opes potentiámque spreuisset? Ac ne Romæ quidem ignobile nomen Caradoci fuit. quod ipse Cæsar fecit illustrius. Nam dum extollit decus suum, & honorem proprium, etiam gloriam maiorem addit Caradoco victo. quippe, totus Populus Romanus conuocatus, vt ad spectaculum aliquod insigne, fuit: cohortes Prætoriæ steterunt in armis eo campo, qui Castris præia-

tere dicebatur. Tunc incedentibus clientelis Regijs, phaleræ, torquésque monstrabantur, quæque bellis externis Imperator adquisierat, traducta fuerunt: mox fratres, & coniunx, & filia; postremò Caradocus ipse ostentatus est. Ceterorum preces ex metu degeneres habitæ sunt. At non Caradocus, aut vultu in terram demisso; aut verbis misericordiam requirens, vbi adstitit Tribunali: Si quanta Nobilitas, & Fortuna mihi fuit, tanta rerum prosperarum, inquit, moderatio fuisset; amicus in hanc vrbem 37
potius, quàm bello captus venissem: neque dedignatus essem, ego Princeps ortus claris maioribus, & imperans plurimis gentibus, fœdere pacem Romanorum accipere. Præsens ista sors mea, vt est mihi deformis, ita tibi, Cæsar, est magnifica. Equos, viros, arma, opes habui. Quid est mirum, si hæc inuitus amisi? Non, si vos vultis omnibus imperare, sequitur, vt omnes vestram seruitutem accipiant. Ego si statim deditus morti traderer, neque mala fortuna mea fuisset hominibus cognita, neque tua tanta gloria claruisset: suppliciúmque de me sumtum, ipsa mei obliuio sequeretur. At si me seruaueris incolumẽ, ero quidem exemplum tuę clementiæ sempiternum. Ad ea Cæsar nihil respondit: Sed & ipsi, & coniugi, & fratribus eius veniam tribuit. Atque illi vinculis absoluti, Agrippinam Claudij Cæsaris vxorem, haud procul alio suggestu conspicuam, ijsdem quibus Principem laudibus, gratijsq́ue venerabantur. Erat illud quidem nouum, & veterum Romanorum moribus insolitum, vt fœmina signis Romanis præsideret. Sed ipsa semet Imperij à suis maioribus parti sociam esse ferebat. Post hæc vniuersus Senatus conuocabatur, Patresq́ue Conscripti

scripti multa, & magnifica de captiuitate Caradoci disseruerunt. neque minus illud totum habitum est clarum, quàm cum Publius Scipio, Siphacem: Lucius Paulus, Persem: & siqui sunt alij magni bellorum Imperatores, qui Populo Romano victos Reges ostenderunt. Tunc Publio Ostorio insignia triumphi, prosperis rebus eius Senatum ad id faciendum impellentibus, censentur. Attamen res ambiguæ mox subsequebantur, siue quòd amoto Caradoco, quasi debellatum foret, minus intenta fuerit apud Romanos militia; siue quòd Britanni commiseratione tanti Regis incitati, ad vltionem acrius exarserint. Quibus rebus cognitis Claudius Cæsar, adsumto in partem rerum agendarum Vespasiano, (quod ei erat initium maioris fortunæ pòst aduenturæ) cum omni mole imperij, & cum elephantis, quibus Iulius Cæsar, vt antè demonstrauimus, Britannos terruerat, expeditionem perficit; quam hactenus pro Sergij Galbæ, postea quoque Cæsaris, sibique amicissimi valetudine nuntiata, distulisset. Cum nauigaret ab Hostia, vehementi Circio bis pœnè demersus est propè Liguriam, & Stœchadas insulas. Quam ob rem à Massilia Gessoriacum vsque confecto itinere pedestri, in Britãniam transmisit, cumq; Tamisim flumen in primis transisset, Britannos, qui eum venientem exceperunt in ripa, collatis signis fugauit, ac sine vllo prælio, aut sanguine intra paucissimos dies Insulę parte in deditionem recepta, Camalodunum peruenit. vbi templum in honorem eius Aruiragus accepti beneficij memor, exstruxit: & monstratus fatis Vespasianus est, quòd adhibito comite Lælio Hammone, qui sermonem, & mores Britannorum didicerat Romæ, cum eorum obsi-

dibus

dibus conuersatus, ipse transuectus ad Caerperim, sic eam obsederit, vt è portis nullus exitus ciuibus pateret. quam obsidionem Guiderius aggressus, Romanos acri prælio remouit, quos & ad naues à mœnibus repulit. Inde Vespasianus soluit, cursúmque maris tenuit ad insulam Vectim; quam à se deuictam in Romanorum potestatem redegit 38. Infeliciter Lęlius Hammo Britannicè armatus, pugnáque aduersus Romanos simulata, venit introrsus ad alium portum recipiendis classibus idoneum ac securum, in quo naues mercatorum quiescere solebant. dumqúe fretus Britannico sermone, cęterisqúe arte quæsitis dolis, Regem Guiderium interficit anno sui Regni vigesimo tertio; ac vrbem ingredi confidit: vana spe deceptus, ab Aruirago, fratris arma subsumente, séque pro Guiderio, gerente, confestim interimitur; ab eóque tempore in hodiernum diem portus ille Hammonis vocatur. Claudius Cæsar sexto mense pòst, quàm erat profectus in Britanniam, reuersus est Romam, vbi Lucius Vitellius, pater Auli Vitellij postea Cæsaris, curam Imperij sustinuit interim, dum Claudius in expeditione Britannica versaretur: qui maximo apparatu post reditum triumphauit. Ei Senatus ludos annuos, & arcus triumphi, tam in vrbe Roma, quàm Gessoriaco Galliæ fieri; triumphumqúe splendidissimum celebrari decreuit. Ad cuius triumphi spectaculum, in vrbem commeare, non solùm Præsidibus Prouinciarum, sed quibusdam exulibus quoque permisit. Inter Britannorum verò spolia, ipse Claudius Imperator naualem coronam fastigio domus Palatinæ, vt monumentum insigne traiecti Britannici maris, Oceaníque tanquam perdomiti fixit. 28

coronas aureas in eum triumphum contulerunt Prouinciæ, Gallia Comata vnam, pondo nouem: alteram Hispania, pondo septem. Currum eius Valeria Messalina vxor carpento vecta sequebatur, filiúsque ex ea susceptus, antè vocatus Germanicus, ab hac victoria de Britannia, cępit Britannicus appellari. Atque Cæsar ipse contra omne Romanorum institutum, sæpius Imperator salutatus est. neque enim plus, quàm semel illud nomen ex vllo bello reportare licebat. Deinde secuti sunt ij, qui ex eodem bello adepti sunt ornamenta triumphi, donata quidem ab ipso, viris illustribus plurimis. Sed ceteri pedibus, & in veste prætexta; Licinius Crassus, qui dictus est Frugi, equo phalerato vectus, & in veste palmata sequebatur, quòd eum honorem iteratò iam ex victoria meruisset. Posidi suo spadoni, vt inter viros militares homini fortissimo, arma insignia tanquam participi victoriæ, hastàmque puram, sed Caio Gauio torques, armillas, phaleras, coronamq́ue auream Cæsar dono dedit. qui per gradus in Capitolium, eum generis suis vtrinque subleuantibus, nixus genibus ascendit. Denique ludos triumphales, accepta in eam rem potestate Consulis, edidit. Hi ludi exhibiti sunt in duobus theatris simul, ac digresso à spectaculis sæpius Cæsare, alij eos curauerunt. Tot promisit equorum certamina, quot illi dies admitterent; plura tamen, quàm decem non fuerunt. Nam inter equorum cursum, cædebantur vrsæ, certabantq́ue athletæ, ac pueri ex Asia euocati Pyrrhicam saltabant. Cumq́ue mos esset priscus, quo ij qui protulere Imperium, etiam terminos vrbis Romæ propagare deberent; licet eum morem Romani Duces non obseruauerint, quamquam subactis natio-

 nibus

nibus magnis, nisi Lucius Sylla, & Octauius Augustus: attamen Claudius Cæsar pomerium vrbis auxit 39 post Britanniam Imperio Romano adiectam, & finibus Populi Romani sic iam auctis, vrbem ampliauit. Nam ita splendide semper iste maximus Principum Claudius existimauit de Britannia, vt Aulum Plautium nobilem virum, & qui multa fecerat egregiè in bello Britannico, vt supra demonstrauimus, ipse prosequeretur ouantem, & Capitolium etiam ascendenti ei læuus incederet. Cuius Auli Plautij vxor Pomponia Græcina, filia Pomponij Græcini, qui sub Augusto Cæsare Consul erat, & nupta Plautio, cum se ouans de Britannijs retulit, Christianæ religionis notionem primam, illò importasse creditur 40. Neque enim sententia Seueri Cæcinæ suadentis in Senatu, nequa vxor virum Magistratum in prouinciam comitaretur, obtinere locum potuit, Valerio Messalino, ipsóque Tiberio Druso tunc Imperante, contrarium persuadentibus. Causam verò loquendi de Christi religione mulier prudentissima Græcina cepit ex eo, quòd Augustus Cæsar Druidum religionem antea ciuibus interdixisset, quam nunc Imperator Claudius, vt suprà quoque demonstrauimus, penitus etiam in prouincijs aboleuit. quamquam illud eius de extirpandis his religionibus mandatum in Britannia vix audiri potuit, propter exulceratos animos populorum, de miseris casibus suorum Principum, adhuc grauiter dolentium. Itaque Præfectum castrorum, & legionarias cohortes Romanorum relictas extruendis apud Silures præsidijs, circunfundunt. atque nisi citis nuntijs è castellis proximis subuentum fuisset, copiarum Britannarum obsidione Romani occubuissent

 sent

ſent. Prẹfectus tamen, & octo centuriones, ac promptiſsimus quiſque è manipulis, illo prẹlio cecidit: neque multo pòſt Romanis pabulatis, etiam turmas eorum miſſas ad ſubſidium, Britanni profligant. Tum Oſtorius Scapula cohortes expeditas confeſtim oppoſuit. nec ideo ſiſtebat fugam ſuorum, niſi legionesquoque prẹlium excepiſſent. earum viribus, roboréque fuit primum exæquata pugna, quẹ Romanis deinde pro meliore contingebat. Effugerunt Britanni accepto tenui damno, quia dies inclinabat: crebráque hinc prẹlia, & ſæpius in modum latrocinij; per ſaltus, & per paludes, vt cuique ſors, aut virtus fortè temerè caſu prouiſa ferebat; ob iram, ob prẹdam; iuſſu, vel iniuſſu Ducum ſuorum. Ac prẹcipua fuit peruicacia Silurum, quos accendebat vulgata vox Imperatoris Romanorum Claudij, dicentis, ita Silurum nomen penitus extinguendum eſſe, vt olim Sicambrorum,
41 ſtatim, atque in Gallias traiecti forent. Duas enim auxiliares Romanorum cohortes incautius ex auaritia ſuorum Præfectorum depopulantes agros, hi Britanni interceperunt; ſpoliáque & captiuos largiendo, ceteras quoque nationes ad defectionem pertrahebant: cum Oſtorius Scapula curarum tædio feſſus, vita conceſſerit; lætis Britannis perinde, ac ſi Ducem haud ſpernendum, ſi non ipſa pugna, certè bellum tamen iſtud abſumpſiſſet. At Claudius Cæſar morte Legati cognita, ne Prouincia eſſet ſine Rectore, Aulum Didium Gallum ſuffecit. Is properè vectus in Britanniam, non ideo tamen inuenit res integras, propter aduerſam interim habitam pugnam legionis eius, cui Manlius Valens præerat. auctáque eſt & apud Britannos eius rei fama, vt aduenientem nouum Ducem

magis

magis exterrere possent. Atque ille ipse de industria eandem pugnam auxit, vt fama eius audita Romæ, maior laus ex Britannis compositis, vel si bello durassent aduersi, venia iustior ipsimet à Cæsare tribueretur. Silures id quoque damnum inferebant, lateque Romanis insultabant, donec accursu Didij pellerentur: redactáque paullatim in formam prouinciæ fuerit proxima continenti pars Britanniæ, quam Iceni posside nt. In hac forma prouinciæ permissum erat nummos cudere, tanquam testes deuictarum nationum, cum expresso vultu Claudij Cæsaris, equestri figura in arcu triumphali decurrentis, séque laudantis de Britannia. Didius autem Gallus continuit loca parta tantum à prioribus, admodum paucis castellis in vlteriora promotis, per quæ officij sui aucti saltem aliqua fama, sibi quæreretur. Quocirca cum inter Carthismanduam, & Venutium coniuges iterum excitaretur contentio, & inde nascere túr; quòd Carthismandua callidis artibus fratrem, proximosq; Venutij fraudulenter intercepisset. quam ob rem ipse ceteriq; ira incensi se profitebantur hostes eius, & ignominia stimulati, ne fœminæ imperio subderentur, cum valida lectáque Iuuentute Regnum Carthismanduæ armis inuadunt: Hoc erat præuisum à Romanis, ideóque missæ auxilio cohortes., acre quidem prælium fecêrunt: eius initio quidem ambiguo, finis lętior Romanis accidebat, à quorum legione, cui Cæsius Nasica præfuit, non dispari rerum euentu pugnatum est. Nam Aulus Didius tum senectute, tum honorum copia multa iam factus grauis, per ministros agere bellum, & Britannos arcere, satis habebat. Quibus rebus cognitis, sapientia ma-

luit omnes ſubiugare Britannos Claudius, quàm domeſticis cõtentionibus Principum occupari; belláque prudenter auertere conatus, miſit ad Aruiragum Regem legatos, qui pacem inirent,
42 ſuamqúe alumnã Geneſiam 42 ei matrimonio collocarent, ſi tantummodo Britanniæ Regnum, quod ipſe adminiſtrabat, ſub poteſtate Romanorum eſſe recognoſceret. Qua re propoſita viris principibus, poſt deliberationem habitam de iniquiſsima pace iuſtiſsimo bello præferenda, ſuaſerunt deſiderio Claudij adquieſcere. nec enim ſibi dedecus eſſe, Romanis parêre qui totius Orbis imperio potirẽtur. Erat autem Geneſia, puella tantę pulchritudinis, vt omnes, qui eam aſpicerẽt, in admirationẽ ſuæ formæ adduceret; Regiq́ iuncta nuptijs, amore tanto pectus eius ſuccendit, vt eam ſolam ceteris rebus omnibus ipſe præferret. Ideo locum celebrationis nuptiarum, vrbe ſtructa in confinibus Demetię, ac Lœcriæ ſuper Sabrinæ ripam, ad honorem Claudij Cæſaris, Claudiopolim dixerunt. & inde Cæſar auxilio vſus Aruiragi, Orcades inſulas ſuæ poteſtati ſubiecit. Sed eo mortuo cum Domitius Nero in Imperium ſuccederet, Cæſonio Pæto, & Petronio Sabino Turpiliano Conſulibus, in Britannia Romani grauem cladem acceperunt. in qua neque Vibius Auitus tunc Legatus, qui nulla noua loca quæſiuit, & niſi prius parta retinuit: neque ſucceſſor eius Verannius multum profuit; qui modicis ſuorum militum excurſionibus depopulatus Silures, quibuſcum erat tunc maximè bellum, morte prohibitus, ne bellum vltra hos poſſet proferre, intra annum extinctus eſt. Magna fuit in eo viro, dum vixit, fama ſeueritatis, atque virtutis. verùm in ſupremis teſtamenti ſui tabulis mani-

manifesta illius ambitio hominibus apparuit. vsus est enim multa in Neronem adulatione, dum scribit, se subiecturum ei fuisse prouinciam, si proximo tantùm biennio superstes vixisset. Sed eum secutus est Caius Suetonius Paullinus, Britannósque tunc obtinebat, vir scientia rei militaris clarus, & rumore populi, (qui neminem finit esse sine æmulo) perinsignis. Etenim Corbulonis concertator esse, receptæq; per eum Armeniæ decus æquare, domitis Britannis velle dicebatur. Hic biennio quidem prosperas res subactis nationibus, firmatisq; præsidijs habuit, quorum præsidiorum fiducia parat aggredi Monam insulam, validam quidem incolis, sed receptaculum perfugarum. Nam illô Druides edicto Claudij Cæsaris expulsi Britanniâ sese receperant. Hanc insulam, vt viros, auxiliaq; subministrantem Britannis contra Romanos, aggressus Suetonius Paullinus, naues alueo plano aduersus breue littus, & incertum fabricatur. Sic pedites, vado subsecuti sunt equites, vt altiores inter vndas, adnatantes equis transmiserint. Stabat pro littore acies diuersa, éaque armis virísque densa; intercurrentibus ad modum furiarum mulieribus, 43 veste ferali, crinibúsque deiectis, quæ faces præferebant: Druidesq; circùm, preces diras fundentes, manibus in cœlum sublatis, Romanos milites nouitate aspectus ita perculerunt, vt quasi membris stupore fixis, hærentibusq; suum corpus immobile vulneribus accipiendis præberent. Deinde tamquam ad se cohortationibus Ducis reuersi, seq; ipsi stimulantes, ne muliebre genus, & agmen fanaticum amplius pauescerent, signa fortiter inferunt, obuiosq; sternunt, & igni suo ipsos inuoluunt. Post hæc impositum est ibi præsidium 43

dium victis, luciq́ sunt excisi, qui sæuis superstitionibus erant consecrati. Nam cruore captiuorum hominum aras adolere, fibrisq́ eorundem occisorum, Deos consulere dicebantur, idqúe sibi fas esse ducebant. Interim dum hæc ibi geruntur, Suetonius legatus terga bellorum occasioni patefecit. Namque per eius absentiam remoto metu, Britanni inter se mala seruitutis agitare, iniurias conferre, & omnia, prout quisque volebat, interpretando, verbis sese accendere cœperunt. Nihil amplius profici patientia dicebant, nisi vti deinceps ipsis tanquam omnia facilè tolerantibus grauiora imperentur. Singulos sibi Reges fuisse quondam, nunc imponi binos: ex quibus vnus, Populi Romani legatus in sanguinem; alter, Cæsaris Procurator in bona sæuiret. Æquè discordiam Præpositorũ, & æquè concordiam Romanorum, eis nunc subiectis exitiosam esse. Alterum, manus Centurionis: alterum, vis & cõtumelia tumultu miscebat. Nihil iam cupiditati, nihil iam libidini exceptum esse dicebant. Eum in prælio quondam habitum esse fortiorem, qui spoliet: nunc ab hominibus ignauis plerumque ac imbellibus, eripi domos, abstrahi liberos, iniungi delectus militum Britannis, tamquam si pro sua patria, mori scilicet domi, nescirent. Quantũ enim ex insula militum transiuisse constat, inquiunt, si sese Britanni numerauissent? Sic Germanias excussisse iugum Romanorum, & Rheno, tantùm flumine, non Oceano, mari magno, quemadmodum Britannias, defendi. Sibi patriam, coniuges, parentes: illis auaritiam & luxum causas esse belli. Recessuros esse Romanos, vt Caius Iulius Cæsar ipse recesserit, si modò Britanni virtutes maiorum suorum æmularentur, neque prælij vnius, aut

alte-

alterius euentu pauescerent. plus impetus penes miseros, maioremq́ constantiam esse. Misereri verò Britannorum iam ipsos etiam Deos, qui Ducem Romanum absentem, qui relegatum in alia insula Mona illius exercitum detinerent. Semet ipsos deliberare iam id quidem, quod difficillimum fuerit. porrò maturandum esse in huiusmodi deliberationibus, eò quòd in consilijs talibus deprehendi, quàm audere, multo sit periculosius. His, similibúsque rebus instincti, ac inter se cohotati Britanni, Duce Bunduica Regij generis fęmina 44 sumpsere bellum vniuersi, & sparsos per castella milites Romanos consectati, expugnatisq́ præsidijs ipsam coloniam, vt sedem seruitutis inuasêre, nec vllum in eis sæuitiæ genus ira simul, & victoria pulsi omiserunt. Prasutagus enim Rex Icenorum, opulentia magna Princeps clarus, Domitium Neronem Cęsarem testamento heredem, duasq́ filias suas scripserat; arbitratus obsequio tali Regnum, ac domum suam ab iniuria Romanorum tutam fore. quod tamen euenit contrà: quippe, Regnum eius per centuriones, & domus per seruos veluti capta vastabantur. Primùm vxor, honorata matrona Bunduica, verberibus affecta, filiæq́ stupro violatæ fuerunt. Viri plerique ciuitatis & præcipui omnium Icenorum, bonis auitis exuuntur, quasi Romani cunctam illam regionem dono datam, ac muneri, accepissent; ipsiq́ propinqui Regis inter mancipia ducebantur. Qua contumelia, metuqúe rerum grauiorum (quandoquidem iam cesserant, vt suprà demonstrauimus, in formam prouinciæ) accensi simul omnes arma rapiunt, commotis ad eam rem vnà secum Trinobantibus, ijsque populis alijs, qui nondum assuefacti Romano-

rum seruitio erant. Hi coniurationibus occultis inter se pepigerant, acerrimóque in veteranos odio resumere libertatem conspirauerant. Nam hi milites veterani recenter in coloniam deducti Camalodunum, pellebant domibus Britannos, agrisq́ captiuos, eos appellando seruos, exturbabant: & hanc veteranorum impotentiam ceteri milites, tum vitæ similitudine, tum eiusdem spe licentiæ, fouebant. Isti milites octo cohortes Batauorum erant, auxilia Quartædecimę legionis in Britannia, sed tunc ex hac discordia temporum à legione digressæ, quòd eius conditionem inclinare viderent. Nam in templo, quod antè diximus Aruiragum in honorem Claudij struxisse, Pontifices, Flaminesq́ eidem Cæsari lecti ex ipsis Prouincialibus fuerunt.
45 At in sacra, victimasq́ Claudij Cæsaris 45 adeo multi sumptus erant faciendi, vt omnes Britannorum fortunas ibidem, opésque effunderent. Quibus quidem Britannis nunc exscindere coloniam nullis septam munimentis, & auxiliaribus copijs destitutam, non arduum videbatur. Id quod à Romanis Ducibus parum diligenter prouisum erat, dum amænitati locorum prius, quam vsui rerum, necessitatiq́ consulebant. Attamen varijs prodigijs admoniti fuerunt. Inter quæ numerabatur, delapsum nulla palam de causa simulachrum victoriæ, positum Camaloduni, ac retrò conuersum, quasi Britannis planè cederet. Fæminę quoque furore turbatę, vrbis exitium adesse canebant, fremitusq́ externos in Romanorum Curia fuisse auditos, & vlulatibus consonuisse theatrum, ac in ęstuario visam ædium speciem, quasi certas quasdam subuertendæ coloniæ notas, esse dicebant. Iam erat Oceanus aspectu cruento præditus, laben-

téque

rêque sic æstu, relictę sunt quædam humanorum corporum effigies, quibus ad spem Britanni, ad metum Veterani traherentur. Huic bello funestissimo faces addebat Lucij Annei Senecæ auaritia, qui sub id tempus quadringenties sestertium fœnus in Britannia 46 maximis vsuris 46
cumulatum, hoc est, trecenta millia librarum, acerbius exigebat. Ista repentina defectione prouinciæ nuntiata, subitóque motu populorum cognito, nisi Suetonius Paullinus properè subuenisset, amissa iam Britannia fuisset. quam vnius prelij fortuna, veteri Romanorum potentiæ restituit: tenentibus arma plerisque, quos conscientia defectionis, & proprius ex Legato timor agitabat. Sed quia procul is aberat, Romani à Cato Deciano Procuratore auxilium petiuerunt. Ille, haud amplius, quàm ducentos milites sine iustis armis misit, & in vrbe Camaloduno iam modica militum manus erat. qui & ipsi tutela templi freti sunt, & ijs impedientibus, qui occultæ rebellionis conscij, turbabant consilia, neque fossam, neque vallum pęduxerunt, neque remotis ex eo loco senibus, ac feminis, Iuuentus sola restitit, quasiqúe media pace omnes incauti à multitudine Britannorum circumveniuntur. Quibus rebus factum est, vt cetera quidem impetu direpta, vel incensa sint ignibus; templum autem, in quo se miles congregauerat, obsessum biduo, expugnatúmque fuerit. Et ita victor Britannus Petilio Ceriali legato Nonæ legionis in subsidium aduenienti factus obuius, ipsam legionem fudit, & quidquid erat peditum, interfecit. Cerialis cum equitibus in castra fugiens euasit, eorúmque munimentis defensus est. Qua clade, odijsque prouinciæ, quam auaritia Romanorum in bellum egerat,

trepi-

trepidus Procurator Catus Decianus, in Galliam transit. At Suetonius Paullinus subitò reuersus mira constantia medius inter Britannos, Londinum, cognomento quidem coloniæ non insigne, sed copia negotiatorum, & commeatu maximè celebre, perrexit. Ibidem ambiguus hærebat, an illam sedem bello deligeret, circunspecta militum infrequentia, satisque magnis documentis coërcitam Petilij Cerialis temeritatem recordatus, vnius oppidi damno, seruare vniuersa constituit. Neque fletu, neque lachrymis Londiniensium, qui auxilium eius orabant, flexus est, quin signum profectionis daret, & in partem agminis sui acciperet eos, qui ipsum in prelium euntem comitabantur. Ita hanc vrbem nudam, Britannísque incurrentibus obiectam reliquit, vbi miserè sunt oppressi, quos imbellis sexus, aut ætas fessa senio, vel ipsa loci dulcedo detinuerat. Eadem clades municipio Verulamio facta fuit. quia Britanni castellis, præsidijsque militarium virorum omissis, quidquid extra munitiones vberrimum, & obuium vsquam fuit, denique loca defensoribus parum tuta, liberè spoliant, iam læti præda; & aliorum etiam locorum prædis insignibus mouebantur, licet ad octoginta millia ciuium Romanorum, & sociorum Populi Romani in his duobus locis occidisse constet. Neque enim capere, aut captos bello venumdare; vel aliquod de rebus bello captis aliud commercium facere poterant: ita cædes, patibula, ignes, cruces Britanni, tanquam Romanis supplicia reddituri, omni prærepta interim vltione, parare festinabant. Iam Suetonio Paullino Quartadecima legio Romanorum cum vexillarijs, & cum vicesimæ legionis [illegible]ibus; atque è proximis auxiliares, decem mili-

ferè

ferè milia hominum armatorum aderant. Iam omittere cunctationem, & acie congredi parat ipse, locumq́ arctis faucibus, & à tergo clausum syluâ delegit. Satis enim cognouerat, nihil esse Britannorum militum, nisi à fronte; & apertam planitiem, quæ propè erat, sine metu insidiarum existere. Miles igitur legionarius ordinibus frequens, leuiq́; circum armatura congregatus erat; pro cornibus eques adstitit. At Britannorum copiæ passim per cateruas, & turmas exultabant; quorum tanta nunc, quanta non aliàs vnquam, multitudo fuit. quorum animus tam ferus, vt coniuges quoque suas secum, quasi testes victoriæ traherent, plaustrisq́ eas imponerent; quæ deinceps plaustra super extremum ambitum cãpi posuerunt. Bunduica filias curru præ se vehens, vt quamque nationem accesserat, solitum quidem esse Britannis, quandoque etiam ductu fœminarum bellum gerere, testabatur. Sed tunc ascendens tribunal confectum è terra palustri, cespitibusq́, more Romano, non vt tantis maioribus orta, regnum, & opes; verùm vt vna quælibet ex vulgo, libertatem amissam conquerebatur: & confectum verberibus corpus suum, & contrectatam filiarum pudicitiam vlcisci, se velle dicebat. eò prouectas autem Romanorum cupidines, vt non corpora, neque senectam quidem, imò nec ipsam virginitatem impollutam relinquant. Deos tamen adesse vindictæ iustæ; cecidisse iam legionem, quæ fuisset ausa tentare prælium: ceteros castris occultari, aut fugam circumspicere; quòd ne strepitum quidem, & clamorem tot militum, nedum impetus, aut manus eorum, sint perlaturi. Si copias armatorum, si causas belli secum expenderent, illa certè acie centum viginti milium Britan-

norum, aut esse vincendum, aut esse cadendum. Id sibi mulieri propositum esse, destinatum, atque firmum. Viri, si vellent, viuerent, 47 ac Senatui Populoque Romano seruirent. Hæc Bunduica dixit. Nec in tanto rerum discrimine Suetonius Paullinus silebat quidem. Is tametsi virtuti militum suorum confidebat, tamen exhortationes, & preces admiscebat: vt spernerent sonora Britannorum, & inanes minas. plus apud eos fæminarum, quàm bellicosæ Iuuentutis adspici. Etenim imbelles, ac inermes cessuros statim; vbi ferrum, virtutémque Romanorum toties vincentium, fusi fugatique toties, agnouissent. Etiam in multis legionibus esse paucos, qui prælia profligarent; gloriæque eorum tanto plus accessurum fore, quòd ipsi modica manu famam exercitus vniuersi adipiscerentur. Porrò monuit, vt conferti tantum, & pilis emissis; postea vmbonibus, & gladijs stragem, cædemque, omnis prædæ penitus immemores, continuarent. nam victoriâ parta, ipsis cuncta cessura promisit. Is ardor militum sequebatur hæc verba Ducis; ita se vetus miles, & multa præliorum experientiâ clarus, ad intorquenda pila expedierat, vt quodammodo certus de rerum euentu Suetonius Paullinus esse videretur; homo natura cunctator, cuique potius consilia cauta placebant cum ratione, quàm prospera ex casu, arbitratus victoriam incipi satis citò, vbi benè prouidisset, ne vinceretur. ergo nunc statim signum dat pugnæ. Ac primùm legio immota gradu, & angustias loci retinens pro munimento, postquam propius aggressus Britannus certo iactu tela exhauserat, velut cuneo erupit. Idem, & par impetus erat militum auxiliarium: & equites protentis hastis omne, quod eis obuium,

& omne

& omne, quod validum erat, perfringunt. Ceteri terga præbuerunt, effugio quidem perdifficili; quoniam vndique vehicula circumiecta ambitus omnes sepserant. Et Romani milites, ne mulierum quidem nece temperabant: confixáque telis eorum etiam iumenta, corporum mortuorum tumulum auxerunt. Clara, & antiquis Romanorum victorijs par laus, & gloria similis, eo die parta fuit. quippe sunt, qui paulo minus, quàm octoginta millia Britannorum eo prælio cecidisse dicunt; militum verò Romanorum quadringentis ferè interfectis, neque multò pluribus vulneratis. Bunduica vitam veneno finiuit. Et Pœnius Posthumus Præfectus castrorum secundæ legionis, cognitis prosperis rebus, quas milites Quartædecimæ, & Vicesimæ legionis gesserant, quia pari gloria suam legionem fraudauerat, & contra ritum disciplinæ militaris abnuerat facere iussa Ducis, ipse gladio se transegit. Contractus deinde Romanorum exercitus omnis sub pellibus habitus est, ad reliqua belli perpetranda. & Domitius Nero, qui cogitabat exercitum ex Britannia deducere, neque destitit ab ea cogitatione, nisi verecundiâ motus, ne parentis gloriæ obtrectare videretur; quique deiectus animo fuit propter Britannicam cladem, qua duo præcipua oppida Londinium, & Verulamium, magna ciuium, suorumque cæde direpta sunt; nunc Britanniâ iterum recepta, se fatalibus malis esse defunctum existimabat; idcircóque copias auxit, missis è Germania duobus milibus legionariorum, & octo cohortibus auxiliarium, ac mille fortibus equitibus. quorum omnium aduentu, Nona legio, quam Petilius Cerialis temerè produxit, & cuius Bunduica victrix fuit, nouo milite legionario supplebatur.

Cohortes, alæq; nouis hibernaculis collocatæ
ſunt. & omne genus hominum, nationumq́ue,
quod vbique erat ambiguum in fide, vel aduer-
ſum, & contrarium Romanis, igni ferroq́ue
vaſtatur. Sed nihil æquè Britannos affligebat,
quàm fames, vtpote non curioſos ſerendis fru-
48 gibus, 48 & omni ad bellum ætate verſa; dum
commeatus Romanorum ſibi deſtinant, gen-
tesq; præferoces tardius ad pacem inclinant.
Iulius Claſsicianus ſucceſſor Cato Deciano Pro-
curatori miſſus in Britanniam, & à Caio Sue-
tonio Paullino diſsidens, bonum publicum
ſimultatibus priuatis impediebat, rumoremq;
diſperſerat, oportere Britãnos nouum Legatum
expectare, qui ſine ira, & abſque ſuperbia victo-
ris animi, clementer eſſet conſulturus ijs, qui ſe
dederent. ſimul & hoc in vrbem Romam dici
mandabat, vt, niſi Suetonio ſuccederetur, om-
nino nullum præliorum finem Romani viderẽt.
Huius Ducis res geſtas aduerſas, ipſius prauitati
morum imputabat; proſperas verò ad beatam
fortunam Reipublicæ Romanæ referebat. Miſ-
ſus igitur eſt ad ſpectandum Britanniæ ſtatum
Polycletus, vnus ex libertis Cæſaris, magna ſpe
ſcilicet Neronis, poſſe illius auctoritate, non
modò inter Legatum, Procuratoremq; concor-
diam gigni, ſed & rebelles Britannorum animos
pace componi. Neque Polycletus huic opinioni
de ſe conſeruandæ defuit. idcircoq; cum ingenti
agmine hominum Italiæ, Galliæq́ue, tanquam
auctoritate grauis, poſteaquam Oceanum tranſ-
miſerat, militibus quoque Romanis accinctus
in Britannia terribilis incedebat. Sed irriſui fuit
Britannis ipſis, apud quos flagrante tunc etiam
libertate, nondum cognita Libertorum potentia
erat. & propterea mirabantur, quòd Dux, &
exerci-

exercitus tanti belli confector, nunc seruitijs obedirent. Attamen hæc cuncta mollius ad Imperatorem relata sunt, rebusq; gerendis Suetonius Paullinus, vir & bello, & ceteris rebus egregius, adhuc detentus est. Qui tamen cum arroganter in Britannos sibi deditos statuisset, & tanquam vltor suæ quoque iniuriæ durius consuluisset, quàm erat æquum; & paulo postea, naues in littore paucas, in eisq; remigium, amisisset; ideo missus in Britanniam est Petronius Sabinus Turpilianus, qui Consulatu Romæ iam abierat, tanquàm exorabilior, ac mitior: quiq; nouus delictis Britannorum parceret, eorumq; pœnitentiæ recipiendæ facilior esset. huic tanquam adhuc durante bello, exercitum tradere Suetonius iubetur. Ille compositis rebus prioribus, nihil vltra facere ausus est. non iritato Britanno, nec ab eo lacessitus, inerti otio, honestum nomen pacis imposuit. atque ita Trebellio Maximo prouinciam tradidit. qui paulo segnior, nullis quoque castrorum experimentis, sed comitate quadam curandi res publicas, priuatasq; in officio Britanniam retinuit. Sub id tempus ab vrbe Roma profectus Apostolus Petrus, venisse in Britanniam 49, ibidemq; pluri- 49
mos ad fidem Christi perduxisse, atque rursus anno Domitij Neronis duodecimo Romam redijsse fertur. Denique Philippus Apostolus, dum in Gallia eandem fidem prædicaret, misisse duodecim viros ex discipulis suis, in Britanniam, sub Iosepho ab Arimathæa Præfecto: quibus Aruiragus Rex, pro loco dederit insulam Auallonium; Princeps optimus, quo Dux nemo fortior, nemo pace mitior, nemo viuendi genere lætior, nemo dandis muneribus liberalior erat: qui virtutum omni genere cumulatus, & erga

religionem Christianam benè affectus, collapsa bellis oppida restaurans, populum Britannum tanta iustitia & æquitate regebat, vt a longè positis orbis terrarum Principibus & amaretur, & timeretur. Tandem vitâ defunctus cum annos vigintiquinque regnasset, in templo, quod etiam condiderat ad honorem Claudij Cæsaris vrbe noua ipsius nomen ferente, sepelitur; relicto superstite filio Mario rerum bellicarum viro peritissimo; quamquam nec ipse, neque pater eius sub vitæ finem, contra Romanos bellum tentauerit; quòd hoc alij facerent, & ipsi contra sese Romani per inuidiam domi ac foris bella ciuilia machinarentur. Ne quid enim repetam de Classiciano, & Polycleto in Britannia contra Suetonium Paullinum fortissimum belli Ducem: iam in vrbe Roma Domitij Neronis aduersus omnes extrema crudelitas, Annæum Lucanum Poëtam, & Plautium Lateranum Consulem designatum, in eundem Cæsarem odia viuida concipere fecit. Lucanum accendebant propriæ causæ, quòd Nero famam carminum ipsius premebat. Sed iniuria quidem nulla Plautium nisi Reipublicæ solius amor certissimus incitabat. Videbat enim Auli Plautij patrui sui merita egregia, quibus Britanniam Claudio Cæsari subegisset, huius immanitate perdi. Ergo necem eius adeo properè fieri Nero iussit, vt non complecti liberos, non illud breue mortis arbitrium,
50 non vale dici, permitteret 50. Vnius horę spatio raptus in locum seruilibus pœnis sepositum, extra portam Esquilinam, vbi cruces, & patibula defixa, vbi cadauera mortuorum abiecta sunt, manu Tatij Tribuni trucidatur, tam plenus silentij constantis, vt nec ipsi Tribuno conscientiam suæ mortis obiecerit. Cúmque Romæ

Consules iam essent Caius Suetonius Paullinus, & Lucius Telesinus, apud Neronem Antistius Sosianus falsò accusat Marcum Ostorium Scapulam Publij filium, quòd ope Parmenis viri periti arte Chaldæorum, scrutaretur fata Cæsaris, & rebus nouis studeret. statim igitur Ostorius inter damnatos magis, quàm inter læsæ maiestatis reos habetur. Fortè tunc in longinquis agris aberat. mittitur Centurio, qui cædem eius maturaret. Causa festinandi oriebatur ex eo, quod Ostorius multa militari fama clarus, & in Britannia meritus Ciuicam coronam, vt suprá demonstrauimus, vir ingenti robore corporis, armorumqúe scientia illustris, metum Neroni fecerat, ne ipsum, semper ex tyrannide pauidum, & tunc noua coniuratione reperta valdè conterritum, inuaderet. Centurio, cum effugia villæ prius clausisset, Imperatoris iussa Ostorio aperit. Is fortitudinem suam sæpè spectatam aduersus hostes, nunc in semet, ipse conuertit. Petronius autem Sabinus Turpilianus vir Consularis, &, vt antè demonstrauimus, in Britannia Legatus, post mortem Neronis ita perijt & inauditus, & indefensus, vir bonus, & innocens, ac si ad nequitiam Neronis dux fuisset. Adeo nunc assuefacti homines erant Romæ, vt haud minus vitia Principum amarent, quàm olim virtutes eorum venerabantur. Quin & Britanni eodem modo vitijs blandientibus ignoscere didicerant, ciuiliumq; armorum interuentus eis segnitiæ iustam excusationem præbuit. Sed cum adsuetus expeditionibus miles otio lasciuiret, tunc vehementer discordia laboratum est. Trebellius Maximus fuga, latebrisq; vitata exercitus irâ, & indecorus, & humilis, mox in Britannia precariò perinde præfuit

ac si conuenissent inter se pacto, vt exercitus Romanorum totus, licentiam viuendi, sicut vellet, atque Dux ab eis securam salutem haberet. hęc seditio sine sanguinis vlla effusione, sed non siue dedecore per tale pactum finitur. Neque Vectius Bolanus manentibus bellis Romanorum ciuilibus, Britanniam disciplina militari exercuit: Quam ob rem fiebat eadem, inertia militum Romanorum erga Britannos, quę sub Trebellio Maximo contingebat. nisi quòd innocens Bolanus, & nullis delictis inuisus, loco auctoritatis quam habere debebat, militum erga se charitatem studiosè parauerat. Bella enim ciuilia Romæ tria, externa plura; res in Oriente prosperæ, in Occidente aduersæ fuerunt. Turbata erat Illyria, nutabat Gallia, & quiescente Rege Mario, vt suprà demonstrauimus, cogno-
51 mento Cogiduno 51, Romanorumq; studiosissimo, Britannia perdomita, sed statim ignauia Principum, dissidióque Præfectorum militiæ, Insula Romanis rursum amissa fuit. Domitij Neronis finis, vt erat lætus primo quodam impetu omnium ordinum iustè gaudentium; ita varios animorum motus non in vrbe Roma tantùm apud Patres, & Populum, & militem vrbanum conciuerat, sed etiam apud omnes legiones, Ducesq; tunc euulgato certo Imperij arcano, Romanum nempe Principem alibi, quàm in vrbe Roma fieri posse Quam ad vrbem fuit inducta legio Hispana, remanebatqúe ea, quàm ex classe Nero conscripserat. vrbs insolito exercitu plena fuit. milites innumeri ex Germania, & Britannia, & Illyria venerunt, quos Nero ad bellum contra Albanos elegerat. Legiones inferioris Germaniæ fuêre diutius sine viro Consulari, donec iussu Galbæ, qui Neroni successerat,

cesserat, Vitellius idē, qui postea erat, Imperator, ad eos veniret. In exercitu Britannico nihil irarum fuit: & sanè per omnes ciuilium bellorum motus, nō vllę legiones aliæ innocētius egerunt; seu quia procul à domo, diuisęq; à ceteris, Oceano toto aberant: seu quia crebris expeditionibus militaribus potius odisse hostem, quàm se turbare iam doctæ fuerūt. Flauius Vespasianus, quem ad id Nero ducem elegerat, bellum Iudaicum tribus legionibus administrabat. nec ipse aduersus Galbam vel animi votum, vel affectionem contrariam habuit. quippe, Titum filium, ad illius cultum, venerationemq; mittebat; qui & ipse post patrem Imperator fuit. Hic Sergius Sulpitius Galba, Lucium Calphurnium Pisonem cognomento Frugi adoptauit, Cæsaremq; declarauit. Ad quem iussu Syluij Othonis duo viri nominatim in eius cædem ardentes, Sulpitius Florus ex Britannicis cohortibus, paulo prius à Galba donatus ciuitate Romana; & Statius Murcus speculator, venerunt. à quibus tractus ex æde Vestæ; quo dilapsus à percussoribus effugerat, Piso in foribus templi trucidatur. Galbáque similiter occiso, fit Otho Cæsar: Patribus Vitellium, cęterisq; Vespasianum, vt vtroque præstantiorem, optantibus. Aulus Vitellius Calendis Decembris inferiorem Germaniam, vt legatus Consularis ingressus, hyberna legionum diligenter adibat. cuius libidine profusa, insigniq; temeritate Allienus Cæcina, & Fabius Valens legati legionum mouebantur, vt se illi adiungerent. Et Valens quidem nullam in Hordeonio Flacco moram fore, Britanniámque pollicetur adfuturam, dummodo sinum Imperio panderet, fortunęque venienti occurreret. Quorum partibus accesserat Valerius
 Aliati-

Asiaticus Belgicæ Prouinciæ legatus, quem antè demonstrauimus contra Britannos fortiter militasse; quemq; nunc Vitellius sibi generum adsciuit. Nec in Germanorum auxilijs, nec in copijs Rheticis, vlla mora fuit; nec in Britannia quoque dubitatum vnquam, cui Trebellius Maximus, propter auaritiam, & sordes contemptus, & exercitui Romanorum inuisus, præerat, vt suprà demonstrauimus. Huius odium Roscius Cælius legatus Vicesimæ legionis olim ab eo discors accendebat; sed occasione ciuilium armorum nunc atrocius ambo in odia prorupe-runt. Trebellius seditionem Cælio & confusum ordinem disciplinæ obijcit. rursus ille, spoliatas, & inopes legiones Trebellio exprobrat. Quibus Legatorum inter se fędis certaminibus cum exercitus modestia corrumperetur, cóque discordię ventum esset, vt auxiliarium quoque militum conuicijs eum perturbantibus, & cohortibus alisq; militum ad Cælium se aggregantibus, planè desertus Cneus Trebellius ad Vitellium perfugerit, quies Prouinciæ, quamquam remoto Consulari viro, mansit. Rexerunt enim in Britannia Legati legionum, pares iure, tametsi semper audendo, Cælius potentior erat. Sic adiuncto sibi exercitu Britannico, Vitellius factus viribus, opibusq; ingens, duos Duces, duoq; itinera bello destinauit. Fabius Valens allicere Gallos; vel, si abnuerint, vastare, perq; Alpes Cottias Italiam irrumpere; Cæcina propiore transitu digredi per iuga Penina, iubetur. qui præmissis Gallorum; Lusitanorum, Britannorumq; cohortibus, & vexillis Germanorum, cum ala Taurina paululum subsistit. Interim lęta fuerunt etiam Othoni principia belli, motis ad eius Imperium ex Dalmatia, Pannoniaq; exer-

sitibus, quattuor scilicet Legionum, Septimæ à Galba conscriptæ, Vndecimæ, Tertiæq́ decimæ veteranorum militum, & Quartædecimæ tum florentis præcipua fama, propter compressam in Britannia rebellionem. addiderat huic legioni gloriam Nero, quòd eos, vti potissimos, milites elegisset. His quattuor legionum copijs Rectorem Annium Gallum cum Vestrino Spurinna præmisit Otho ad ripas Padi occupandas, transgresso iam Alpes Cæcina, quem intra Gallias posse sisti sperabat. Fabius Valens iam venerat etiam Ticinum, coniunctisq́ illius atque Cecinæ copijs; nulla mora militum Vitellij fuit, quin viribus totis decertarent. Sed Otho consuluit, An sibi melius foret, bellum trahi, aut fortunam subitò experiri? Caius Suetonius Paullinus, quo illa tempestate nemo rei militaris peritior erat, aut callidior habebatur, dignum arbitratus est fama sua, de toto genere belli sententiam dicere. Festinationem hostibus, moram ipsis, vtilem esse censebat. Exercitum Vitellij aduenisse vniuersum, neque multum virium à tergo reliquisse. Gallias tumescere. Britannicum militem hoste, ac mari distineri, ne, sicut expectatur, adesse posit. Hispanias armis non abundare. Narbonensem Prouinciam, vnde sperabantur auxilia, incursu clasis, & aduerso prælio contremuisse. Italiam transpadanam esse clausam Alpibus, nulloque præsidio maris adiuuari: quin imo nunc ipso exercitus transitu esse deuastatam. Neque frumentum exercitui vsquàm reperiri; neque exercitum sine copijs retineri posse dicebat. Multa bella impetu valida, per moras, & tædia prorsus euanuisse. Cum hæc sententia displiceret, atque mirarentur plerique, Suetonium Paullinum suasisse moras, & spa-

tium

tium pugnandi, quòd esset vetustissimus virorum Consularium, militiáque clarus, gloriam ac nomen è Britannicis expeditionibus meruisset: interim vincit Vitellius, suæq; victoriæ nescius tamen, curam belli Hordeono Flacco permittit. Is ex Britannico delectu militum, sibi adiunxerat octo millia; & progressus iter paucorum dierum, prosperas res apud Bedriacum gestas, & Othonis morte concidisse bellum accepit. Vocata concione, virtutem militum laudat, & Caium Suetonium Paullinum tristi mora squallidum tenuit, donec auditus, defensionibus magis necessarijs, quàm honestis vteretur. Nam accusatores imputabant ei proditionem vltrò, & ipsius fraudi assignabant spatium, & longi ante prælium itineris, & fatigationem militum, & permixtum vehiculis agmen, & cetera quæ
52 fortuita 52 tamen pleraque erant. Vitellius autem credidit id, quod de perfidia eius dicebatur, nihilominus ipsum absoluit. Marcus Cluuius Rufus omissa Hispania, pariter assequitur Vitellium à Lugduno digressum, vultu quidem præ se ferens lætitiam, gratulationemq; licet anxius animo, quòd se sciret apud eum criminationibus esse petitum, tanquam si quædam in historijs suis contra Vitellium contumeliæ plena scripsisset. Sed auctoritas Cluuij præualuit accusationibus; & ipse comitatui Principis adiectus est, nec ei adempta Hispania, quam & absens rexit. Non idem honor habitus est Trebellio Maximo, qui propter iracundiam militum Britannia profugerat, vt antè demonstrauimus, & in eius locum Vectius Bolanus vnus ex Præ-
53 sentibus, missus est 53. Vitellium iam Cæsarem ille victarum legionum animus haudquaquam adhuc fractus angebat. nam hæ per Italiam

sparsę,

ſparſæ, victoribusq́ permixtæ hoſtilia verba loquebantur. fuit autem præcipua ferocia militum Quartædecimæ legionis, qui ſe victos eſſe pernegabant. Igitur eos in Britanniam reduci placuit, vnde à Nerone vocati fuerant. Hi poſtquàm Alpibus digreſsi eſſent, vt eorum quiſque ſeditioſiſsimus erat, ita ſigna Viennã inferebant, ſed conſenſu meliorum, prudentiorumqúe, à rapinis compreſsi ſunt, & in Britanniam legio tandem tranſuecta eſt. Ibi Vectio Bolano Pręfecto Britanniæ, animum excitant mouendi bellum aduerſus fidiſsimum Populo Romano Britannorum Regem, quem antè diximus, Cogidunum, déque illo thoracem in prælio ablatum, Præfectus idem, & Marti, & Bellonæ, dono dicauit. Nihilo tamen ſecius dum ad epulas Ticini diſcumberet Vitellius, quidam, ciendi tumultus cauſa, puluerem, & arma procul aſpici nuntiabant. Quocirca & in caſtris ſubitò metus exortus eſt, & Ad arma, repentè conclamatur. Aiebant Quartamdecimam legionem non eſſe profectam via recta in Britanniam, ſed itinere verſo ad prælium redire. At hi, qui procul videbantur, erant coactores agminis, & ſtatim agniti, ſollicitudinem illam ex hominum animis demſerunt. Iám in Syria Licinius Mucianus vir ſecundis, aduerſiſqúe rebus æquè præſtans, quattuor legiones; & Flauius Veſpaſianus, vt ſuprà demonſtrauimus, tres legiones in Iudæa obtinebat. Qui tametſi vagis adhuc, & incertis auctoribus, tamen in ore omnium, famáque Veſpaſianus, Imperator dictus eſt. Miles ipſi adeo paratus erat, vt eum fauſta precantem Vitellio, cum ſilentio audierit. Nec alienus à Veſpaſiano fuit animus Muciani; quamquam pronior in Titum filium eius propterea, quòd Claudius

Cęſar

Cęsar Vespasianum honorificè abduxerat secum in Britanniam, sed iratus Muciano, illum ad locū secretū Asię miſisset. Vespasianus modò in spem erectus, modò in aduersa raptus, cogitabat ipse secum, Quis ille dies foret, quo natus annos sexaginta, tam se, quàm duos filios, Titum, & Domitianum Iuuenes incerto bello permitteret? Nam his, qui cupiunt Imperium, nihil esse medium: aut summa scandere, aut in ima cadere præcipites oportere. Fluxam esse fidem militum, propter eorum discordias; & ex singulis ipsorum expectari periculum. facilius vniuersos impelli, quàm singulos euitari. Quę dum cogitat Licinius Mucianus post multos prius ac secretos sermones habitos, tandem apertè locutus, Ego te Vespasiane, inquit, voco ad Imperium, quod tam salutare Reipublicę, quàm tibi magnificum erit. Ipse Vitellio memet antepono, & te mihi. Tuę domui nomen triumphale debetur: adsunt duo Iuuenes filij tui, quorum alter iam est capax Imperij, & primis annis militię apud exercitus Germanicos habitus vir clarus fuit. Et posse Principem ab exercitu fieri, Vitellius ipse nullis stipendijs, nulla fama militię, sed odio solius Galbę ad Imperium prouectus, documento est. Post hanc Licinij Muciani orationem, ceteri audentius eum circumsistere, hortariq; cęperunt. postea cum Alexandriam Vespasianus pro Legato venisset, salutatur Imperator; Beritique de summa rerum consilium habetur. Scriptæ sunt in Britanniam ad milites Quartædecimæ legionis; & in Hispaniam epistolę ad eos, qui Primę legionis erant; quòd vtraque legionum harum aduersa Vitellio à partibus Othonis
54 steterat 54. Vitellius hos rumores vti falsos dispergi, nec vllum belli ciuilis metum esse dicebat:

bat: vbique suppresso nomine Vespasiani, & vagis per vrbem collocatis militibus, qui sermones populi coërcerent. Id erat præcipuum alimentum famæ. Nihilo tamen secius ex Germania, Britanniáque, & Hispanijs auxilia Vitellius exciuit, sed perquam segniter, & suam semper necessitatem dissimulans; idcircoq́ Legati, ac Prouinciæ perinde cunctabantur. Hordeonius Flaccus suspectis iam Batauis de suo bello proprio anxius erat. Vectius Bolanus nunquam satis quieta Britannia trepidabat. Horum vterque ambiguus erat, quò se res inclinaret. neque properabatur ex Hispania, quòd ibi nullus Consularis erat. Marcus enim Cluuius absens, & in comitatu Vitellij degens, vt suprà demonstrauimus, Hispaniam regebat. Ita trium harum legionum clari Legati, pares iure, rebusq́ Vitellij prosperis ad obsequium certaturi; nunc ex æquo fortunam eius aduersam detrectabant. Ille tamen atrocibus vndique nuntijs exterritus, Cæcinam, ac Valentem expediri ad bellum iubet. Cæcina multo cum honore sed animo falso erga Vitellium, & inuido erga Fabium Valentem, partem equitum ad occupandam sibi Cremonam præmisit. Mox Vexillarij Quartæ Decimæ, Sextæq́ Decimæ legionum; primáque Italica, cum Vexillarijs trium Britannicarum legionum, & electis auxilijs incesserunt. Sed meliore fato, fidéque Duces Vespasiani consilia ad Petouionem inierunt, An præstet statim pugnari, vel auxilia expectari? &, si pugnandum est, Quo melius loco? Quibus vtilius videbatur, auxilia expectari, & protrahi bellum, hi legionum Germanicarum vim famamq́ laudabant, & cum Vitellio venisse Britannici exercitus robora dicebant. Sed Antonius cognomento Primus,

Primus, & huius belli concitator acerrimus, festinationem ipsis vtilem, & Vitellio exitiosam esse persuasit. Nec abesse procul Germaniam, vnde vires expectentur; Britanniam autem dirimi tantùm freto. Deinde Veronam patentibus circùm campis esse locum commodiorem ad equestrem pugnam. Etenim Fabium Valentem, Vitellio fidum, & militiæ non ignarum, ab vrbe Roma profectum accelerare intellexerat. Simul ingens vis Germanorum per Rhætiam venientium timebatur: & ex Britannia, Galliaq; & Hispania Vitellius auxilia sibi acciuerat; quam belli luem immensam vitaturus Antonius festinato prælio victoriam præcepit. Deinceps in Britanniam & Hispanias nuntios; in Galliam Iulium Calenum Tribunum; in Germaniam Alpinum Montanum Præfectum cohortis, quòd hic, Treuer; & Calenus, Heduus; vterque autem Vitellianus erat, ostentui miserunt. Interim Fabius Valens missis ad Vitellium litteris auxilium postulat. à quo tres cohortes, cum ala Britannica; numerus quidem militum, nec aptus ad fallendum, nec idoneus ad penetrandum exercitum sibi contrarium, venerunt. Itaque capto Valente per Valerium Paullinum Procuratorem virum strenuum, ac militiæ peritum, & ante fortunam Imperij, Vespasiano amicum, ad eius victoris opes cuncta vertuntur. & Britãniam, inclytus erga Vespasianum fauor, quòd illic secundæ legionis à Claudio Cæsare Præpositus, & bello clarus egerat, non sine motu ceterarum legionum, adiunxit. in quibus centuriones ac milites plerique à Vitellio prouecti, non libenter, & anxij, Principem iam expertum commutabant. Igitur cum initia Principatus Vespasiani, ac statum vrbis Romæ Licinius Muciа-

nus

nus regeret, admodum iuuene Domitiano, & ex paterna fortuna tantummodò, viuendi licentiam vſurpante, is miſſum ad delectus militum agendos in Britãnia Cneum Iulium Agricolam, integréque ac ſtrenuè in ea re verſatum, Vicesimæ legioni, tardè venienti ad ſacramentum Veſpaſiani præpoſuit: vbi Roſcius Cælius, vt ſuprà demonſtrauimus, deceſſor eius ſeditiosè agere dicebatur. Quippe, legatis etiam Conſularibus ea legio nimis potens, atque formidoloſa erat. Neque legatus Prætorius ad cohibendum eius legionis milites ſatis potens erat: incertum eſt, an id ſuo, an ipſorum militum ingenio contigerit. Ita ſucceſſor Agricola, ſimul & vltor ſeditionis electus, rariſsimo genere moderationis vſus eſt, viderique potius inueniſſe, quàm feciſſe milites bonos maluit. Præerat eo tempore Vectius Bolanus, quem antè nominauimus, Britanniæ, placidius certè, quàm feroci prouinciæ conueniens erat. Agricola vim ſuam temperauit, ardoremq́ vir prudens ad obſequium ſubeundum, doctúſque vtilia honeſtis permiſcere, compeſcuit. Nam in prima iuuentute ſtudium Philoſophiæ acrius ſequebatur, quàm in vrbe Roma tunc Senatori conceſſum erat. retinuitq́ ex ſtudio ſapientiæ id, quod eſt difficillimum, in omnibus rebus agendis modum ſeruare. Breui tempore Britannia virum Conſularem, vt ſuprà demonſtrauimus, Petilium Cerialem accepit. Sed primò Cerialis virtutis exemplum, modò labores & diſcrimina, mox & gloriam ei cõmunicabat. Sæpè parti exercitus in experimentum, aliquando maioribus copijs ex euentu rerum, Agricolam præfecit. qui nunquam rebus benè geſtis ad famam ſibi quęrendã exultauit, ſed ad earum auctorem & ducem, vti

bonus minister, omnem fortunam prosperam referebat. Illa verò Romanorum inter se discordia, quæ fuit in Insula, rumoribusq́ belli ciuilis ex vrbe Roma creberrimis excitati Britanni,
55 animos auctore Venutio 55 rursum sustulerūt, qui præter insitam naturæ ferociam, & Romani nominis odium, proprijs irarum stimulis in Carthismanduam Reginam accendebatur. Hæc Brigantibus imperabat fœmina potēs nobilitate, potentiamq́ augens postea, quàm capto per dolum, vt suprà demonstrauimus, Caradoco, triumphum Claudij Cæsaris instruxisse videbatur. Inde opes, luxusq́ rerum prosperarum sic exortus est ei, vt spreto marito Venutio, Vellocatum illius armigerum in matrimonium, Regnumqúe acceperit. Qua ex re statim concussa flagitio domus est. pro marito, studia ciuium: pro adultero, libido Reginę, sæuitiaq́ stetit. Venutius igitur auxilijs sibi comparatis, ipsorumq́ Brigantum defectione adiutus, in extremum rerum omnium discrimen Carthismanduam adduxit. Tum à Romanis præsidia militum petita sunt. & cohortes, alæq́ Romanæ varijs prælijs vsæ, Reginam periculo tandem exemerunt, Regnumq́ Venutio, ac inde bellum Romanis relictum est. nam ad Britannos reprimendos Petilius Cerialis, cui propinqua cum Vespasiano affinitas erat, ipse vir, nec inglorius militię, & idcirco inter egregios bellorum Duces existimatus adsumebatur. Ergo iam Hispanijs, Germanijsq́, & Britannia desciscentibus à Vitellio, vbi cum cetero terrarum orbe Vespasianus & Britanniam recuperauit, magni duces, egregijq́ exercitus, eò mittuntur. & Britannorum diminuta spes est. quibus intulit terrorem statim Petilius Cerialis, Brigantum ciuitatem

aggressus, quæ totius prouinciæ numerosissima est. multa prælia, & aliquando non incruenta gessit, magnamque partem Brigantum aut bello, aut victoria complexus est. Cumque Petilius Cerialis curam, famámque alterius quidem successoris obruisset, Iulius Frontinus quoque sustinuit belli molem, vir magnus, quantum ei moliri licebat, validamque, & pugnacem Silurum gentem armis, super virtutem Britannorum, locorumque difficultates vehementer eluctatus, subegit. Nam & in Germania inferiore bellum, his ex causis dissidiorum Romæ ciuilium, similiter ortum erat. Bataui, donec trans Rhenum agebant, Cattorum pars fuit, seditione domestica pulsi, extrema loca Gallicæ oræ vacua cultoribus, simulque insulam inter vada sitam, occupauerunt. Quam insulam aqua circumfluit sic, vt mare Oceanum à fronte, Rhenus amnis à tergo, lateribusque eam pulset. viros tantùm, armáque Imperio Romano ministrant, diu exerciti Germanicis bellis, mox aucta per Britanniam gloria, facti sunt clari, transmissis militum cohortibus, quas vetere ipsorum instituto, nobilissimi popularium regebant. & ex quibus tanquam auxilijs veteranorum, Quartamdecimam legionem esse subnixam, suprà demonstrauimus. Iulius Paullus, & Claudius Ciuilis Regia stirpe nati, ceteros multis gradibus anteibant. Paullum Fonteius Capito ex falso crimine rebellionis, interfecit. Claudio Ciuili iniectæ sunt catenæ: sed ingenio solers, ne perciperetur, si palàm à Populo Romano desciuisset, sibique vt hosti obuiam iretur; amicitiam Vespasiani, studiumque partium eius amplecti prætendit. Idem eum facere Hordeonius Flaccus admonuerat, inclinato ad Vespasianum illius animo, quòd

videbat excidium Romanæ Reipublicæ aduentare, si bellum redintegrandum foret, ac tot armatorum hominũ millia in Italiam irrupissent. vir eo consilio prudens, sed sui proprij, quod antè diximus, belli tam propinqui, satis ignarus Flaccus fuit. Claudius enim Ciuilis iam à Romanis desciscendi certus erat, licet interim occultato altiore consilio suo. cetera ex euentu rerum iudicaturus foret. Proinde militum delectu planè denegato Romanis, mittunt statim ad Caninefates, vt consilia socia secum iungant. Ea gens partem insulæ colit, origine, lingua, virtute par Batauis, solo numero superantur. Mox occultis nuntijs Claudius Ciuilis etiam auxilia Britannica pellexit. Erat tunc in Caninefatibus vir audaciæ stolidæ Brenno, claritate natalium insignis. Cuius pater in Romanos hostilia multa fuerat ausus, & ludibrium illud Caij
56 Caligulæ 56 Cæsaris expeditionum in Britanniam, de quo suprà demonstrauimus, impunè spreuerat. Igitur Brenno placuit, propter ipsum omen familiæ rebellis; impositúsque scuto pro more gentis, & sustinentium humeris vibratus, Dux Batauorum eligitur: statimq; accitis Frisijs, quæ gens transrhenana est, duarum cohortium hiberna, occupato proximo sibi Oceano, irrumpit. Qua cognita fraude Claudij Ciuilis bellum agentis in Romanos per suppositam personam Brennonis, Hordeonius Flaccus, qui primos conatus eius per dissimulationem aluit, vbi castra per Brennonem expugnata, deletas cohortes, pulsum ex Batauorum insula Romanum nomen, trepidis nuntijs accepisset, Mumium Lupercum legatum, qui duarum legionum hibernis præerat, egredi aduersus hostem iubet; mittitqúe per Gallias, qui auxilia concirent. Et

quo-

quoniam Romanus miles infensior Hordeonio Flacco, culpam huius cladis in eum vertebat, dicens eiusdem proditione cæsos esse, nullis auxilijs opportunè accedentibus, quicumque cecidissent, idcirco Flaccus exemplaria litterarum omnium, quibus auxilia per Gallias, Britanniamq́;, & Hispanias orabat, exercitui recitauit. Interea Flauius Vespasianus iterum, & Titus eius filius Consulatum absentes iniuerunt, atque Domitianus Cæsar Pręturam, cum Iulius Frontinus Prætor vrbanus eiurasset: sed omne ius regendi, vt suprà demonstrauimus, penes Licinium Mucianum erat. Qui, cum in vrbe seditio militaris exarsisset, omnes tam Romæ, quàm in vicinis Romæ locis, milites conquisitos produci, corpore propè nudo; & cum eis, Germanicum, Britannicumq́; militem, & siqui sunt aliorum exercituū, separatim assistere iubet. Illos primus statim aspectus eius obstupefecit; & metus quidē per omnes ibat. pręcipua verò formido Germanici militis fuit, tanquam ea separatione ipse ad cædem destinaretur, donec Mucianus cunctos eiusdem sacramenti, eiusdemque Imperatoris milites appellans, timori falso finem verum imponeret. Interim Galli animos sustulerunt, rati Romanorum exercituum fortunam, vbique malam esse, quòd vulgato rumore, à Dacis, Sarmatisque circumsederi Mœsica & Pannonica hyberna dicerentur. Paria quoque de Britannia contra rerum veritatem, propter optimam Marij Cogiduni Regis erga Romanos fidem, à multis fingebantur. Sed nihil æquè Gallos, quàm incendium Capitolij impulerat, vt iam finem imperij adesse crederent. Etenim olim à Gallis vrbe capta, sed integra sede Iouis permanente, vt suprà demonstrauimus Capitolio, Imperium

 Roma-

Romanum durasse dicebant. Nunc igne fatali datum esse signum iræ cælestis, possessionem'q; rerum humanarum eo signo protendi Gentibus Transalpinis, Druides vana superstitione, canebant. Quam ob rem Iulius Tutor Treuer, & Iulius Sabinus Lingon sese miscuerunt. Tutor à Vitellio ripæ Rheni præfectus fuerat: Sabinus præter insitam vanitatem, gloria falsæ stirpis, dicendo Proauiam suam placuisse corpore, atque adulterio Caio Iulio Cæsari per Gallias bella gerenti, incendebatur. Hi duo secretis sermonibus animos ceterorum scrutati, cum aliquos idoneos suis consilijs esse iudicabant, conscientia iurisiurandi, pro Imperio Galliarum obstrinxerunt,
57 57 quo iureiurando Claudius Ciuilis neque se, neque Batauum quemquam in verba Galliarum, partesque adegit, quòd ipse magis opibus, auxilijsque Germanorum benè confideret. Ciuitates ergo Galliarum resipiscere paulatim, fasqúe & fœdera Romanorum, principibus eius cogitationis Rhemis, respicere cœperunt, qui per Gallias edixerunt, vt missis legatis in commune consulerent, Libertásne, an Pax ipsis placeret? Quibus rebus cognitis Domitianus & Mucianus in Gallias simul accingebantur. Legiones victrices Sexta, & Decimaoctaua; & ex conscriptis recenter Secunda, Peninis, Cottijsque Alpibus traducuntur, & pars monte Graio. Quartadecima legio ex Britannia; Tertia, & Prima ex Hispania accitæ sunt. Hac igitur fama venientis exercitus, suóque ingenio, vt iam demonstrauimus, ciuitates Galliarum ad mitiora consilia, melioráque inclinantes, in Rhemos conuenerunt. Sed vbi Petilius Cerialis Maguntiam venit, eius aduentu spes Romanorum erectæ sunt. Ipse auidus pugnæ, virque me-

ſior contemnendis, quàm cauendis hoſtibus, verborum ferocia militem incendebat; nullam prælio facturus moram, quàm primùm cum hoſte congredi licuiſſet. Delectus militum per Gallias habitos, in ſuas ciuitates remittit, ac ſufficere Imperio legiones nuntiari iubet.& monet, vt tanquam ſocij Populi Romani domum ad priſtina munia pacis colenda, iam ſecuri redirent, quaſi bello confecto, quod Romanæ manus excepiſſent. Ea res plurimùm Gallorum obſequium auxit. Nam recepta Iuuentute bellorum caſibus idonea, facilius tributa tolerauerunt, eoq́ proniores ad officia fuerunt, quæ in militia gerenda ſpernebantur. Inde Petilius Cerialis miſsis ad Mediomatrices, qui breuiore via legiones in hoſtem verterent, omni eò contracto, quidquid erat militum Maguntiæ, quantumq́ ſecum tranſuexerat, tertijs caſtris Rigodulum venit, quem locum Tullius Valentinus magna Treuerorum manu occupauerat. Eum prælio cepit, cum eoq́ nobiliſsimos Belgarum; & poſtero die coloniam Treuerorum ingreſſus, moxq́ Treueris ac Lingonibus ad concionem vocatis, Neque ego vnquam exercui facundiam, inquit, neque virtutem populi Romani verbis, ſed armis expreſsi. Quia tamen apud vos verba plurimùm valent; bonáque & mala non ſui natura, ſed hominum ſeditioſorum vocibus ęſtimantur, ſtatui pauca diſſerere, quæ bello nunc profligato, vobis audiſſe, quàm nobis dixiſſe ſit vtilius. Terram veſtram, ceterorumq́ Gallorum ingreſsi ſunt Duces, Imperatoresq́ Romani, nulla cupiditate rerum adducti, ſed à maioribus veſtris inuocati, quos variæ diſcordiæ ad exitium vſque fatigabãt. Nec ideo Rhenum inſedimus, vt Italiam tueremur, ſed ne quis Ariouiſtus

alius regno Galliarum potiretur. Ceterum à vobis libertas, & speciosa nomina prætexuntur. Nec quisquam alienum seruitium, & dominationem sibi vnquam concupiuit, vt eadem ista vocabula non vsurparet. Nam neque quies gentium, sine armis; neque arma, sine stipendijs; neque stipendia, sine tributis haberi possunt. Nisi fortè Caio Iulio Tutore regnante; Classicóque Gallo alæ Treuerorum Præfecto, iubente; moderatius imperium speratis: aut fortasse minoribus, quàm nunc tributis, parabuntur ab his exercitus, quibus Germani, Britanniq; arceantur. Nam pulsis (quod Dij prohibeant) Romanis, omnium inter se gentium bella teterrima existent. Proinde pacem, & vestram vrbem, quam victi, victoresq; pari, eodemq; iure nobiscum obtinetis, vos amate, atque colite. Moueant vos vtriusque fortunæ documenta, ne contumaciam cum pernicie, quàm obsequium cum
58 securitate 58 malitis. Hac oratione animos omnium, multo grauiora metuentium Petilius composuit, erexitq;. Ideo cum ei Ciuilis atque Classicus per epistolas Imperium Galliarum offerrent, hominem eum, qui epistolas attulit, ad Domitianum Cerialis misit. Interea Claudium Ciuilem metus occupauit, ne Quartadecima legio, adiuncta classe Britannica, ex ea parte Batauos afflictaret, qua Oceano ambiuntur. Ergo post malam pugnam in Treueris, reparato per Germaniam exercitu, apud vetera Castra, tutus ipso quidem loco consedit. nisi quòd illum Petilius Cerialis duplicatis copijs, aduentu secundæ, ac Sextædecimæ, Quartæq; decimæ legionum, eò secutus sit, cohortesq;, & alæ iam pridem accitæ, nunc post victoriam properauerunt. Nihilo tamen secius exhortatur Cerialis suos,

vt ve-

vt veterem Romani nominis gloriam, & antiquas eorum, recentesq́ue victorias cogitarent, vt Claudium Ciuilem, hominé perfidum, ignauum nuperq́ue victum hostem, in æternum exſcinderent. magis enim nunc vltione, quàm prælio Romanos opus habere. quòd ij tantummodò vincendi ſupereſſent, qui fugam animis, qui vulnera tergo, ferant. Deinde ſtimulos laudum proprios legionibus addebat; Domitores Britanniæ, milites Quartædecimæ legionis appellat; Sextæque legionis auctoritate, Galbam ipſum fuiſſe factum Principem affirmat. & iſta primùm acie nunc milites Secundæ legionis noua ſigna, nouámque Aquilam dedicaturos fore prædicat. Pugnatum eſt acerrimè, debellatumq́ue eò die fuiſſet, ſi Romana claſsis ſequi maturaſſet. poſtero die legio Decimaquarta in ſuperiorem prouinciam Annio Gallo miſſa eſt, exercitumq́ue Cerialis, legio Decima ex Hiſpania ſuppleuit. Claudio Ciuili auxilia Chaucorum aduenerunt, non eſt tamen auſus oppidum Batauodurum armis tueri. Nam ad exequenda imperia parum temporis Petilius Cerialis ei dabat, homo ſubitus in conſilijs, ſed euentu rerum clarus; cui fortuna tunc aderat, etiam cum artes defuiſſent. Inde minor cura diſciplinæ tam ipſi, quàm eius exercitui fuit. Nauali tandem prælio inſulam Batauorum capiens, hoſtiliterqúe populatus, villas & agros Claudij Ciuilis, arte nota Ducum intactos eſſe ſinebat. Quandoquidem paucis pòſt diebus inſecuta eſt deditio, quam Cerialis per occultos nuncios, Batauis pacem, & Ciuili veniam oſtentans, prudenter effecit. quippe, ſummum tædium malorum, Claudium Ciuilem petere colloquium; & ſpes vitæ, quæ plerumque magnos animos frangit, illum gra-

tiam Principis implorare coëgit. Nam erga Vef-
pafianum,inquit,mihi femper vetus obferuantia
fuit, & cum priuatus effet, Amici vocabamur.
Hæc amicitia contrahebatur, cum in Germa-
niam legatus legionis Vefpafianus effet miffus,
id agente Narciffo liberto Claudij Cæfaris pro
ea gratia, quam cum fuo Principe habuit; proq́;
ea amicitia, quam ipfemet cum Vefpafiano in-
ierat. Quippe tranflatus inde ad Britanniam,
Vefpafianus tricies & bis cum Britanno tunc
hofte Romanorum conflixit. duas item validif-
fimas gentes, & oppida plus quàm viginti, Ve-
ctémque infulam Britanniæ proximam,vt fuprà
demonftrauimus, in Populi Romani ditionem,
59 partim Auli Plautij Confularis Legati 59, par-
tim ipfius Claudij Principis ductu, redegit:
quas ob res ornamenta triumphi, breuiq́; fpatio
facerdotium duplex accepit. Qui vir tantus, &
Imperator fummus, vt in bello Britannico,dum
adhuc erat priuatus, omnia præclarè gefsit non
fuis,fed alienis aufpicijs: ita nunc Princeps ipfe
factus vtitur opera Cnei Iulij Agricolæ; qui
prima rudimenta caftrorum in Britannia Caio
Suetonio Paullino diligenti, ac moderato Duci
approbauit, & ibi fub Vectio Bolano, & Petilio
Ceriali Præfidibus, vt fuprà demonftrauimus,
legatum vicefimæ legionis egit. quem inde re-
uerfum à legionis eiufdem legatione Vefpafia-
nus inter patricios adfciuit, & poftea prouinciæ
Aquitaniæ præpofuit. Cuius dignitatis admini-
ftratione minus triennio detentus, & ad Con-
fulatum reuocatus, opinione hominum maxi-
ma claruit, nullis in hoc fermonibus fuis, fed
aliorum, quibus par, & idoneus effe videbatur,
vt ei Britannia prouincia daretur. Statim enim
poft Confulatum, vir electus ad ipfius Suetonij
Paul-

Paullini militare contubernium, Petilijq; Cerialis amicitia dignus semper existimatus, Britanniæ præpositus est. Cuius virtute Romanorum arma Britannis multo terribiliora fuerunt: qui post varias bellorum vices Britanniam tunc etiam fluctuantem, media iam æstate transuectus, inuenit: cum & Romani milites, velut amissa expeditione, ad securitatem; & Britanni ad rebellionis occasionem, verterentur. Ciuitas Ordouicum haud multo antè aduentum eius, alam militum Romanorum in suis finibus agentium, propè vniuersam obtriuerat: eoq; initio, vt exemplo quodam ijs, qui bellum volebant, probandi sese, legatiq; recentis animum experiendi, Prouincia erecta est. Tum Iulius Agricola, quanquam æstas penè peracta fuit, sparsiq; per prouinciam numeri militum, & illius anni quies apud militem præsumpta cogitationibus, tum tarda, tum sibi bellum inchoaturo contraria, & plerisque custodiri suspecta videbatur; tamen huic discrimini obuiam ire constituit, vexillisqúe legionum contractis, & auxiliorum modica manu, quoniam Ordouices in æquum digredi non audebant, ipsemet ante agmen, quo ceteris par animus in simili periculo fieret, aciem erexit: cæsáque propè vniuersa gente, non ignarus instandum esse famæ, ac prout prima cessissent, ita deinceps vniuersa fore, Monam insulam, à cuius possesione per totius Britanniæ rebellionem reuocatum esse Suetonium Paullinum suprà demonstrauimus, in potestatem redigere contendit. Sed, vt in consilijs dubijs accidere solet, ad hanc rem naues deerant. Attamen ratio Ducis, & constantia exercitum transuexit. Depositis omnibus sarcinis lectissimos auxiliarium milites, quibus nota vada, & patrius

patrius vſus nandi cognitus erat, (quo ſimul & ſeſe, & arma, & equos regunt) ita repentè immiſit, vt obſtupefacti Britanni, qui claſſem, qui naues, qui maria expectabant, nihil Romanis ſic ad bellum venientibus arduum, aut inuictum eſſe crediderint. Ita pace diligenter petita, inſuláque ſibi dedita, Iulius Agricola clarus, & magnus Dux haberi cœpit. quippe, cui prouinciam ingredienti, quod tempus alij per oſtẽtationem, aut officiorum ambitum tranſigunt, eo tempore labor, & periculum belli placuiſſet. Nec Agricola vſus eſt hac proſperitate rerum ad vanitatem; neque ſuam expeditionem vocabat, aut victoriam, dicebat eſſe ſuam: ſed ſatis habuit, a ſe victos, deinceps in officio contineri. Quin imo ne laureatis quidem geſta proſecutus eſt, ſed ipſa famæ diſsimulatione, nominis ſui famam auxit, omnibus exiſtimantibus, quanta ſpe futurorum, hæc præſentia, tam per ſe magna, tacuiſſet. Ceterum vir prudens, ſciénſque animorum prouinciæ, ſimulque per aliena experimenta doctus, parum armis profici, ſi ſequerentur iniuriæ, cauſas bellorum exſcindere 60 conſtituit. A ſe, ſuiſque orſus, primò domum ſuam coërcuit; quod pleriſque non minus eſt arduum, quàm regere prouinciam totam. Nihil publicæ rei per libertos, ſeruoſque gerebat. non ſtudijs priuatis, neque ex commendatione amicorum, aut precibus centurionum, milites adſcire voluit; ſed optimum quemque putare ſibi fideliſsimum. omnia ſcire, non exequi omnia. paruis peccatis veniam, magnis ſeueritatem commodare: neque pœna ſemper, ſed pœnitentia ſæpius contentus eſſe malebat: officijſqúe & adminiſtrationibus efficere potius non peccaturos, quàm condemnare peccantes.

Frumen-

Frumenti ac tributorum auctionem æqualitate munerum emolliie, ijs circumcisis, quæ in quæstum reperta sunt, quæque ipso tributo grauius tolerabantur. Namque per ludibrium homines assidere clausis horreis, & emere vltrò frumenta, venderéque pretio cogebantur. Diuortia itinerum, & longinquitas regionum indicebatur, vt ciuitates à proximis hibernis in remota, & auia loca deferrent, donec id, quod omnibus erat in promptu, paucis lucrosum fieret. Hæc anno primo comprimens Agricola statim, famam egregiam circumquaque dedit paci: quæ vel incuria, vel intolerantia priorum Ducum, haud minus, quàm ipsummet bellum timebatur. Sed vbi venit æstas, exercitu contracto, laudabat in agmine militum, modestiam: coërcebat disiectos. & loca castris idonea capere ipse solebat; æstuariáque & syluas ipse prætentare: atque nihil interim apud Britannos quietum pati, quo minus excursibus subitis popularetur. atque vbi satis eos terruerat, parcendo rursus, inuitaméta pacis ostentat. Quibus rebus effectū est, vt multæ ciuitates, qui in illum diem ex æquo egerant, datis obsidibus iram ponerent, & præsidijs, castellisq́ circundatæ, tanta ratione, curaq́ vixerint, vt nulla antè Britanniæ noua pars illacessita, vi am melius transierit. Sequens hyems consilijs saluberrimis consumebatur. Nam vt Britanni erant homines dispersi, àc rudes, ideóque faciles in bello, & in otio quieti, quo per voluptatem assuescerent magis rebus honestis, Iulius Agricola eos hortabatur priuatim, & publicè adiuuabat, vt templa, fora, domus exstruerent, laudando promptos ad id faciendum, & castigando segnes. sic honoris æmulatio pro necessitate fuit. Iam

verò

verò Principum filios liberalibus artibus erudire, ingeniáque Britannorum ſtudijs Gallorum anteferre ſolebat. adeo vt ij, qui paulo prius linguam Romanam diſcere nolebant, ſubitò nunc, eius eloquentiam concupiſcerent. Inde cœpit honor eſſe veſtis etiam Romanæ, Britanniſque frequens toga Romanorum data eſt; paullatimqúe ad ipſa delinimenta vitiorum diſceſſum eſt: porticus, & balnea, conuiuiorúmque elegantiam habuerunt: idque apud imperitos, humanitas vocabatur; cum verè pars vna
61 ſeruitutis 61 eſſet. Tertius annus expeditionum Agricolæ nouas gentes aperuit, deuaſtatis vſque ad Taum (id æſtuario nomen eſt) plurimis nationibus. Qua formidine territi Britanni, quamquam conflictatum ſæuis tempeſtatibus exercitum Romanorum, laceſſere tamen auſi non ſunt, ponendíſque inſuper caſtellis, ſpatium Romanis datum eſt. Illud animaduerterunt viri periti rerum gerendarum, non alium Ducem elegiſſe ſapientius opportunitates locorum, nullum à Iulio Agricola poſitum eſſe caſtellum, quod aut vi hoſtium expugnatum, aut pactione, fugáque ſuorum deſertum fuiſſet, quamlibet eruptiones crebræ extitiſſent. Nam aduerſus moras obſidionis annuis copijs firmabantur. ita ſemper intrepida fuit hyems ibi, & vnuſquiſque ſibimet ipſe præſidio erat, irritis factis Britannis, ideóque deſperantibus, quia ſoliti plerumque fuerant, æſtatis damna hybernis euentibus compenſare. Sed nunc æſtate pariter atque hyeme peræquè à Romanis pellebantur. Hoc amplius, quæ per alios geſta fuerunt, ea Iulius nunquam auidus intercepit; ſeu centurio, ſeu præfectus aliquid præclarè feciſſet, is incorruptum ſui facti teſtem Iulium Agrico-

Agricolam habebat. Certè si virtus exercituum, Romanique nominis gloria prius id tentasset, inuentus iam terminus in ipsa Britannia fuisset. Nam Glota & Bodotria fluuij per immensum reuecti, æstu diuersi maris, dirimuntur angusto spatio terrarum, quod tum præsidijs firmabatur, atque omnis propior sinus, summotis velut in aliam insulam Britannis tenebatur. Itaque Iulius Agricola transgressus naue prima, ignotas ad id tempus gentes, crebris simul, & prosperis bellorum prælijs domuit; eámque Britanniæ partem, quæ Hiberniam aspicit, suis copijs magis in speciem, quàm propter metum instruxit. Vbi Iulius expulsum seditione domestica vnum ex Regulis Hibernis exceperat, & sub amicitiæ specie in occasionem plus audendi, eum retinebat. Interim trans Bodotriam sitas ciuitates amplas, portusq́ue diligenter explorat. quippe motus vniuersarum vltrà gentium, & infesta Britanni exercitus itinera timebantur. Hæc classis ab Agricola primùm adsumpta in partem virium, sequebatur egregia specie, cum bellum terra, maríque simul impelleretur; ac sæpè ijsdem castris pedes, equesq́ue, & nauticus miles, commixti ceteris Romanorum copijs essent, & cum lætitia vnusquisque sua facta, suosq́ue casus attolleret, ac modo siluarum & montium profunda, modò tempestatum & fluminum aduersa narrarent: & hinc terra, hostisque; inde victus Oceanus, iactantia militari compararentur. Britannos quoque visa Romana classis obstupefaciebat, tanquam aperto nunc secreto sui maris, vltimum eis victis perfugium clauderetur. Ad manus & arma conuersi, populi Caledoniam incolentes, paratu quidem magno, sed fama maiore, vt mos est de re-

de rebus ignotis, castella Romanorum adorti, vltrò ea oppugnauerunt, metumq́ue addiderunt, vt prouocantes ad bellum facere solent. Et ignaui quidam homines specie prudentium, Iulium Agricolam admonebant, esse regrediendum citra Bodotriam, & excedendum potius Romanis, quàm vt pellerentur. cum ille cognosceret interim Britannos pluribus agminibus irrupturos: idcircóque ne superante militum aduersariorum numero, & peritia locorum sui ab eis circum irentur, diuiso & ipse in tres partes exercitu, incessit. Quod vbi cognitum Britannis erat, mutato repentè consilio vniuersi Nonam legionem, vt maximè inualidam, aggressi nocte, vigilibúsque inter somnum, ac trepidationem cæsis, irruperunt. Iamqúe in ipsis castris pugnabant, cum Agricola Britannorum iter ab exploratoribus edoctus, & eorum vestigijs insecutus, velocissimos equitum, peditumque assultare tergis pugnantium, & mox ab vniuersis adijci clamorem iubet. propinquaq́ue luce iam signa fulserunt. ita sunt hoc ancipiti malo territi Britanni, & Romanis animus redit; securiqúe iam pro salute facti, de gloria certabant. quin etiam vltrò irruperunt. & fuit atrox habitum prælium in ipsis angustijs portarum; donec pulsi Britãni sunt, vtroq́ue exercitu certãte, his, vt opem tulisse; illis, vt ne quidem auxilio eguisse, viderentur. & nisi paludes, syluæqúe Britannos fugientes texissent, planè debellatum illa victoria fuisset. Cuius victoriæ constantia, & fama, iam ferox exercitus, nihil inuium suæ virtuti esse declarauit. penetrandam Caledoniam, inueniendumqúe tandem Britanniæ terminum continuo præliorum cursu, fremebant. Atque sic illi Romani paulo prius cauti ac sapientes,

nunc poſt euentum victoriæ prompti, ac magniloqui efficiebantur. Hæc eſt conditio bellorum iniquiſsima, Omnes homines proſperè geſta vendicant ſibi, ſed aduerſa frequenter vni Duci imputare ſolent. At Britanni non virtute, ſed arte Ducis, occaſionéque ſe victos 62 hoc 61
prælio exiſtimantes, nihil ex arrogantia priſtina remiſerunt, quominus Iuuentutem armarent, coniugéſque ac liberos in loca tuta transferrent, cœtibus ac ſacrificijs conſpirationem ciuitatum ſancirent. atque ita irritatis vtrinque animis diſceſſum eſt. Eadem æſtate cohors Vſipiorum per Germanias conſcripta, & in Britanniam tranſmiſſa, facinus magnum ac memorabile auſa eſt. Occiſo Centurione, militibusq́ꝫ, qui ad tradendam ipſis diſciplinam immixti manipulis pro exemplo, &, vt rectores, habebantur, tres Liburnicas, adactis ad id per vim earum gubernatoribus, aſcenderunt, & vno illorum remigrante, ceteris duobus idcirco ſuſpectis, & propterea peremptis, nondum tamen diuulgato rumore gubernatorum interfectorum, alto mari inſtar cuiuſdam miraculi prouehebantur: mox hac, & illa via rapti defectu gubernatorum, & cum pleriſque Britannorum ſua defendentium prælio congreſsi, ac ſæpè victores, ſic aliquando pulſi ad extremũ eò inopiæ deuenerũt, vt aliquos ſuorum ſodalium maximè infirmos, deinde ſorte ductos, manducarent. atque ita circumuecti Britanniam amiſsis nauibus per inſcitiam regendi, pro prædonibus habiti, primùm à Sueuis, mox à Friſijs intercepti ſunt. E quibus fuere nonnulli, quos per commercia venundatos, & in Romanam vſque ripam adductos ementium permutatione, indicium tanti caſus illuſtrauit. Et hæc

quidem Britannorum perturbatio; item alia fuit Iulij Agricolæ priuata diuexatio, nunc percusi vulnere domestico, quòd filiũ anno antè natum amiserit. quẽ casum, neque vt plerique fortium virorum ambitiosè, neque rursus per lamenta, mærorémq; muliebriter tulit: sed inter sua remedia bellum in luctu fore existimabat. Igitur præmissa classe, quæ pluribus in locis prædata magnum, incertumq́ue terrorem hominibus faceret, expedito exercitu, cui fortissimos ex Britannis, & exploratos longa pace addiderat, ad Grampium montem peruenit, quem hostes iam insederant. Nam Britanni nihil omnino fracti ex euentu prioris pugnæ, & vltionem, aut seruitium expectantes, tandemq; edocti, commune periculum, esse concordia propulsandum, legationibus ac fœderibus omnium ciuitatum vires exciuerant. Iámque super triginta millia hominum armatorum aspiciebantur; & adhuc iuuentus omnis vndequaque affluebat; & ij, quibus cruda, viridisq́ue senectus erat, vt olim bello clari, sua quisque decora gestabat. Tum inter plures belli Duces, virtute, genereque vir præstans Galgacus, apud multitudinem eo fine contractam simul, vt prælium poscerent, Quoties causas belli, & necessitatem, inquit, nostram intueor, mihi toties magnus est animus, hodiernum diem, vestrumq; consensum, libertatis initium Britanniæ toti fore. Nam & vniuersi seruitutis expertes estis, & nullę sunt vltrà terrę; ac ne mare quidem nobis, imminente ceruicibus classe Romana, securum est. Ita prælium & arma, quæ fortibus honesta, & ignauis etiam tutissima sunt, nobis in hoc tempore necessaria restant. Priores pugnæ, quibus aduersus Romanos varia fortuna certatum est, spem atque subsi-

subsidium in manibus nostris habebant. quia nobilissimi totius Britanniæ, atque idcirco in ipsis penetralibus Insulæ positi, nec aspicientes litora seruientium, oculos quoque nostros à contactu dominationis inuiolatos habebamus. Nos terrarum ac libertatis extremos, ipse loci recessus & sinus, in hunc vsque diem famæ defendit. Nunc patet ipse terminus Britanniæ, atque omne quod est ignotum, pro magnifico & glorioso habetur. Sed nulla iam vltra nos gens est, nihil, nisi fluctus & saxa; Romaniqúe sunt interiores: quorum superbiam frustrà quis per obsequium,& modestiam effugere conetur. Raptores Orbis, postquam eis cuncta vastantibus terræ defuerunt, perscrutantur & mare. Si locuples hostis est, ipsi sunt auari; sin pauper, ambitiosi. quos non Oriens, nec Occidens vnquam satiare potuit. soli mortalium omnium, opes atque inopiam affectu pari concupiscunt. auferre, trucidare, rapere omnia miserè consueuerunt. falsis nominibus Imperium, vbi vincunt; atque vbi solitudinem faciunt, Pacem appellant. Liberos vnicuique, ac propinquos suos, Natura voluit esse charissimos; hi per delectus in militiam, alibi seruituri auferuntur. Coniuges, sororésque, etsi libidinem eorum hostilem effugiant, tamen amicorum, hospitúmque nomine polluuntur. Bona fortunasq; in tributum, in annonam, in frumentum adegerunt. ipsa corpora, manúsque syluis, ac paludibus emuniendis; nósque inter verbera,& contumelias planè conterunt. Nata seruituti mancipia semel tantùm veneunt, & vltrò à dominis pòst aluntur: Britannia suam seruitutem emit quottidiè, Romanósque à quibus emit, quottidiè pascit. Ac sicut in familia recentissimus

ſimus quiſque ſeruorum, etiam ſuis conſeruis
ludibrio eſt: ita in hoc vetere terrarum orbis
famulatu, nos vt noui ac viles in excidium pe-
timur. Neque enim nobis arua ſunt, aut metal-
la, vel portus, quibus exercendis reſeruemur.
Porrò virtus, & ferocia ſubiectorum, ingrata
eſſe imperantibus ſolet. & longinquitas, ipſumq́;
ſecretum habitationis, quo tutius nobis eſt, eo
ſuſpectius illis eſt, qui nobis imperare volunt.
Sic omni ſublata ſpe veniæ, ſumite tandem ani-
mum, tam ij quibus eſt ſua ſalus, quàm ij, qui-
bus ipſa per ſe gloria chariſsima eſt. Trinoban-
63 tes Duce fæmina 63 coloniam exurere, caſtra
expugnare, ac, niſi felicitas in ſocordiam ſe ver-
tiſſet, totum exuere iugum potuerunt: nos in-
tegri, & indomiti viri, ſempérque adhuc in
libertate conſtituti, primò ſtatim congreſſu
oſtendamus, quos ſibi viros Caledonia ſepoſue-
rit. An Romanis eandem in bello virtutem,
quam in pace laſciuiam adeſſe creditis? Noſtris
illi diſceſsionibus, ac diſcordijs clari facti ſunt:
vitia hoſtium, in gloriam exercitus ſui conuer-
tunt. quem exercitum ex diuerſiſsimis gentibus
contractum, vti res ſecundæ tenent, ſic aduerſæ
diſſoluent. niſi fortè Gallos, & Germanos,
& pleroſque Britannorum (quod pudet dicere)
alienę dominationi ſanguinem accommodare,
diutius tamen hoſtes, quàm ſeruos, fide & affe-
ctione teneri putetis? Metus ac terror, vincula
charitatis infirma ſunt: quæ vbi remoueris, ij,
qui timere deſierunt, odiſſe incipient. Omnia
victoriæ incitamenta pro nobis ſunt. nullæ con-
iuges Romanos accendunt, vt pro ipſarum,
liberorúmque ſalute pugnent: nulli parentes
exprobraturi ſunt fugam, quam fecerint: &
patria, vel pleriſque nulla, vel alia certè quàm
hæc,

hæc, est. paucos eos numero, facit ignorantia locorum, esse circum se trepidos; cœlum ipsum ac mare, syluásque, vt omnia ignota, circumspectantes; quos quodammodo clausos, ac vinctos his angustijs, Dij nobis tradiderunt. Ne vos vanus eorum aspectus terreat, aut auri, argentíq; fulgor moueat; quod neque protegit eos, qui portant; neque vos, qui contrà pugnatis, vulnerat. In ipsa hostium acie nostras manus inueniemus, agnoscent Britanni suam causam. recordabuntur Galli priorem libertatem. deserent illos ceteri Germani, sicut Vsipij nuper dereliquerunt. Nec vltrà quidquam formidinis est; ipsorum castella Romanorum vacua sunt; & colonię sunt senum, qui vix arma ferre possunt. inter malè parentes, iniustéq; imperantes facta sunt ægra municipia, secúmque discordantia turbantur. Hic Dux, hic exercitus est: ibi tributa, metalla, ceterę́q; pœnæ seruientium sunt: quas pœnas in æternum proferre, aut statim vlcisci, positum est in isto prę́senti campo virorum fortissimorum. Proinde in aciem ituri, & maiores vestros & posteros, quęso, cogitate. Britanni alacres exceperunt orationem, & sui moris cantu, fremitúq;, & clamoribus dissonis incitabantur. Iámque agmina, & armorum fulgores, procursu vniuscuiusque audentissimi apparebant; simul & acies instruebantur; cum Iulius Agricola, quamquam lętum, & vix monitis acuendum, adhuc militem existimans, Octauus, inquit, annus est cõmilitones, ex quo tempore tum virtute, tum auspicijs Imperij Romani, fide, operáque vestra Britanniam vicistis. tot expeditionibus, tot prę́lijs; seu fortitudine aduersus hostes, seu patientia & labore pœnè contrà rerum naturam ipsam opus fuit. neque me

meorum militum, neque vos mei, Ducis vestri vnquam pœnituit. Ergo sumus egressi], ego veterum Legatorum, vos priorum exercituum terminos, finemq́ Britanniæ non fama, nec rumore, sed castris & armis tenemus. Inuenta nunc insula Britannia simul, & subacta est. Equidem, cum vos in agmine paludes, montésque, & flumina fatigarent, libenter audiebam fortissimi cuiusque vocem hanc, Quando nobis dabitur hostis? Quando acies occurret? Ecce veniunt è latebris suis extrusi Britanni, & vota vestra, virtusq́ nunc in aperto est. Omnia vobis prona victoribus, atque eadem illis omnia victis aduersa sunt. Nam vt superasse tantum itineris, euasisse syluas, æstuaria transmisisse, pulchrum, ac decorum vobis est: ita fugientibus hęc eadem in frontem periculosissima erunt, quæ per se hodiè prosperrima sunt. Neque enim nobis aut locorum par est notitia, aut eadem abundantia commeatuum, quæ Britannis: sed manus & arma, & in his, omnia nostra sita sunt. Quod attinet ad me, iampridem decretum est mihi, neque exercitus, neque Ducis terga tuta credere. Idcirco & honesta mors vita turpi potior, & incolumitas, ac decus eodem loco posita sunt. nec inglorium nobis in ipso fine terrarum, ac naturæ cecidisse fuerit. Si nouæ gentes, atque acies ignota constitisset, exemplis aliorum exercituum vos hortarer. nunc decora vestra recensete, vestros oculos interrogate. Hi sunt, quos anno proximo vnam legionem furto noctis aggressos, clamore debellastis. Hi sunt, ceterorum Britannorum fugacissimi; atque idcirco tamdiu superstites manent. Quemadmodum syluas & saltus penetrando, fortissimum quodque animal vi roboris, sed inertia

pauidáque animalia ipſomet agminis ſono depelli videmus: Sic acerrimi Britannorum nuper ceciderunt, reliquus iſte numerus ignauorum, atque metuentium eſt. quos quòd inueniſtis tandem, benè ſe res habet. necdum ipſi reſtiterunt, ſed nouiſsimi deprehenſi ſunt, & extremo metu corpora in his veſtigijs defixerunt, in quibus vos pulchram & ſpectabilem victoriam ederetis. Tranſigite cum expeditionibus, annis quinquaginta magnum diem imponite. hoc approbate Reipublicæ, Nunquam exercitui, aut moras belli, aut cauſas rebellandi iuſtè imputari potuiſſe. Hæc adhuc Iulio Agricola dicente, militum ardor eminebat, & finem orationis ingens alacritas conſecuta, ſtatimq; ad arma diſcurſum eſt. inſtructos tamen, ruentéſque ita diſpoſuit eos, vt peditum auxilia, quæ octo millia erant, mediam aciem firmarent; equitum tria millia, cornibus affunderentur. Legiones ſtetêre pro vallo; decus ingens victoriæ, citra ſanguinem Romanum bellanti; & optimum auxilium, ſi ceteri pellerentur. Britannorum acies in ſpeciem ſimul, ac terrorem locis editioribus conſtiterant: ita vt primùm agmen in æquo ſolo conſiſteret, ceteri per accliue iugum conuexi, velut inſurgerent; media campi ſpatia Couinarius miles, & Eques ſtrepitu, ac diſcurſu compleret. Tum Iulius Agricola conſpicatus Britannorum multitudinem ſuperare, veritusq; ne ſimul in frontem, & ſimul ad latera ſuorum pugna diductis ordinibus inſtrueretur, quamquam ſic acies porrectior erat futura, & pleriq; admonebant arceſſendas eſſe legiones, tamen in ſpem promptior, & in aduerſis rebus firmus Agricola, equo dimiſſo pedes ante vexilla conſtitit. Ac primo quidem congreſſu eminus

certabatur; constantiáque simul, & arte Britanni, gladijs ingentibus, & breuibus cetris missilia Romanorum euitare, vel excutere; magnámque vim suorum telorum superfundere curauerunt: donec Agricola tres cohortes Batauorum, & Tungrorum duas, exhortatus est manu conserere, totámque rem ad mucrones adducere. quod genus pugnæ fuerat ipsis exercitatum vetustate militiæ, Britannisq; inhabile, quòd enormes gladios, & scuta parua gestarent. Nam Britannorum gladij sine mucrone, complexum armorum, & factam in aperto pugnam non tolerabant. Igitur vt Bataui miscere ictus, ferire vmbonibus, ora fœdare, detractisq; ijs, qui in æquo solo restiterunt, aciem in colles erigere cœperunt: æmulatione, impetuq; commistæ ceteræ cohortes, proximos quosque cædebant. ac plerique semineces, aut integri festinatione victoriæ relinquebantur. Interim fugerunt equitum turmæ; Couinarij sese prælio peditum miscuerunt. & quanquam recentem terrorem inferebant; densis tamen agminibus Britannorum, & locis inæqualibus hærebant; neque pugnæ facies ea fuit equestris; cum in gradu stantes homines simul, & vnà cum corporibus equorum impellerentur. atque sæpè currus vagi, & sine rectoribus exterriti equi, vt quemque formido tulerat, transuersos & obuios homines alios incursabant. Et Britanni, qui adhuc expertes pugnæ, summa iuga collium insederant, paucitatemq; Romanorum vacui spernebant, paullatim digredi; & vincentium terga circumire cœperunt. Sed Agricola veritus id ipsum, quattuor equitum alas ad subita belli pericula retentas, eis venientibus opposuit; quantóque ferocius accurrebant,
tanto

tanto acrius pulſos in fugam diſiecit. Ita conſilium Britannorum fuit in ipſos conuerſum; tranſuectæq́ à fronte præcepto Ducis alæ pugnantium, Britannorum aciem auerſam inuaſerunt. Tum verò patentibus locis atrox, & grande ſpectaculum apparebat. ſequi, vulnerare, capere, atque eoſdem captos oblatis alijs trucidare Romani cœperunt. Iam Britannorum prout vnicuique ingenium erat, cateruæ armatorum paucioribus ſe terga præſtabant. quidam inermes vltrò ruere, ac ſe morti offerre ſatagebant. Paſsim arma; & corpora, & laceri artus, & humus cruenta iacebat, & aliquando etiam victis ira, virtúſque redibat. 64 poſtquam 64
enim ſyluis appropinquauerunt, ſubitò collecti, primos inſequentium ſe, tum incautos, tum ignaros locorum circunueniebant. Et niſi frequens vbique Iulius Agricola, validas, expeditáſque cohortes quodam indaginis modo; & ſicubi arctiora loca fuerant, partem equitum dimiſsis equis, rarioresq́ ſyluas ſimul equitem perſultare iuſsiſſet, acceptum vulnus aliquod magnum, per nimiam Romanorum fiduciam, tunc fuiſſet. Ceterum vbi eos compoſitos firmis ordinibus, ſequi rurſus Britanni viderunt; tunc in fugam verſi, non agminibus vti prius, nec alius alium reſpectantes, ſed rari, & inuicem vitabundi, longinqua, & auia loca petierunt. Finis eos perſequendi, nox, & occidendi ſatietas, fuit. Cæſa Britannorum ad decem millia ſunt. Romanorum trecenti quadraginta ceciderunt. in quibus Aulus Atticus Præfectus cohortis, Iuuenili ardore, ferociáque ſui equi, raptus in medios hoſtes, occiſus erat. Et nox quidem gaudio, prædáque Romanis victoribus læta fuit. Britanni palantes, mixtoq́ vir[illegible]

ac mulierum ploratu, trahere vulneratos, vocare integros, deserere domos, ac per iram eas vltrò incendere, latebras eligere, atque statim easdem relinquere; inuicem aliqua consilia miscere; deinde separare; aliquando frangi rursus; aspectuq; pignorum suorum sæpius concitari, cœperunt. Illud satis constat, quosdam in coniuges ac liberos suos sæuisse, tanquam sic eorum misererentur, quòd è medio tollerent. Proximus dies ipsam victoriæ faciem latius aperuit. vastum vbique silentium, secreti colles, fumantia tecta procul; nemo exploratoribus obuius factus, apparuit. Quibus tamen exploratoribus in omnem partem dimissis, vbi vestigia fugæ incerta fuerant, neque vsquam congregari Britannos compertum est; neque iam exacta æstate bellum spargi potuit. quæ causa fuit, cur Iulius
65 Agricola in fines Horestorum 65 exercitum deduceret. Ibi obsidibus acceptis, Præfecto classis circumuehi Britanniam totam præcepit. Datæ sunt ad id vires, terrorq; præcessit. Ipsemet pedites & equites itinere lento, (quo nouarum gentium animi, sola mora transeundi perterrefierent) in hybernis collocauit. Classis autem tempestate ventorum secunda simul, & fama temporum vsa, Trutulensem portum tenuit, vnde proximo latere Britanniæ omni lecto redierat. Quibus rebus per epistolas Iulij Agricolæ cognitis Domitianus nunc Imperator, arbitratus sibi formidolosum esse, nomen hominis huius priuati, suprà nomen Principis attolli, vtcumque dissimularet, Boni ducis, Imperatoriam esse virtutem, odium in eum reponit, donec impetus famæ, atque exercitus fauor erga Iulium Agricolam languesceret. Igitur ei adhuc Britanniam obtinenti ornamenta triumphi, &

honorem ſtatuæ illuſtris, proque triumpho, quidquid omnino dari ſolet, in Senatu decerni iubet. Inſuper addi hanc opinionem, Prouinciam Syriam tunc morte Atilij Rufi Conſularis vacuam, maioribusq́ reſeruari ſolitam, Cneo Iulio Agricolæ deſtinari. Credidere plerique libertum ex ſecretioribus miniſterijs Domitiani miſſum ad Agricolam, tuliſſe codicillos, quibus ei Syria dabatur; attamen eos cum hoc prçcepto tuliſſe, vt ſi foret in Britannia, ei traderentur. Quem libertum in ipſomet Oceani freto factum obuium Agricolæ, ne quidem eo appellato, ſtatim remeaſſe cum codicillis ad Cæſarem dicunt. qui Salluſtium Lucullum ſucceſſorem Iulio Agricolæ in Britanniam miſerat; cuique iam ipſe recedens Prouinciam quietam interim, & tutam tradiderat. Vt Romam venit, ne magna celebritate populi, frequentiáque occurrentium notabilis eſſet introitus ſuus, vitato amicorum officio, Iulius Agricola noctu in vrbem, noctuq́ in Palatium, ſicut ei præceptum erat à Domitiano, venit. exceptusq́ breui oſculo, & nullo ſermone, turbæ ſeruientium immixtus eſt; & paulo pòſt veneno, ab infenſo virtutibus eius Principe Domitiano interemptus. Qui Salluſtium Lucullum quoque Britanniæ legatum interfecit, quòd lanceas nouæ formæ tunc inuentæ primùm, ſuo nomine Luculleas 66 ap- 66
pellari pateretur. cum tamen antea fortiſsimus Dux Romanorum, Lucius Lucullus, marmori Lucullęo, quod atri coloris eſt, quóque ipſe delectabatur, abſque vlla cuiuſquam offenſione nomen indidiſſet.

Poſt hęc ita per Romanos geſta venit in Britanniã Rodericus Picthorũ Rex è Scythia Europæ, magna claſſe vectus in eam partẽ Aquilonis, quę dicitur

dicitur Albania, quam prouinciam vastare cępit, hunc militibus collectis aggreditur Marius Cogidunus Britannorum Rex, eóque loco interemit, qui post secula multa visus est, adhuc clarus lapide inscripto, Marij Victoriæ. Qua victoria clementer vsus Marius dedit eis, qui venerunt cum extero Rege, veniam, & locum viuendi in ea parte, quæ Cathenesia dicitur. vbi cum non haberent vxores, quibus conseruarent genus suum, à Britannis filias eorum, cognatasq; sibi matrimonio iungi petierunt. repulsam passi transmittunt indignabundi ad Hiberniam, inde mulieres acceperunt, sed ea conditione, vt, si contentio futura sit vnquam de Regno, defectu maris, eligatur ex hoc genere femina, quæ regnet. quod apud Picthos in Britannia postea obseruabatur. & ex hac coniunctione Picthorum cum feminis ab Hibernia Scotis, (nam ea natio tunc ibidem habitasse fertur) noua soboles orta est, quæ tempore creuisse in immensum populum Scotum, in Britannia dicitur. Itaque nunc quæsita pax Britannis esse videbatur, tam ab extera gente, quàm à militibus Romanis, qui a Cneo Trebellio, dissentiebant, quòd Caio Sisinio Iulij Agricolæ cognato potius, quàm ei obedire maluissent; & cum Rege Mario Cogiduno tantam amicitiam iniuerant, vt Coëlum eius filium puerum ad urbem Romam, ibi bonis artibus informandum, militiæq; stipendijs exercendum, deduxeriut. Quarum rerum studiosissimus erat Iulius Seuerus in Britannia Pręses, donec Ælius Adrianus imperaret. qui, cum vniuersus ferè terrarum orbis ex motu Iudæorum concuteretur, præcipuos Romanorum Duces aduersus eos mittit. ac eorum primum Iulium Seuerum ex Britannia in Iudæam vocauit. Qua

ex re

ex re contigit Britannos ſub ditione Romana diutius non potuiſſe teneri. Conuerſis ergo more Regio ſuis militibus Adrianus Britanniam petijt: in qua vti multa correxit, ſic per octoginta millia paſſuum duxit primus murum, qui barbaros Picthos, Romanosq; diuideret. nam illi publicam quietem turbare cœperunt; à quibus arcendis iſte murus, Picthicus appellatur. 67
Iam Rex Marius diu rem adminiſtrâs cum bona pace, omniaq; legibus vtilia, & moribus honeſta faciens, vrbem, quę nunc Ceſtria dicitur, inſtaurauit, mœnibusq; cinxit, & in ea mortuus anno imperij quinquageſimo tertio, ſepelitur. Cuius filius Coëlus eo nomine Secundus, ad gubernaculum ſuccedit. ex Romanæ vrbis educatione, quam ſuprà demõſtrauimus, in arctiſsimam Romanorum amicitiam peruenit, & vbiq; pace parta clariſsimus habitus eſt. Senatui, Populoq; Romano vectigal non inuitus pendebat. Videbat enim eis ſubditum eſſe totum terrarum orbem, nec illorum ſummam vim, ac poteſtatem, vllam prouinciam poſſe ſuperare credebat. Omnium ergo, qui fuerint antè, Regum optimus Coëlus, maiorem ſolito honorem viris nobilibus, reuerentiamq; præſtari fecit; & cum eiſdem ſuauiter agens, donis illos, muneribusq; cohoneſtauit: ſicut etiam pauperes Regni ſemper opibus, auxilioq; iuuit. Iam vero compoſitis in Britannia rebus Adrianus per Galliam rediens, Alexandrina ſeditione turbatur. propter quæ tam varia per ſemetipſum itinera pedibus facta, Princeps virtute ac eruditione præſtantiſsimus, ab ignauo poëta Floro deridebatur. Quocirca ſucceſſor eius Titus Ælius Antoninus, Pius non per ſemetipſum, ſed per legatos ſuos pleraque bella geſsit. Nam & Britannos vicit per Lollium Vrbi-

Vrbicum; & alio muro de cespite deducto eosdem barbaros submouit. Quamquam tota laus belli gesti per Lollium Vrbicum in Britannia, detur Antonino Pio; qui residens in ipso Palatio Romæ tantummodo belli gerendi auspicium præstiterit. Qui Princeps & Mauros ad pacem postulandam coëgit, & Germanos, atque Dacos, & gentes multas, Iudæosq́ rebelles per Pręsides ac Legatos contudit. Denique Brigantes Britanniæ populos malè mulctauit, quòd Genusiam Romanorum in Britannia prouinciam incursassent; cum Seius Saturninus, archigubernus; & Valerius Maximus, trierarchus in classe Britan-
68 nica 68 forent. Post Titum cognomento Pium, Marcus Ælius Antoninus, is Cæsar, qui Philosophus appellatus est, quòd esset deditus Philosophiæ Stoicæ, cum imminebat etiam Britannicum bellum, & in Germaniam, ac Rhetiam irruperant Catti; aduersus Britannos quidem Calphurnium Agricolam, & in Cattos Aufidium Victorinum misit. Ad Parthicum verò bellum consentiente Senatu Lucius Aurelius Verus, & frater eius, & consors Imperij, missus est. tunc enim primùm, duos habere Augustos Imperium Romanum cœpit. Ipse Marcus autem Cæsar mansit Romę, quòd res vrbanæ præsentiam Imperatoris postularent. Nihilo tamen secius & in bello Parthico, & in bello Britannico Marcus Antoninus etiam labore suo magno, gentes asperrimas, inuitantibus sese militibus, & ducentibus etiam exercitum legatis, Pręfectisq́ Prætorio deuicit. Inter quos erat Septimius Seuerus postea factus Imperator, sed per officia litterarum, ac militiæ plurimis gradibus ad illud honoris culmen ascendens. Tribunatum enim plebis obtinuit hoc Imperatore Marco Antonino

Philo-

Philoſopho. quo tempore Martiam duxit vxorem, natione Britannam, 69 de qua filium Baſ- 69
ſianum, qui poſtea dictus eſt Caracalla, ſuſcepit. Sed cum prouinciam Lugdunenſem legatus acciperet, eáque amiſſa, vellet aliam vxorem ducere, quòd ipſe vir gloriæ cupidiſsimus, & matheſeos peritiſsimus, audiſſet in Syria quandam eſſe, quæ haberet illud ex genitura donum, vt matrimonio iungeretur Regi, petijt eandem, nomine dictam Iuliam, ſibi dari vxorem, & amicorum interuentu, accepit; ex qua ſtatim pater, alterius filij Getæ factus eſt. Quo ſuæ matris contemptu, ne ferox animus Baſsiani commoueretur, in Imperio poſtea conſtitutus Seuerus, prudenter etiam vxori Martiæ ſtatuas collocauit: eoq; facto gratiam retinere voluit etiam legionis Quartæ Scythicæ, cui priuatus circa Maſsiliam præpoſitus erat. Hæc vbi cuncta vidit Coëlus vita functus eſt, & Britannorum Rex feliciſsimus vnico filio Lucio, per omnia genera virtutum ſimillimo patri, adeo vt eo mortuo, tanquam alter ipſe cenſeretur; cum annos quinquaginta regnaſſet, Eboraci ſepelitur; inſtructus religione Chriſtiana parumper dum viueret, non tamen vt id publicè præ ſe ferret. At Lucius filius eius, creatus Rex, vniuerſam Britanniam in eiuſdem religionis apertam profeſsionem adducere conatur.

LIBRI

LIBRI QVARTI
AB HELIO AD LVCIVM
ANTIQVITATVM
NOTÆ.

1. DICITVR Helis. Stoueus in summa Chronicôn, Ab Helio Principe, inquit, Helis insula nomen accepit, quòd in ea magnificum palatium extruxerit, & vitam egerit, mortuusque sepeliatur. Polydorus Vergilius lib. 4. Anglicæ historiæ, quoniam tempore præsertim hyberno abundat insula paludibus, quas ἕλη vocant Græci, credidit Elim appellari, & inde populos Giruios, hoc est Britannicè, paludum incolas, dici: Cambdenus autem, quòd Salices, quas Heligas Britanni nominant, maximo numero terra producat. Sed propter ingeniosè excogitatam proprij nominis interpretationem, non oportet ex historia tollere veritatem de personis; sicut lib. 1. Nota 20. demonstrauimus, maximè cum Chamber Scotus scribat ab Helio Rege, insulam Elim nominari.

2. CASSVELLANO, & Nennio. Gaufridus lib. 1. c. 22. Helius tres, inquit, filios Luddum, Cassibellanum, Nennium, generauit. Dio Cassius vir Consularis, lib. 4. historiarum, Contra sententiam animi sui, Cæsar, inquit bellum composuit, postulatis pluribus adhuc obsidibus, quorum tamen exiguam partem accepit. Ita reuectus in continentem est, & quæ concitata se absente fuerant, sedauit, nihil neque sibi, neque Romæ adeptus ex Britannia, præter gloriam expeditionis in eam susceptæ. Quod admiror Dionem dicere, cum Cæsar ipse Morinos inhiantes prædæ Britannicæ, reditum eius ex insula perturbasse demon-

monstret. Britanni verò, socijs euocatis, summaque rē ad Suellam, inquit Dio, qui tunc inter Insulæ Regulos plurimum poterat, ad ipsam nauium Romanorum stationem contenderunt: quibus obuiam facti Romani, primò sunt Essedorum occursu perturbati; deinde facta intercapedine inter ordines, Essedisque vitatis, atque ex obliquo in hostem incurrentem iaculati Romani, pugnam restituerunt. Inde Cassuallanum Humfredus nimis aperto ore pronunciat eundem, qui conuenientius Dioni, ac Cæsari Casuellanus appellatur. Cambdenus in Cattieuchlanis populis, Ego hos olim Cassios, inquit, fuisse dictos existimaui, & ab his Cassijs eorum principem Cassiuellaunum, siue Cassibellinum nominatum. Cassij enim inter Britanniæ gentes à Cæsare numerantur. Cum autem Cassiuellaunus huic tractui cum imperio præfuerit, & in eius nomine se Cassiorum appellatio prodat, illud est satis probabile, Cassiuellaunum sic dictum, quasi Cassiorum Principem. Id nisi esset ita, cur hunc Cassiuellaunum Dio Suellam, pro Vellan, & Nennius Britannus non Cassibellinum, sed Bellinum vocet, quasi esset illud viri, vel dignitatis proprium nomen.

3. LVDDA nominatur. Idem Gaufridus sic ait: Luddus regnum, vt primogenitus, post obitum patris accepit. gloriosus ædificator vrbium renouauit muros Trinobantum, & innumeris turribus eorum oppidum circumcinxit. Illud etiam ciuibus præcepit, vt domos, ac ędificia sua in eadem construerent. adeo vt in longè positis regnis ciuitas nō inuenta fuerit, quæ pulchriora palatia contineret. quam ille præ ceteris vrbibus amabat, in eaque pro maiore parte anni manebat; vnde pòst Caerludda dicebatur. Item fuit ipse bellicosus homo, & in epulis populo dandis profusus. Vitaque defuncti corpus eius reconditum erat in vrbe prędicta iuxta portam, quæ adhuc nomine ipsius Ludda nuncupatur. Sed ista Cambdenus vix ferens, Necdum Londinum, inquit, communitum mænibus fuisse credo, & Constantinum Magnum rogatu matris Helenæ primùm è

lapide structili, & latere Britannico mœnibus sepsisse. Certè Londinenses mei, sicut veteres illi Lacædemonij, præmunitas, inquit, vrbes, quasi mulierum habitacula rident, vrbemque suam satis esse munitam existimant, quę viris, non saxis præcingatur. Cuius mœnia sex portis patent. ad occasum sunt duę, Ludda, quę a Luddo Rege, siue Flutta, opinione Lelandi, a fluuiolo subiecto dicitur, sicut Romæ porta Fluentana dicebatur. Huius ego viri varietatem, inconstantiamque confutaui lib. 1. Nota 30. & Luddam portam à Luddo Rege, quod vix Cambdenus audet negare, nomen accepisse Gulielmus Paradinus Gallus c. 25. demonstrat.

4. FVGA mortem euitat. Caius Iulius Cęsar lib. 5. de bello Gallico, Ex ciuitate Trinobantum, inquit, Mandubratius adolescens, Cæsaris fidem secutus, ad eum in continentē Galliam venerat: cuius pater Imanuentius in ea ciuitate regnum obtinuerat; interfectusque erat a Cassiuellauno, ipse fuga mortem vitauerat. Quod exponens quodammodo in Trinobantibus Cambdenus, Ciuitatem, inquit, semper vocat Cæsar populum eodem iure vtentem: Regnumque in ciuitatē Trinobantum obtinuit Imanuentius, qui cum à Cassiuellauno interficeretur, Mandubratius eius filius fuga mortem vitans, ad Cęsarem profectus in Galliam, rediit cum illo in Britanniam. Mandubratius iste tam Eutropio, quàm Bedę semper Androgeus dicitur. quod nomen illi ob scelera, & proditionem impositum fuisse Britanni narrant. Inter enim tres Britannię proditores, iste in libro, qui Triadum dicitur, omnium sceleratissimus habetur, quòd Romanos in Britanniam primus vocauerit, ipsisque patriam prodiderit. Magis modestè Humfredus, Contra Cantium ex altera parte Tamisis, sunt Trinobantes, inquit, quorum Princeps Mandubratius, siue, vt alij vocant, Androgorius Cęsarem in Britanniam vocauit, suisque copijs adiuuit, & in Italiam, ac Thessaliam vsque secutus est. Cuius Mandubratij patrem Gaufridus Luddum nominat. Nam ei fuerunt, inquit, duo filij, Androgeus, & Theo-

mantius. qui per ætatem negotia regni tractare cum nequiuissent, eorum patruus Cassibellanus, diademate sublimis, ita cœpit fama per remota regna florere, vt Monarchiam sibi, & non nepotibus cedere fecerit. quibus tamen partem eius distribuit, Androgeo vrbem Trinobantum, cum ducatu Cantię; Theomantio ducatum Cornubię. Quę narratio Luddum esse ipsum, qui Cæsari dicitur Imanuentius; demonstrat. Vnde sequitur, quod Gaufridus non addit, sed Cæsar, illum à Cassuellano interfectum; & fugam Androgei esse iustam: nec illum patriæ proditorem esse, qui tutus in patria viuere non potuisset; si nullam in auxilio petendo conditionem adiecisset.

5. PER amicos lenit. Gaufridus lib. 1. c. 24. totam hanc veterum sacrificiorum rationem, pugnamque Iuuenum istorum nobilium commemorat. Cumque minatus esset Androgeo Cassuellanus, se ferro ac flamma prouincias eius depopulaturum, nisi mandatis suis adquiesceret, quę tamen erant contra iurisdictionem ipsius propriam; quotidiè Androgeus per cognatos, & notos adibat Regem, petebatque vt ab ira cœpta desisteret. & cum furorem ipsius nullo modo mitigare potuit; ab omni alia spe remotus, auxilium Cæsaris petere decreuit hac conditione; vt, si per ipsum Androgeus dignitati suę restitueretur; ipse per Androgeum Britannia potiretur. Nam vt optimè factum est ab eo, prius omnia tentare suauiter domi, quàm foris auxilium petere: sic omnino prudenter auxilia sine conditionibus offerendis petenda sunt. Nam, vt ait Sallustius, humanum est, humanis casibus ingemiscere, non solùm auxilia ferre. quorum tamen illatio naturaliter his, quibus accommodantur, obligationem quandam ad ἀντίδωρα producit, si nihil stipulatione promittatur.

6. MARCVM Scæuam. Idem Gaufridus, Consilium Iulius Cęsar habuit à suis, inquit, ne verbis Androgei solummodò fidem daret, nisi prius acceptis

in eam rem obsidibus. quos ille dat, Scæuam, & triginta nobiles Iuuenes sibi cognatione propinquos. Nam vt ait Plutarchus in vita Romuli, non solus Antigonus dicebat, se amare eos, qui proderent; sed odisse eos, qui prodiderant: neque solus Augustus Cæsar respondit Rymitalci Thraci, quòd amaret proditionem; verùm odisset proditores: sed ferè communis hęc est animi affectio versus improbos, donec eorum ope indigemus Planè sicut lętamur inuenisse tetrum animal, cuius venenum vsui nobis erit. nam cùm ab his hominibus, aut bestijs, quis acceperit id, quo magnopere indigebat; eorum deinceps malitiam contemnit. Ita Marcò Scęua pòst Iulius Cęsar vsus est pro milite, dum secundò, vt ait Stoueus, veniret in Britanniam, & naues ligarentur ad anchoras, iste Scęua cum alijs quattuor scapha vectus ad littus, marique per ęstum recedente destitutus, in aqua fortissimè multis vulneribus acceptis pugnauit, & centurionis honore donatus est. Cuius fortitudinem admiratus Valerius Maximus lib. 3. c. 2. sic affatur: Tuum verò Marce Scæua inexsuperabilem spiritum in vtraque parte rerum naturæ, qua laude prosequar, nescio. quoniam excellenti virtute reliquisti dubium, inter vndásne pugnam fortiorem edideris, an in terra vocem emiseris. Bello namque Gallico, quo Caius Cæsar non contentus opera sua claudere littoribus Oceani, Britannicæ insulæ manus iniecit, cùm quattuor commilitonibus rate transuectus in scopulum vicinum insulæ, quam hostium ingentes copiæ obtinebant; pòst quàm æstus regressu suo spatium, quo scopulus & insula diuidebantur, in vadum transitu facili redegit, ingenti multitudine Britannorum affluente, ceteris rate ad littus regressis, solus immobilem stationis gradum retinens, vndique ruentibus telis, & ab omni parte acri studio ad te inuadendum nitentibus, quinque militum diurno prælio suffectura pila, vna dextra, hostium corporibus adegisti, ad vltimum districto gladio, audacissimum quemque, modo vmbonis impulsu, modo mucronis

ictu depellens; hinc Romanis, illinc Britannicis oculis incredibili, dum cerneteris, spectaculo fuisti. Postquam deinde ira, & pudor cuncta conari fessos coegit, tragula femur traiectus, saxique pondere ora contusus, galea iam ictibus discussa, & scuto crebris foraminibus absumpto, te profundo credidisti, ac duabus loricis onustus, inter vndas, quas hostili cruore infeceras, enatasti. Visoque Imperatore, armis non amissis, sed benè impensis, cum laudem mereteris, veniam petijsti. Magnus prælio, sed maior disciplinæ militaris memoria. Itaque ab optimo virtutis æstimatore Cæsare, tum facta, tum etiam verba tua, centurionatus honore donata sunt.

7. INDE subministrata auxilia. Cæsar hanc veram causam Britannici belli ponit lib. 4. commentariorum. quæ summè fuit ei necessaria, si vellet Galliã vincere, vt prius auxiliares copias ab ea penitus auerteret. Qui pro sui animi magnitudine in gerendo bello Britannico, non agnoscit sibi per quemcumque virum Britannum suppetias esse latas; sicut nec aliquo modo significat, communem cum Britannis, esse Romanis ciuibus originem, à Troianis deductam: quæ duo capita plerumque tamen sunt historiarum Britannicarum frequentissima; &, vt videtur, potius credenda: quandoquidem Romani quoque sunt, qui scribunt eadem. sicut in causa simili Marcus Tullius lib. 2. de legibus, cum Timæus negasset Zaleucum legislatorem vllum fuisse: at ipsius ciues Locri commemorarent eum fuisse, Cicero dicit, his ergo quàm illi, magis esse credendum. Ita cum Caius Suetonius Tranquillus in vita Iulij Cæsaris ignotos antea fuisse Britannos scripsisset, existimandus est dissimulare notitiam communis originis. Nam vt in Panegyrico Flauiensium nomine quondam dicto Constanti, notatur, illa fuit semper habita superbia Populi Romani, vt Mamertinos in Sicilia; & Ilienses in Asia dicerent origine fabulosa se imputauisse ipsis. Et Annius Lucanus lib. 1.

Iam docilis rector monstrati Belga couini,
Aruernique ausi, sunt, inquit, *Latio se fingere fratres*
Sanguine ab Iliaco.

Ex quibus poëtæ versibus apparet, tempore Neronis non ita longo à Cæsaris Imperio, fuisse famam, de Aruernis populis Galliç, atque Belgis Couini rectoribus qui sunt Britanni, vt Troiana origine sanguinis Iliaci prognatis. Tali more aulico loquendi, vt Egnatius, & Cambdenus aiunt, vsus est Velleius Paterculus, dum in historia scribit Iulium Cæsarem armis penetrasse Britanniam. Licet enim primus omnium Romanorum cum exercitu Britanniam ingressus, prospera pugna terruerit incolas, ac littore potitus fuerit; attamen, vt Cornelius Tacitus in vita Iulij Agricolæ, scribit, videri potest Insulam ostendisse posteris, non tradidisse. Quamobrem Gaufridus exclamans, O mirabile genus Britonum, inquit, qui propulerunt in fugam eum, qui totum orbem sibi subiecerat. Ad illorum ergo laudem poëta Lucanus lib. 2. de bello Pharsalico scripsit, quòd Cæsar

Territa quæsitis ostendit terga Britannis.

Cuius immensam gloriæ cupiditatem, omnibus terra, mariq́ue deuictis nationibus Pomponius Sabinus reprehendens, Ad Oceanum, inquit, tandem respexit, quasiq́ue Romanus orbis ei non suffecerit, alium orbem cogitauit, nec Oceano ipso potuit metiri suam felicitatem, aut continere.

8. SPE consequendi margaritas. Caius Suetonius Tranquillus in vita Iulij Cæsaris scribit ipsum, Britanniam petijsse spe margaritarum. quarum magnitudinem interdum sua manu conferebat, pondúsque exigebat. Nam Oceanus Britannicus gignit margaritas, sed, vt ait Cornelius Tacitus in vita Iulij Agricolæ, subfuscas, & liuentes; quæ colliguntur ita, sicut è mari pulsæ sunt. nam in conchis quibusdam contineri lib. 1. Nota 6. demonstraui.

9. CVM

9. CVM his vnà Comium. Caius Iulius lib. 4. commẽtariorum legatis Britannorum auditis, inquit, liberaliter pollicitus, hortatusq́ue Cæsar, vt in sententia obtemperandi Imperio Populi Romani permanerent, eos domum remittit: & cum his vnà Comium, cuius autoritas in his regionibus magna habebatur, mittit. Huic imperat, quas possit, adeat ciuitates, horteturq́ue vt Populi Romani fidem sequantur: seq́ue celeriter eò venturum nunciet. Quibus ex verbis perspicuum est, Cæsarem non contentum solis legationibus missis, in fidem accipere Britanniam, sed voluisse illò ire, apertéque suum aduentum Britannis nuntiari. Cuius voluntatis eius, quænam causa fuerit vera, nescitur. nam belli Britannis inferendi causa iusta fuit, auersio subministratorum Gallicis bellis auxiliorum ex Britannia, vt Nota 7. demonstraui. Sed cur voluerit ipsemet in Britanniam ire, non ita certò scitur. Suetonius Tranquillus ponit causam in spe consequendi margaritas, Pomponius Sabinus in immensa gloriæ cupiditate; quemadmodum iam explicui. sed illas per mercatores pro pecunia; hanc per duces belli gloriam victoriæ poterat absens obtinere. Quocirca Gaufridus aliter rem narrans, In Romanis historijs reperio, inquit, Iulium Cæsarem subiugata Gallia venisse ad littus, Britanniamq́ue aspexisse, cuius incolæ dicebantur; ex progenie Troiana descendisse: sed hos multum degeneres, cum intra Oceanum, & extra orbem maneant, nescire militiam. proinde leniter docendos Senatui, Populoq́ue Romano parêre. Quæ cogitatio fortasse potuit esse Cæsaris, licet verbis non expressa, neque scriptis eius comprehensa nam eum origine Troianum esse, Virgilius libro 1. Æneidos demonstrauit his versibus:

Nascetur pulchra Troianus origine Cæsar,
Imperium Oceano, famam qui terminet astris
Iulius à magno demissum nomen Iulo.

vbi Seruius, Imperium Oceano terminauit Iulius Cæsar, inquit, cùm Britannos, qui sunt in Oceano, vicit. Scio fore, qui communionem originis irrideant sic in Britannis, vt in Iliensibus Nota 7. superius. Nam Tacitus lib. 12. vocat huiusmodi, haud procul à fabulis vera. tamen ipse Domitium Neronem sedecim annos natum, ab honestis studijs, & eloquentiæ gloria laudat, quod Iliensium causa suscepta, Romanum Troia demissum, & Iuliæ stirpis authorem Æneam, aliaque facundè dicens, impetrasset à Claudio, vt Ilienses omni publico munere soluerentur. Idem Claudius (vt Suetonius narrat) non aliter Seleuco Regi per epistolam Græcam, nomine Senatus Populique Romani, missam pollicetur amicitiam & societatem, quàm si consanguineos suos Ilienses ab omni onere immunes præstitisset. Quod ne quis deinceps putet esse fabulosum, Callistratus l. 17. de excusationibus, Iliensibus, inquit, & propter inclytam nobilitatem ciuitatis, & propter coniunctionem originis Romanæ, iam antiquitus & Senatusconsultis, & constitutionibus Principum tributa est plenissima immunitas, vt etiam tutelæ excusationem habeant. Quam generis antiqui Troiani laudem etiam Iustinianus Imperator constitutione Authenticôn Nouella 47. sibi adsumens, Siue quis ad vetustissima illa, inquit, & prima Reipublicæ nostræ principia respiciat; Æneas Rex Troianus quædam nobis initia Reipublicæ dedit, & nos ab illo Æneadæ appellamur: siue secunda principia contempletur, quo planè tempore Romanorum nomen inter homines emicuit, Reges ipsa instituerunt, Romulus & Numa: quorum alter vrbem condidit, alter ipsam ordinauit, ornauitque legibus. siue etiam tertia Regij imperij procemia capiat, nempe magnum illum Cæsarem, Augustum, & Seuerum, inueniet sic quoque eum Reipublicæ statum, qui nunc obtinet: atque vtinam immortalis iam inde euaderet. Sicut ergo Virgilius idem lib. 10. vocat

Grayis imperdita corpora Teucros,

quos,

quos, vt ait Seruius, Græci perdere nequiuerunt. Teucros enim accipimus eos, quos secum duxit Æneas, sic Britonas intelligimus ipsos, quos Brutus secum aduexit, quemadmodum lib. 2. demonstrauimus. Ad quos cum Atrebatibus ibi degentibus Comius, antequam à Cæsare vinceretur, in Britanniam fugit, sicut & Princeps Bellouacorum, ceterique, de quibus lib. 1. Nota 31. dixi, quo magis à vi Romanorum tuti forent. Horum persecutio videretur esse causa propter quam ipse Cæsar in Britanniam proficisceretur, si eorum aliquam mentionem in pace facta cum Cassuellano habuisset. Nam reuersi domum, post abitum Cæsaris, motum ciere possent.

10. LIBERTATEM. Gaufridus recitat epistolam huiusmodi. Cassuellanus Rex Britonum Caio Iulio Cæsari. Miranda cupiditas est Cæsar, Populi Romani, qui census, quos hactenus quietè possidemus, appetit; nosque intra Oceanum, & extra orbem positos, in seruitutem vocat, quos origo communis nobilitatis ab Ænea descendens, coniungere, Britonasque cum Romanis amicos facere deberet. nobis auferre libertatem si conarentur ipsi Dij, resisteremus omni nisu, vt eandem retineamus. Sic Germani responderunt Cæsari, vt ipse lib. 4. commentariorum refert, Populi Romani Imperium, Rhenum flumen finire. Sic Cornelius Tacitus lib. 4. scribit, funus Drusi imaginum pompa maximè illustre fuisse, cum origo Iuliæ gentis Æneas, omnesque Albanorum Reges, & conditor vrbis Romulus ferrentur. Hanc verò seruitutem Romanorum Claudius Ciuilis, apud eundem Cornelium Tacitum lib. 20. demõstrans, Cum delectus Batauorũ vocaretur ad delectum militum faciendum, inquit, hunc sui naturâ grauem, ministri Romanorum auaritia, luxuque plus onerabant; senes aut inualidos conquirendo, quos pretio dimitterent: rursus adolescentes, sed forma conspicuos (vt est procera Batauorum plerisque pueritia) quos ad stuprum traherent; ex inuidia his de rebus orta Claudius Ciuilis primos & promptissimos Bata-

 uos sub

uos sub epularum specie vocat in sacrum nemus. vbi videt eos nocte atque lætitia incaluisse, à laude & gloria gentis exorsus, iniurias, & raptus, ceteraque seruitij Romanorum mala enumerat. Neque enim societatem cum eis nunc haberi, vt olim: sed se tanquam vilia mancipia censeri: non solùm quando Legatus graui quidem comitatu, & superbo cum imperio venit: sed etiam quoties Præfectis militum, Centurionibusque tradi se patiuntur. Quos vbi se spolijs, & sanguine Batauorum expleuerint, mutari, nouosque quotidiè sinus exquiri, variaque prædandi vocabula, dicebat. Instare delectum, quo liberi a parentibus, fratres à fratribus, veluti supplicio supremo diuidantur.

II. BRITANNORVM copias armatas. Caius Iulius lib. 4. commentariorum, Hora circiter diei quarta, inquit, cum primis nauibus Britanniam attigit Cęsar: atque ibi in omnibus collibus expositas hostium copias armatas conspexit. Sed arma Britannorum qualia vidit, hoc Cæsar non explanat. Pausanias eorum thyreos, quæ sunt scuta, commemorat lib. 3. Nota 8. superius. At Cornelius Tacitus, qui gladios eorum esse sine mucrone, narrat, palam lib. 12. Apud Britannos, inquit, nulla loricarum, galearumque tegmina erant. Quod est contra Gaufridum lib. 1. c. 18. cum de Brenno, eiusque matre loquens, His, quæ Conuenna dixerat, motus Rex Brennus, inquit, animo sedato matri obediuit, & vltrò deposita galea, vnà cum illa pergit ad fratrem Belinum. Cum igitur Britannos Cæsar armatos vidit, & in prælijs plerumque vti militibus essedarijs fatetur: hoc Strabo, tanquam explicans, Ad bella essedorum, inquit, vtuntur multitudine, vt & quidam Gallorum. tum Diodorus Siculus, Britanni vtuntur in pugna curribus, inquit, velut antiquos Græcorum Heroas in bello Troiano vsos esse ferunt. Et Pomponius Mela, Britanni dimicant, inquit, non equitatu modò, aut pedite, verùm & bigis, & curribus, Gallicè armatis. quos currus vocant couinos, eorumque falcatis axibus vtuntur. Iam verò Græcos, aut

Gallos,

Gallos, quorum consuetudine armandi se, Britanni vtebantur, nemo ferè dixerit galeas non habuisse, quibus caput, quod est præcipuum, tegerent. Sed Cambdenus ista distinguens, Britannos dimicasse Gallicè armatos ex Mela confessus, id ex Dione Nicæo in Xiphilini epitome, de Britannis ad Septemtrionem habitantibus intelligit, nimirum quòd in tentorijs degant nudi, & sine calceis. quòd pugiones quoque habeant, ac in primis famem, frigus, & labores omnes perferant. Denique de eisdem accipit illud Herodiani testimonium lib. 3. historiarum; Sunt bellicosissima gens, inquit ille, atque cædis auidissima, tantum scuto angusto, lanceaque contenti Britanni. præterea gladio nudis corporibus dependente, loricæ ac galeæ vsum penitus ignorant; impedimẽtum id esse arbitrati transgrediendis paludibus, quarum vaporibus, æstuque cœlum ibi semper est caliginosum. Quæ distinctio conuenit cum illo prælio, quod Cornelius Tacitus describit, & Cambdenus repetit in Cornauijs, qui sunt populi Salopiæ Cissabrinæ. Transsabrina enim fuit Ordouicarum, inquit, qua limitem Australem Tembdus fluuius stringit, cui demum Colunus fluuius confluit. vbi inter vada incerta collis eminet antiquæ memoriæ, quem Caer Caradoc vocant, eò quòd circa Salutis annum 53. Caradocus Britannus Rex in hoc tractu clarissimus, saxorum vallo eundem præstruxerit, & obfirmato animo vnà cum suis contra OstoriumRomanorũ milites legionarios ducẽtem, benè defenderit; donec Romanus, distracta illa rudi compage saxorum (cuius reliquiæ etiam nunc apparent) irrumpens, Britannos inermes in iuga montium decedere coëgerit; Ipse tamen, vxore, filia, & fratribus captis, euasit fuga. sed postea (vt res aduersæ nusquam sunt tutæ) à Carthismandua Regina, cuius fidei se commiserat, Ostorio traditus, Romamque deportatus, cum Romanos longo & difficili bello exercuisset, veniam à Claudio Cæsare sibi ac suis, non degenere prece, sed generosa loquendi libertate, impetrauit. Ob hunc collem expugnatum,

Regem-

Regemque captum, insignia triumphi decreta sunt Ostorio: nec minus claram Caratacı captiuitatem censuit Senatus, quàm cum Siphacem Publius Scipio; & Persen Lucius Paulus populo Romano victos Reges ostenderent.

12. AD oppidum Dorobellum. Gaufridus lib. 1. c.23. Caius Iulius Cæsar nauigium, inquit, suum parat, prosperoque vento erexit vela, & in ostium Tamisis fluminis cum exercitu adplicuit; cum Cassibellanus ei occurrit, & ad Dorobellum oppidum veniens, quæsiuit à Proceribus, Qualiter hostes longius arceret? Aderant in eo consilio Belinus princeps militiæ, Theomantius nepos eius, & Dux Cornubiæ; tres quoque Reges, Cridiorus Albaniæ, Vitetus Venedotiæ; atque Britaël Demetiæ. Hi suaserunt, recenter castra Cæsaris adire, ipsaque littora, quibus adpulit, occupari: quod & subitò factum est. Nam, vt Beda lib. 1. Ecclesiasticæ historiæ gentis Anglorum c. 2. scribit, Nauibus onerarijs & actuarijs circiter octoginta præparatis, in Britanniam transuehitur Iulius Cæsar, & acerba primùm pugna fatigatus, deinde aduersa tempestate correptus, plurimam partem classis, & non paruum numerum militum, sed equitatum penè omnem perdidit. Regressus in Galliam, legiones in hyberna dimisit, & sexcentas fieri naues imperauit. Quibus iterum transuectus in Britanniam, dum ipse pergit in hostem cum ingenti exercitu, naues in anchoris stantes tempestate correptæ, intérque se collisæ dissoluuntur, ex quibus quadraginta perierunt, ceteræ magna cum difficultate reparatæ sunt. Cæsaris equitatus primo congressu victus à Britannis, in eoque Labienus tribunus (sic enim vocat eum, quem Cæsar Laberium nominat) occisus est. Secundo prælio cum discrimine magno suorum militum Britannos victos in fugam vertit. Inde profectus est ad Tamisim vno tantùm loco transmeabilem. In cuius vlteriore ripa, Cassibellauno duce, immensa Britannorum multitudo consederat, ripamque fluminis, ac penè totum sub aqua vadum sudibus acutissimis præstruxerat.

ſtruxerat. quarum ſudium veſtigia in hodiernum vſque diem viſuntur, quaſi ſingulę earum ad humani femoris modum ſpiſſę, plumbóque circumfuſæ, in profundum fluminis fixæ immobiliter hęreant. Quod vbi à Romanis deprehenſum, vitatumque eſt, Britanni non ferẽtes impetum legionum, ſyluis ſeſe abdiderunt, crebriſque eruptionibus Romanos grauiter ac ſæpe lacerabant. Interea Trinobantum firmiſſima ciuitas cum Androgorio duce; (nam ita vocat illum, quem ceteri Androgeum appellant) datis obſidibus quadraginta, Cæſari ſe dedidit. quamquam Gaufridus Nota 6. ſuperius numeret niſi triginta obſides præter Marcum Scæuam Britannum. Quod Androgei exemplum ſecutæ vrbes aliæ complures, in fœdus Romanorum venerunt: quibus demonſtrantibus oppidum Caſſibellauni ſitum inter duas paludes, obtentúque ſyluarum benè munitum, & omnibus rebus confertiſſimum, Cæſar tandem graui bello cepit. Deinde reuerſus à Britannis in Galliam, poſtquam legiones in hyberna miſit, repentinis bellorum tumultibus vndique circumuentus eſt.

13. VIDITQVE grandęuum ſenem Britannum. In Dialogo, qui dicitur Cornelij Taciti de oratoribus ſui ſeculi, Marcus Aper, Non Menenium Agrippam, qui poteſt antiquus videri, noſtrorum temporum viris diſertis, inquit, vos ſoletis anteponere, ſed Ciceronem, & Cæſarem, & Cœlium, & Caluum, & Brutum, & Aſinium, & Meſſalam. quos quidem cur adſcribatis potius antiquis temporibus, quàm noſtris, nihil certè video. Nam vt de Cicerone loquar, ille Hirtiô, & Panſa Conſulibus occiſus eſt. His ſtatuite octo annos, & quinquaginta, quibus mox Auguſtus Rempublicam rexit. adijcite Tiberij tres & viginti: ac propè quadriennium Cai; biſque quaternos denos Claudij, & Neronis annos; atque vnum Galbæ, & Othonis; & Vitellij vnum annum; atque ſextam iam felicis huius principatus ſtationem, qua Veſpaſianus Rempublicam fouet; colliguntur ab interitu Ciceronis in hunc diem, centum &

viginti

viginti anni, quæ nisi vnius hominis ætas est. Nam ego ipse in Britannia, inquit Aper, vidi senem qui se fateretur, & pugnæ interfuisse, qua Cæsarem Britanniæ arma inferentem, littoribus arcere, ac pellere aggressi sunt. Itaque, si eum, qui armatus Caio Cæsari restitit, vel captiuitas, vel voluntas, vel aliquod fatum in vrbem Romam pertraxisset, ille quidem & Cæsarem ipsum, & Ciceronem audire potuisset. Quæ gloriosa narratio Britanni senis, quem grandæuum Cambdenus vocat, post tot annos in vrbe Roma Marci Apri Oratoris egregij ore recitata, demonstrat carmen Lucani, quo dixit Cæsarem, terga territa ostendisse Britannis, superius Nota 7. nullo fauore Pompeij, vel odio Cæsaris, sed ipsa rerum gestarum veritate sic postulante, fuisse probatum: licet idem Cambdenus ex eo carmine dicat Lucanum, familiæ Cæsarum iniquiorem extitisse. Quocirca rectè Gaufridus, ob receptum triumphum, inquit, grates deo soluit Cassibellanus, sociosque suæ victoriæ conuocauit, & vnumquemque secundum merita muneribus maximis donauit.

14. AD arenarum cumulum. Cambdenus in Cantio, Cum primum insulam Britanniam, inquit, Cæsar aggrederetur, hac regione terram conscendit, nauibusque egredi prohibitus à Britannis Cantianis, non sine graui pugna, littore potitus est. Cum secundò Britannos etiam adiret, exercitum hic exposuit, Britannique cum equitatu, & essedis ad Sturum flumen animosè copias exceperunt; sed à Romanis repulsi, citó in syluas se subduxerunt. Inde cum equitatu Romano acriter prælio in itinere conflixerunt: ita tamen vt Romani omnibus partibus superiores fuerint. At intermisso spatio, rursus in Romanos impetum Britanni fecerunt, perque medios audacissimè perruperunt; & interfecto Laberio Duro militum Tribuno, receperunt se incolumes; posteroque die ad pabulatores aduolarunt. Quo quidem tempore præfuerunt Cantio Cyngentorix, Caruilius, Taximagulus, & Segonax. quos Cæsar, vt Reges deuicisse videatur, Reges vocat; cum fuerint

tantum reguli, vel melioris notæ nobiles. Qua in re Cambdenus contradicit Pomponio Melæ affirmanti Britanniam ferre populos, ac Reges populorum, vt lib. 1. Nota 2. demonstraui. Sed infrà Cambdenus, Fama constans est Cęsarem castra metatum fuisse apud Chilam, quam alij, inquit, Iulham, id est, Iulij statio-nem, vel domum vocant. nam ibi rudetum est antiqui castri. & ipse Cæsar narrat, cum noctu à littore duodecim millia passuum confecisset, ad flumen cum Britannis primùm conflixisse, vbi cum eos in syluas coegisset, castra muniuit; quod ibi locum egregiè natura, operaque crebris arboribus succisis munitum Britanni prius habuerunt. Hic enim locus per 12. à littore millia passuum abest, nec aliud interpositum flumen est, vt necesse fuerit Cæsarem castris primis ad hunc locum peruenisse. in quibus decem etiam dies continuit suos milites, dum classem tempestate afflictam reficeret. Sub hoc oppido tumulus est viridanti cespite vestitus, quo conditum multis ante seculis ferunt quēdam Iul-laber id est, vt ego puto, inquit Cambdenus, Laberium Durum Iulij Tribunum militum, quem Britanni in itinere interfecerunt. Ad Australe Sturi fluminis ostium, quod alueum mutasse credunt, è regione Insulæ Thanati fuit vrbs posita, quæ Ptolomæo Rhutupiæ, Tacito portus Trutulensis, pro Rhutupensis, si nos Beatus Rhenanus varia lectione non fallit; Antonino Rhitupis portus, Ammiano Rhutupiæ Statio, Orosio Rhutubi portus, & ciuitas, Anglis olim Reptacestria, nunc Richeborua dicitur. Cui vicina loca, Sanduicus & Sandiba, nomen habent à sabulo. cùmque littus exurgens à Cantio promontorio, in Austrum procurreret crebro colle per aliquot miliaria, subsidet, apertumque ac planum obiacet mari, cum ad Sandon, id est, tumulum arenarium, & ad Dela castra vicina pertenerit, quæ Nennius Dola vocat. quo loco Cæsarem appulisse constans est fama. quippe Nennius, Bellum, inquit, ad Dola Cæsar pugnauit. ipseque aperto & plano littore se terram conscendisse, difficilique pugna à

gna à Britannis exceptum fuisse commemorat. de quo Lelandus in cygnea cantione,

Iactat Dela nouas celebris arces,
Netus Cæsarei locus trophæi.

15. DISCESSISSE filiam. Seneca in libro de arte & natura, Cum Britanniam Cæsar peragraret, inquit, nec Oceano felicitatem suam continere posset, audiuit, decessisse filiam, secum ducentem publica fata. sed cum dolorem tam citò vicit, quàm omnia vincere solebat. deinde Lucius Aurumculeius Cotta in suo commentario Græco de Republica Romanorum, Cum Britanniam insulam adiret Cæsar, inquit, licet tot rebus gestis clarissimus esset, ea tamen fuit temperantia, & à pompa tam alienus, vt tres tantummodo domesticos in famulatu haberet.

16. PVLVEREM maiorem. Caius Iulius, dum ea geruntur, inquit, legione ex consuetudine vna frumentatum missa, neque ad id tempus belli suspicione interposita, cum pars hominum in agris remaneret, pars etiam in castra ventitaret: hi qui pro portis castrorum in statione erant, Cæsari renuntiarunt, puluerem maiorem, quàm consuetudo ferret, in ea parte videri, quam in partem legio iter fecisset. Cæsar id quod erat, suspicatus, aliquid noui à Britannis initum consilij, cohortes quæ in stationibus erant secum in eam partem proficisci, ex reliquis duas in stationem succedere, reliquas armari, & confestim se subsequi iubet. Sic Tacitus lib. 18. dum Vitellius ad epulas Ticini discumberet, duobus militibus, inquit, altero legionis quintę, altero è Gallis auxiliaribus, per lasciuiam accensis ad certamen luctandi; postquam ille legionarius in terram prociderat, (nam hanc esse luctandi victoriam suprà lib. 2. Nota 4. demonstraui) Gallo insultante, & ijs, qui conuenerant ad spectandum, in diuersa studia deductis, milites legionarij eruperunt in perniciem militum auxiliarium, duæque cohortes interfectę sunt. Remedium huius tumultus, fuit alius multo maior tumul-

tumultus. puluis enim & arma procul aspiciebantur. quo signo Quartamdecimam legionem ad prælium redire dicebant. Et certè in huiusmodi publicis epulis Principum euenire solent grauissimę pugnę, vt Gaufridus lib. 1. c. 24. de Hirelda & Euclino adolescentibus nobilibus, post sacrificia & epulas à Cassuellano factas, contigisse narrat.

17. In perpetuum sui liberandi facultas. Ad orationem 5. Nota 14. dicebam, facultatem esse vim, quæ facit, vt id facilius fieri possit, quod agere instituimus. Ergo cum Britanni vellent à seruitio Romanorum se liberare, vt illud facilius consequi possent, sibi persuadent, & Romanorum esse paucitatem, & capiendæ de his prædæ magnitudinem. Nam incommoda Romani seruitij explicata sunt superius Nota 10. Et naturale desiderium hominis, vt se vindicet in libertatem, explicat Brotus in epistola, quam lib. 2. scripsit ad Regem Pandracem, pro Troianis à seruitute dimittendis. Cuius Bruti Troiani soboles, Britonum generosa, dicitur esse populus in continenti habitans, à Renato Laurentio de la Barre, in epistola dedicatoria historiæ Christianæ veterum patrum.

18. Spe prædę adducti. Caius Iulius lib. 4. Morini, quos in Britanniam proficiscens Cæsar pacatos reliquerat, spe prædæ, inquit, adducti, primò non ita magno suorum numero circumsteterunt, ac, si sese interfici nollent, arma ponere iusserunt. Hoc consentit cum eo, quod idem lib. 5 scribit, maritimam partem Britanniæ incoli ab ijs, qui prædæ, ac belli inferendi causa ex Belgio transierunt. Quę cum ita sint, aliquis miretur, quare Cicero lib. 7. familiarium, epistola 7. scripserit ad Trebatium, in Britannia nihil esse neque auri, neque argenti. nisi quod ipse fateatur se tantum audire sic rem se habere. sed Paulus Manutius prudenter adnotauit, hoc eum ioco dicere. quod verba, sequentia demonstrant. Nam id si ita est, Cicero suadet Trebatio, essedum aliquod capere, & ad se, quamprimùm recurrere. Paulo fortius scribit ad Atticum lib. 4. epistola 16.

Britannici belli exitum expectari. Constare enim aditus Insulæ munitos esse mirificis molibus. etiam illud iam cognitum, neque argenti scrupulum esse vllum in illa Insula, neque vllam spem prædæ, nisi ex mancipijs. ex quibus, nullos litteris, aut Musicis eruditos expectari. Nam ego puto illum Oratoris more scribere, ac, vt frequenter solet, vti foro. quippe, scribit ad Quinctum fratrem suum lib. 2. epistola vltima, perquam ambitiosè quærens Historiam Britannici belli suis litteris commendare, non id facturus, nisi cognouisset argumentum scribendi splendidum fore. sicut neque Cæsar tot captiuos, nisi pretiosos abduxisset. Iam verò scribit ipse lib. 5. Nauibus deductis, quod & captiuorum magnum numerum habebat, & nonnullæ tempestate deperierant naues, duobus commeatibus exercitum se reportasse. denique Virgilius lib. 3. Georgicôn, Purpurea intexti, inquit, tollunt aulæa Britanni, magna cum ipsorum laude. Seruius enim, & Probus adnotauerunt, Cæsarem de Britannia victorem reuersum ad vrbem, aulęa confici maximo precio iussisse ex velis Britannorum, in eisque suas victorias Britannicas depingi: ac plurimos Britannos bello captos à se, officijs theatrorum donauisse ad hęc tapeta pendenda, tollendaque; qui erant ipsimet arte, opereque depicti in tapetis, eisdem tanquam intexti. Qua consuetudine describendi vultus, & ora; habitum, figuramque gentium proximè domitarum, redintegratur memoria bellicę virtutis sępius, ac viuacius, quàm cum Imperator Populo Romano ludos, aliaque spectacula momento temporis obliuiscenda demonstrat.

19. IN Treueris gererentur. Sicut plurimum refert, nosse Reipublicę statum siue bello, siue pace quis gubernet, ita notitiam habere ab ijs, qui sunt principes illius ciuitatis, expedit: vix enim Cæsar intelligere potuit, an Treueri Germanos transrhenanos solicitarent, quod tamen ei ad Britanniam redituro necessarium, erat pro certo scire. Sed cum Cingentorix, alter Princeps ciuitatis faceret eum certiorem de his, quæ ibi age-

ibi agerentur, non ex coniecturis amplius, vel quòd Treueri non venirent ad consilia, vel quòd imperio non parebant, sed ex perspicuis indicijs rem percepit. In quo tamen ipso consultissimum est, quod Quinctus Cicero in petitione consulatus, persuasit Marco fratri, Ἐπιχάρμειον illud tenere, Neruos atque artus esse sapientiæ, Non temerè credere. præsertim si hostis, nouè veniens ad amicitiam nobis aperit quidquam, vt Ambiorix Titurio, celatis insidijs positis in itinere, suasit perniciosam exercitui Romano profectionem, de qua Cæsar lib. 5. commentariorum, disputationem vtrinque rationibus adhibitis instituit. Quocirca noluit ipse Cęsar Androgeo fidere, nisi datis obsidibus, vt supra Nota 6. demonstraui.

20. MILLE nauium. Lucius Cotta, qui tunc secundum in castris locum obtinebat, hanc classem dicit fuisse mille nauium, in suo Gręco commentario de Republica Romanorum, vt Athenęus testificatur. quod est probabile, pręsertim instituto bello, causa vindictæ sumendę de Britannis, qui Gallis opem tulerunt, vt ait Strabo. quamquam ego suspicarer in hac secunda expeditione tantum numerum adhiberi nauium, in euentum omnem tempestatis, qua plurimæ possent in Oceano perdi.

21. MAXIMVM elephantem. De sudibus acutissimis sub aqua iactis, vitatisque per Romanos antè diximus Nota 12. & ipse Iulius lib 5. Eò cum venisset Cęsar, animaduertit ad alteram fluminis ripam, inquit, magnas esse copias Britannorum instructas. Ripa autem erat acutis sudibus præfixis munita. Eiusdem generis sub aqua defixæ tegebantur. His rebus cognitis a captiuis, perfugisque, Cæsar præmisso equitatu confestim legiones subsequi iussit. sed artem elephantis in flumen mittendi explicat Polyænus octauo libro, totidem ferè verbis, quot recensuimus.

22. PERMISSA est Cassuellano. Caius Iulius lib. 5. commentariorum, Summa, inquit, imperij,

 bellique

belli que administrandi, communi consilio permissa est Cassiuellauno: cuius fines à maritimis ciuitatibus flumen diuidit, quod appellatur Thamesis, à mari circiter millia passuum octoginta. propter quam permissionem fortasse Beda Cassuellanum, nisi ducem belli supra Nota 12. vocat. Sed quia Caius Iulius ait ipsum quattuor Cantij regibus imperasse, vt coactis omnibus copijs, castra naualia Cæsaris de improuiso adoriantur; necesse est eum fecisse Regem, & maiorem quoque ijs, quibus imperabat, potestatem habuisse. Quam ob rem vt vnum ex illis quattuor Regibus captum bello Cingentorigem Cæsar vocat nobilem Ducem; ita puto Bedam appellare Cassuellaunum Ducem, quòd exercitum ducat, officio principis maximè nobili. Nos verò Nota 4. Dicebamus huiusmodi permissionem communi consilio imperandi concessam, propter minorem ætatem suorum nepotum, appellari cessionem Regni Cassuellano factam, sic tamen, vt illud suo proprio, & non tutorio nomine administraret, eo ferè modo, quo Romæ solebat olim creari Dictator in summis Reipublicæ necessitatibus, vnà cum amplissima iurisdictione ceterorum omnium Magistratuum Romanorum.

23. NENNIVS à Cæsare vulnere. Gaufridus lib. 1. c. 23. hanc rem declarans, Sicut ob receptam victoriam Cassibellanus lætus erat, ita, inquit, ex alia parte angebatur dolore, quòd ipsius frater Nennius lethali vulnere percussus in periculo vitæ iacebat. Etenim Iulius eum in congressu belli, vulnerauerat immedicabili plaga, qua mortuus est infra quindecim dies post illud prælium, & vrbe Trinobantum propè portam Aquilonis sepelitur. Exequias eius Regias dum adornant, posuerunt in sarcophago gladium Cæsaris, quem clypeo suo infixum, pugnando Nennius retinuerat.

24. FAME necare. Idem Gaufridus lib. 1. c. 24. Androgeus Cassibellani aciem, ex qua, inquit, totum bellum pendebat, à tergo inuadit; quæ paulo antè irruptio-

irruptione Romanorum vastata; & nunca suis concivibus pressa, diutius consistere non potuit. Erat propè mons quidam, in cacumine saxosus, & arboribus densus, ad quem Cassibellanus fugit cum suis. cuius montis saxa, & arduitas scandendi, Britonibus erant defensio; & inde Romanis se persequentibus inferebant stragem. Itaque Cæsar obsedit montem illa nocte tota, quæ pugnam finiuit. Regem enim, quem armis vincere nequibat, fame cogere nitebatur. Id quod timens Cassibellanus, ibidem hærens iam die secundo, cum non haberet commeatum, misit ad Androgeum, qui peterent ab eo, vt tam ipse desisteret ab armis, quàm cum Iulio Cæsare de pace tractaret. Ergo Androgei rogatu Iulius accepit à Cassibellano concordiam, cum vectigali singulis annis reddendo. Erat autem vectigal, quod spopondit, tria millia librarum argenti, quarum hodiè quælibet viginti Francicos, siue florenos valet, vt Robertus Cenalis librâ argenti cōmuniter æstimat. Quibus conditionibus amici facti Iulius & Cassibelanus, mutua donaria inuicem alter alteri dederunt. Cæsar autem lib. 5. nihil de Androgeo Mandubratio quasi pacis oratore loquitur. Sed Cassiuellanus hoc prælio nuntiato, inquit, tot detrimentis acceptis, vastatis finibus, maximè etiam permotus defectione ciuitatum, legatos per Atrebatem Comium de deditione ad Cæsarem mittit. Cæsar obsides imperat, & quid in annos singulos vectigalis Populo Romano penderet, constituit. Interdicit, atque imperat Cassiuellauno, ne Mandubratio, neu Trinobantibus noceat. quæ diuersa, non aduersa narratio est.

25. ÆGRE transiri potest. Thamesis flumen, inquit Cæsar, vno omnino loco pedibus, atque hoc ægrè, transiri potest. sed milites id transierunt, cum capite solo ex aqua extarent. Hoc si verum est, Cambdenus audacter dixerit, vix pedes sex altum hoc loco flumen esse. nam corporis humani proceritas, absconsio sudium ferrearum, plumbatarumque (vt ait Gaufrid us lib. 1. c. 23.) ad femoris modum defixarum, quottidiana

denique nauigatio velatarum nauium, maiorem videntur profunditatem desiderare. Tamen is in sua chorographia, Propè ostium inquit, Veij fluuij, quo confunditur cum Tamisi, sunt Otelandes, Regiæ ædes satis elegantes, quę supercilio Tamisis incumbunt, & iuxta quas Cæsar Tamisim in fines Cassiuellani transmisit. Hic est enim vnus omnino locus ille, quo Tamisis pedibus, atque hoc ægrè transiri potest, quod ipsi Britanni, quasi prodiderunt Cæsari. Hac in re fallus esse non possum, inquit Cambdenus, cum hic vix sex pedes altum sit flumen, & locus hodie nomen Anglicum, stacarum, à sudibus habeat. cumque Cæsar dicat, Cassiuellauni fines à mari circiter octoginta millia passuum, vbi traiecit, continere; certè ad eandem à mari distantiam, iste se traiectus habet.

26. CASTRA naualia. Hæc sunt castra, quæ Cæsar decem dierum labore, ne quidem nocturnis temporibus intermissis, confecerat in longo tractu littoris propè cautes eminentes; quas Cicero mirificas moles, appellat suprà Nota 18. Littori autem exurgenti à Cantio promontorio, & in Austrum procurrenti, vt suprà demonstrauimus Nota 14. subsunt satis longo tractu cumuli, velut aggeres, quos ventum conuertisse nonnulli suspicantur; sed ego, inquit Cambdenus, munitionem, seu potius naualia castra esse existimo, quæ Cæsar confecit, vt in ea naues afflictatas subduceret, contraque tempestates, & Britannos qui eas frustrà sunt adorti, tutaretur. Agger enim quasi Romanorum opus vulgo vocatur. eoque magis credendus est Cæsar hic appulisse, quòd septimo miliari ab hoc loco mare contineatur ita montibus angustis, vt ex locis superioribus telum in littus adigi possit. Certè statim à Delis castris eminentia cautium secunda crythmo, quam sampetram vocant, per septem plus minus miliaria procurrit ad Douerum, vbi dehiscit, & se transeuntibus aperit: eaque natura loci est, vt perinde ac Cæsar scribit, inter duos colles mare admiserit, & continuerit.

27. CON-

27. CONTRA Cneum Pompeium. Gaufridus, in Galliam, inquit, Cæsar transmisit, & succedente postmodum tempore collectis vndique militibus ex omni genere hominum contra Pompeium Romam perrexit. Denique Cambdenus, Hoc ipso etiam loco, inquit, cum secundò Britanniam aggrederetur Cæsar, vt ex amissis Suetonij monumentis Eutropius habet, Scæua miles Cæsaris cum quattuor commilitonibus nauicula antè transuectus est ad scopulum Insulę propinquum, atque interea recessu Oceani destitutus fuit. Complures Britanni faciunt impetum in paucos Romanos; ceteri tamen, qui pertari comites ipsius fuerant, nauigio redeunt. Scæua imperterritus manet, vndique telis obrutus: ac primò restitit pilo; postremo rem gerit gladio solus in plures. Cumque fessus, vulneratusque esset, galeamque ac scutum ictibus perdidisset, cum duabus loricis natauit ad castra Cæsaris, & poposcit ab Imperatore veniā pro temeritate. Hic Scæua ille idem est, cuius virtus in bello ciuili, clarissimè Dyrrachij emicuit. quemque natione Britannum fuisse Iosephus Iscanus splendidissimo ingenio poëta sub anno Christi plus mille ducentis vigesimo quarto florens, in Antiocheide demonstrat his versibus:

Hinc & Scæua satus. pars non obscura tumultus
Ciuilis, Magnum solus qui mole solutâ
Obsedit; meliorque stetit pro Cæsare murus.

Quem Marcum Scæuam Valerius Maximus Nota 6. superius vocat, sed Suetonius Tranquillus in vita Iulij Cæsaris, appellans Cassium, nomine Britannis, vt suprà dixi Nota 2. satis visitato, Cassius Scæua excusso, inquit, oculo, transfixus femore, humeroque; centum & viginti ictibus scuto perforato custodiam portę commissi sibi castelli retinuit. vbi Beroaldus, castellum intelligimus vnum ex illis, inquit, quæ Cæsar plurima communiuit in munitione Dyrrachij ad circumuallandum Pompeium. quo in castello fuit nemo, qui non

vulneraretur. & ad Cæsarem relatum scutum Scæuæ Centurionis, habuit centum & viginti foramina. Hunc Cæsar, vt erat de se meritus, donauit millibus ducentis æris, atque ab octauis ordinibus ad primipilum se traducere pronunciauit. eius enim opera castellum conseruatum magna ex parte constabat.

28. THORACEM è margaritis. Quod Cęsar & Cassuellanus mutua dona sibi dederint, suprà demonstrauimus Nota 24. sed quid alter alteri dederit, Gaufridus non exponit. Probabile tamen est, eum thoracem à Cassuellano Rege datum fuisse Cęsari, quem thoracem Solinus c. 54. scribit, ipsum Veneri suæ genetrici dedicasse in templo eius Romæ, vnà cum hac inscriptione, *De margaritis Britannicis*, thoraci subiecta. nam ille mos erat Regibus Britannię gestare thoraces pretiosos. Inde poëta Statius lib. 5. Syluarum ad Crispinum filium de Vectio Bolano suo patre, prefectoque Britannię, dum Vitellius imperaret, scripsit hos versus:

Quanta Caledonios attollet gloria campos,
Cum tibi longæuus referet trucis incola terræ;
Hic suetus dare iura parens, hoc cespite turmas
Affari: ille dedit, cinxitque hæc mœnia fossa:
Belligeris hæc dona Deis, hæc tela dicauit.
Cernis adhuc titulos. hunc ipse vacantibus armis,
Induit, hunc Regi rapuit thoraca Britanno.

29. CANTIVM non restitueret. Nam cum duo concedebantur Androgeo, vrbs Trinobantum, & prouincia Cantij, & in conditionibus deditionis exciperetur tantum de Trinobantibus, putabat Cassuellanus non contineri pactis Cantium, quod ceteri tres Reges adhuc administrabant, quantumlibet captus esset Cingentorix. Sed Androgeus contrà existimabat se in integrum restitui beneficio Cæsaris, ideoque pristinum statum per omnem prius habitam iurisdictionem se debere recuperare. quod erat æquum iure communi. verumtamen obtineri non potuit, quoniam arma contra

contra patriam sumpsisse Androgeus videbatur; nec ideo fuit apud Principes Regni gratiosus, vt suprà Nota 4. demonstrauimus. Maluit igitur patria carere perpetuò, quam in ea viuere cum ignominia; maximè fauoribus Iulij Cæsaris abundè nixus. cuius castra secutus idcirco est, vt etiam cognatus eius Marcus Sequa vir fortissimus.

30 SVIS Regibus, suisque legibus. Cambdenus, Tantum abest, inquit, vt verum sit illud, quod Aulicus historicus ille, Velleius Paterculus scripserit, Bis penetratam à Cæsare fuisse Britanniam, vt vix quidem intrata fuerit ab illo. Nam annos viginti ab hoc ingressu Cæsaris Insula suis Regibus, & suis legibus vsa est, vt ex Dione lib 53. satis apparet: præfectosque non habuit: cum Cæsar Augustus hoc bellum esset transiturus, Principesque Britanniæ dona dijs offerentes in Capitolio, se in eius fidem permitterent, & vectigalia pensitarent. Quo genere officiorum Augustus expeditionem in Britannos omisit. de cuius exercitus magnitudine Quinctus Horatius lib. 1. car. Ode 35. Fortunam Antianam, pro felici eius itinere, sic affatur:

Serues iturum Cæsarem in vltimos
Orbis Britannos, & iuuenum recens
Examen, Eois timendum
Partibus Oceanoque Rubro.

Tametsi probabile videatur, inquit Cambdenus, Augustum consultò neglexisse Britanniam, quòd Imperium Romanum intra terminos coërcere statuerit. quę coniectura ipsius est contra communem interpretationem nominis Augusti, tanquam augentis illud Imperium, vt ad l. 5. Decemvirorum explicaui.

31. AMICVM Populi Romani. Gaufridus lib. 1 c. 25. Cum post abitum Cæsaris ex Britannia, inquit septem anni præterijssent, defunctus est Cassiuellanus, & vrbe Eboraco sepultus. Cui successit Theomantius dux Cornubiæ, & Androgei frater. nam ipse Romam

Androgeus cum Cæſare profectus erat. Iſte Theomantius (ſic enim Polydorus Vergilius ſemper eum vocat) vir bellicoſus, iuſtitiæ vigorem, rigorémque iuris colebat. poſt quem ad Regale culmen prouectus eſt Cunobelinus eius filius, miles ſtrenuus. Hunc Cęſar Auguſtus nutrierat, armiſque decorauerat. qui venit in tantam amicitiam Romanorum, vt, cum eorum tributum detinere poſſet, gratis penderet. In diebus illius natus eſt Dominus Noſter Ieſus Chriſtus; cuius pretioſo ſanguine redemptum eſt genus humanum, quod antè acto tempore dæmonum catenis obligabatur. Quæ cauſa eſt, propter quam Hiſtorici Chriſtiani libentius ab orbe ſaluo, quàm ab orbe condito tempora ſupputent, in quibus homines vixerint, & res geſſerint. Quocirca cum Natalis Chriſti dies erat vigeſimus quintus menſis Decembris, primus annus inceptus à media nocte illius diei, non plures complectitur, vt ait Stoweus, quàm ſeptem dies. Nam in ponenda ratione temporum, à die primo menſis Ianuarij, ſecundus annus poſt Chriſtum natum incipit appellari. Sanè quidem poſt bellum ciuile inter Iulium Cæſarem, & Cneum Pompeium, verſaque Principum arma in Rempublicam Romanam, ſecuta pax eſt in Orbe terrarum, cum Auguſtus Cæſar imperaret; ac longa obliuio Britannię (vt Cornelius Tacitus in vita Iulij Agricolę, modeſtius loquitur, quàm Cambdenus, Nota pręcedente, dum vocat neglectum Britanniæ) in ea pace contingebat, qua ſemper Cunobelinus fidus permanſit. de quo Cambdenus in Trinobantibus, Vetuſtam illam Romanorum coloniam, inquit, Camalodunum (quam nomine vix mutilato vulgus hodiè Maldon vocat,) Cunobellini fuiſſe Regiam Dio ſcripſit. Imperante Tiberio præfuit ille huic Orientali inſulæ parti, tréſque filios ſuſcepiſſe videtur, Admimum, Togodumnum, & Caracratum. nam primum Guiderium, & vltimum Aruiragum, quos Gaufridus numerat, iſte non vult agnoſcere. Itaque Admimus à patre pulſus, à Caio Caligula receptus eſt, cum ille ridicula expe-

expeditione in Britanniam, venit, vt sui terror inde Britannos afflaret. Togodumnum vero, & Catacratum iusto prælio deuicit Aulus Plautius, illumque interfecit, hunc autem ouans in triumpho deduxit. Hic est Plautius, qui Caio Berico exule Britanno suasore primus post Iulium Cæsarem tentauit Britanniam sub Claudio Cæsare. quem ipse Claudius transmissis statim legionibus, cũ omni mole Imperij, & elephantis subsecutus est: primumque transmisso Tamisi Britannos, qui aduenientem in ripa exceperunt, signis collatis fugauit, facileque hanc Regiam Camalodunum cepit. Ob quæ Britannici nomine imposito filio, sæpius ipse salutatus est Imperator; contra Romanorum institutum, quibus amplius, quàm semel non licebat illud nomen ex vno bello adsumere. sexto tamen quàm profectus erat mense, Claudius Romam redit. Tantum erat, vel tantulam Britanniæ partem debellasse, vt inde Senatus Claudio annuos ludos, arcus triumphales, & sicut Suetonius scribit, in vrbe, ac Gessoriaci Galliæ splẽdidissimum triumphum decreuerit. Plurimis etiam ob hanc victoriam ornamenta triumphorum dedit: Licinio Crasso Frugi permisit equo phalerato, vesteque palmata se triumphantem sequi. Posidio Spadoni hastam puram; C. Gauio torques, armillas, phaleras, coronamque auream dedit, vt in antiquo marmore Taurini adhuc inscriptum videtur.

32. ANGRIVARII. Cornelius Tacitus lib. 2. Annalium, Multos, inquit, ex militibus Germanici Cæsaris tempestate dispersos Angriuarij nuper in fidem recepti, ab interioribus populis Germaniæ redemptos adduxerunt. quidam in Britanniam rapti, & remissi à Regulis, narrabant rerum miracula, vimque turbinum, & inauditas volucres, & monstra maris, vt ex longinquo redierant. Idem in libro de moribus ac populis Germanorum, Iuxta Tencteros, inquit, olim Bructeri occurrebant, nunc Chamauos & Angriuarios immigrasse narratur, pulsis Bructeris, ac penitus excisis. Angriuarios & Chamauos à tergo Dulgibini, & Chasuari

ſuari claudunt à fronte Friſij excipiunt, qui vſque ad Oceanum Rheno prætexuntur. Cui Villichius adnotans, Angriuarij ſunt, inquit, contra Sueuos Semnonas poſiti, quos Albis tantum dirimit; vbi hodiè Magdeburgenſes, & incolæ veteris Marchiæ habitant. Quapropter Bructeri erant Luppiæ accolæ, & Eſtuali, & Veſtuali plerique, vbi eſt & Angria. ipſeque Colonienſis Archiepiſcopus ſe Ducem Angriuariorum ſcribere ſolet. Dulgibini verò ſunt Brunſuicenſes, Halberſtadienſes, & Hildeſpeimenſes. Chaluari autem habitant ſupra Sueuos Anglos, vbi Caſella nunc eſt. Hi duo populi à tergo, quod eſt ab occaſu, claudunt, & retinent Angriuarios, & Chamauos. Porro Friſij veterem adhuc appellationem retinentes ſupra Bructeros, hodiè dictos Luppianos, & Monaſterienſes vſque ad Oſſenbrogum, ſunt populi conſtituti vſque ad Amiſium, qui fluuius corruptè nunc Ems nominatur. Et hi Friſij vel ſunt maiores intra Amiſum, & Viſurgin, nunc VVeſer appellatum, vbi ciuitas eſt Groningenſium: vel ſunt minores intra Viſurgin, & Albim, vbi tractus eſt Bremenſium. denique Caius lib. 1. de antiquitate Cantabrigiæ, Veterem, inquit, Saxoniam voco Veſtphaliam. Etenim Vernerus VVeſtphalus ordinis Chartuſiani in faſciculo temporum circiter annum Chriſti 714. de Conſtantino filio ſcribens, Lebuinus preſbyter ſanctus, inquit, Anglicis prædicat in Velua, & pòſt in antiqua Saxonia, quæ eſt, VVeſtphalia. Munſterus etiam lib. 3. Coſmographiæ ſuæ, vera, inquit, & vetus Saxonia, eſt VVeſtphalia. nam ea VVeſtphalia non eſt alia, quam occidua Saxonia, licet hodiè quidam malè proferant Oſtfali, pro VVeſtphalis; & Angrarios pro Anglis; & Angriam pro Anglia Saxoniæ. Quæ tanto diligentius recenſui, quanto melius optarem intelligi, non ab Ecberto Rege, ſed potius ab his populis Saxoniæ nomen Britanniæ pro parte inſulæ mutatum eſſe. nam ita Fulgoſius Genuenſis, Cum Vortigernus, inquit, per fraudem, interemiſſet Conſtantinum, quem habitu monachi abiecto, Britanniæ Regem conſtituerat, veri-

tus Aurelium Ambrosium, & Vterum Pendraconem Constantij fratres, qui fugerant in Britanniam Armoricam, acciuit in insulam Orsen ac Engistum fratres, duces Saxonum, Anglorum, & Ambronum, qui nondum agnoscentes Christum, ferrent ei opem. Hi cum se nimis insolenter gererent, vnà cum ipso Rege Vortigerno ab illius filio Vortunere, populisque Britannicis eiecti sunt. Sed filio mortuo restitutus ad Regnum Vortigernus denuò eosdem Saxonas vocat, qui maiore, quàm an ea numero venerunt. ideóque veriti Britanni contra tot, inuito præsertim Rege, pugnare, vltrò citróque data fide colloquuntur. In quo sermone de pace constituto, Vortigernus à Saxonibus Anglis captus, & vniuersa Nobilitas Britanna occisa fuit. demum autem ipse dimissus, eam Britanniæ partem, quam voluerunt, Saxonibus habitandam concessit. atque ab eo tempore non Britanniæ nomen amplius, inquit Fulgosius, sed à proprio nomine Saxonum, & Anglia, & Anglus populus cognomentum habuerunt. Ceterum quamquam ex ea insula postea pellerentur Angli, tamen in eam Cadualdæ temporibus reuersi copijs ingentibus, sedes ac Regnum ibi summo Pontifice Gregorio Magno stabiliuerunt.

33. DVM prospicit Britanniam. Paulus Orosius lib.7.c.5. Cæsar Caligula, inquit, magno, incredibilíque apparatu profectus quærere hostem, & viribus ociosis Germaniam Galliamque percurrens, in ora Oceani circa prospectum Britanniæ restitit. cúmque ibi Adminium Cunobelini Britannorum Regis filium, qui à patre pulsus, cum paucis oberrabat, in deditionem recepisset, deficiente belli materia, Romam redijt. Quod restitit ad prospectum Britanniæ, videtur vndarum Oceani metu restitisse. qui furor maris æstu recedente labascit. Itaque Suetonius Tranquillus, Quasi perpetraturus Caligula bellum, inquit, directa in littore Oceani acie; atque balistis, & machinis dispositis, nemine sciente, aut cogitante, quidnam esset incepturus, repentè, vt conchas marinas legerent, galeásque & sinus reple-

replerent, imperauit, ea spolia Oceani vocans, Capitolio Palatioque debita. Nihil autem amplius, quàm Admimo Cunobelini Britannorum Regis filio, (qui pulsus à patre cum exigua manu transfugerat) in deditionem recepto, quasi vniuersa insula sibi tradita, magnificas litteras Romam misit, monitis sæpè latoribus, vt vehiculo ad forum vsque, & curiam pertenderent; nec nisi in æde Martis, ac frequente Senatu Consulibus traderent. Qua in historia recitanda miror Philippum Beroaldum tantopere niti lectionem, quam ipse fatetur esse vulgatiorem, in Suetonio, & Orosio, de Admimo Cunobelini Britannorum Regis filio, in Batauorum Regis filium commutare. quod Erasmus affectu in patriam non rectè adprobat. quasi tunc aliquis Rex esset Batauorum, cuius filius Admimus foret: aut quasi Batauorum insula dicenda foret propter Oceani amplitudinem, vniuersa, quam, vt Cæsar lib. 4. scribit, pars Rheni, quæ appellatur Vualis, & Mosa flumen efficit, tantummodo quadam arte, & non totus Oceanus naturà producit, vt Britanniam vniuersam. Præterea Suetonius antè dixerat, Caligulam Germaniæ, ac Britanniæ bello imminere, non verò Batauiæ, quando per pontem à se structum artificiosè inter Baias, & Puteolanas moles equis more triumphi discurreret. Itaque Marcus Antonius Sabellicus, vir in historijs versatior, hanc insulam sine dubio Britanniam esse adnotauit.

34. QVI dicitur Ogmia. Gaufridus lib. 1. c. 23. Cæsar cum se vidit non posse vincere Britannos, inquit, tutamen maris ex voto nactus, solutis nauibus, erectisque velis, Morinorum littus repetiuit; ingressus turrim, quam in loco, qui dicitur Odnea, construxerat antè, quàm in Britanniam secunda vice veniret. Timebat enim Gallorum instabilem fidem, ne in ipsum reuertentem irruerent. quem timorem poëta Lucanus expressit supra Nota 7. dum eum territa terga Britonibus ostendisse testatus est; cuius carminis infamiam Domitius Nero postea fortassis in authore vin-

Itaque

dicabat. Sed quod attinet ad huius loci proprium nomen, liber manuscriptus habebat Ogeca si dixisset Ogmia, fortè sequēdus esset, quoniam Galli Herculem ὄγμιον vocant, vt lib. 1. Nota 27. demonstrauimus. licet Villichius Herculem Gallicum ὄγχιον vocet errore credo typographorum, non iudicio suo. nam Budæus ad Pandectas l. 1. de seruo corrupto notans ex Luciano auctore Græco manifestum facit, Herculem apud Celtas vernacula ipsorum lingua Ogmion appellari. vnde probabiliter iste locus erat, quò solebat Hercules exspatiari ad Oceanum, & dicebatur Ogmia. nam, vt scribit Cornelius Tacitus libro de moribus Germanorum, ad ipsum Oceanum superesse adhuc Herculis columnas, fama vulgauit; siue quod Hercules adijt ea loca, siue quidquid vbique magnificum est, in claritatem eius referre homines consenserint. de quo tamen idem Villichius, Tentarunt, inquit, bello Romani Oceanum Frisicum, Germanici maris partem, sed deterriti sunt, atque frustrà conati. Nam Hercules quidam (quem Teutonicum esse verisimile est) eò vsque peruenit, & substitit. ac ibidem stelas, quæ ab authore Hercule non aliter, atque apud Gaditanos, Herculeæ dictæ sunt, constituit. Solebant enim veteres Heroës, vel columnas, vel aras, tanquam certas peregrinationum, & laborum metas collocare. Quod ego similiter defendi lib. 1. Nota 9. in Vlyssis ara constructa sub vltimis finibus Britanniæ; sicut Aurelius Cassiodorus Vlyssem in Campaniam Italiæ venisse fatetur. idque confirmatur ex eo, quòd Herodianus lib. 2. Romam haud procul à Britannia, distantem appellet.

35. PVBLIVM Ostorium Scapulam. Cornelius Tacitus in vita Iulij Agricolæ, Primus, inquit, omnium Consularium Aulus Plautius Britanniæ præpositus est; ac subinde, hoc est, paulo post eum, Ostorius Scapula; vterque tanquam ibi manens, bello egregius. Mox Didius Gallus à prioribus parta continuit, paucis admodum castellis in vlteriora promotis, per quę fama officij

officij aucti quæreretur. Et hic ordo Ducum belli est, seu à quibus Cæsaribus, & quo tempore missorum, illud adhuc videtur in ambiguo manere. Scribit Eutropius libro 7. Claudiú deuicta Britannia per Cneum Sentium, & Aulum Plautium illustres ac nobiles viros, triumphum celebrem egisse. Qui tam ciuilis extitit in amicos, vt eundem Plautium post multa quæ egregiè fecerat in expeditione Britannica, triumphantem ipse prosequeretur, & conscendenti Capitolium leuus incederet. Cornelius Tacitus lib. 12. At in Britannia, inquit, Publium Ostorium Proprętorem turbidæ res exceperunt, effusis in agrum sociorum hostibus, eo hyeme cępta. Occasio turbidarum rerum videtur esse, quód, vt ait Suetonius Tranquillus essent in Britannia tumultus ob non redditos transfugas: quos Antonius Sabellicus adnotauit, esse Adminium, Cunobellini Regis filium, qui vnà cum alijs multis ad Caligulam transfugerat. sub cuius Imperij fine (nam ab eo repetebantur transfugæ Britanni) tumultus ortus Cai Valerij Asiatici fortitudinem experitur. Nam vndecimo libro Tacitus dicit, huius tunc recentem aduersus Britanniam fuisse militiam. Et Cambdenus Aulum Plautium Præsidem in Britanniam à Claudio missum accepisse Dobunos in fidem Populi Romani, præsidiumque his imposuisse, circiter annum, vt ait Dio, tertium Imperij Claudij, qui fuerit post Christum natum quadragesimus quintus. Cui Plautio per eandem Claudium submissus inde fuit Publius Ostorius pro Prætore anno 47. cuius etiam Ostorij morte cognita, ne prouincia sine Rectore foret, Cæsar Aulum Didium suffecit. Quibus ex verbis Taciti manifestum est antequam Ostorius Scapula mortuus esset Plautium ex insula recessisse: alioquin eo præsente, non fuisset sine Rectore. quem Tacitus idem lib. 13. scribit, ouantem se de Britannijs retulisse Romam. Sed ouatio minor est, quàm triumphus. & ouandi, nec triumphandi causa est; cum nomen hostium est humile, victoriaque incruenta obuenit. Qua de re

de re Dionysius Halycarnasseus differentiam ouationis, triumphique demonstrans, Primùm, inquit, ouans ingreditur pedes, neque vehitur curru, sicut triumphator. deinde non induitur veste picta, nec ornatur trabea; qui peculiaris est Consulum, atque Ducum amictus. denique nec vtitur eodem genere sceptri, quo is, qui triumphat. Ideo malè cohærent ea quæ Cambdenus in Brigantibus scribit, Aulum Plautium ouantem triumphasse de Carataco Cunobelini filio, sic enim in Fastis dici, quem Dio Cataeratum vocat. Nam cum eum Tacitus Caractacum appellat, Iustus Lipsius, Sed Britanni videntur, inquit, ipsum appellasse Caradocum. Certè hodiè locus etiam est, quem Caer Caradoc vocant, id est, oppidum, siue arcem Caradoci. sicut Nota 11. demonstraui. quod nomen vt in historia Britannica frequentius, vsurpandum esse iudicaui. Potuit ergo Plautius belligerando contra Caradocum, sæpè illum vicisse, ac inde benè mereri ouationem. non tamen ipse Regem hunc Syluratum, vt ait Lazaius, debellauit, sed Ostorius, cui vt victori Carthismandua illum ad se fugientem tradidit vinctum, anno nono post bellum in Britannia contra illum cœptum. qua supputatione temporis ἀντιχρονισμον esse Lipsius ex Dione probat, quasi septem anni tantummodo fuerint. quod sustineri tamen potest, de annis medijs, vt sublucantur, primus quo ceptum, & vltimus, quo finitum erat hoc bellum. nam quod ait de Venutio scriptum vno loco tanquam imperante Claudio bella mouente; rursúmque alio loco, quasi sub Cæsare Vespasiano; poterit eodem modo excusari, quo Tacitus ipse narrat, se à duobus Proprætoribus Ostorio, Didióque gesta per annos plures, coniunxisse, ne diuisa, perinde ad sui memoriam non valerent. Claudius enim, vt ait Tacitus in Agricolæ vita, fuit auctor operis, quo Britannia vinceretur, transuectis illo legionibus, & auxilijs, assumptoque in

 partem

partem rerum Veſpaſiano, quo tempore gentes domitę, ac reges capti fuerunt. Quos Reges Suetonius Tranquillus exprimens, In campo Martio, inquit, Claudius edidit expugnationem, direptionemque oppidi ad imaginem bellicam, & deditionem Regum Britannię, paludatuſque præſedit. Quibus ita declaratis nihil video, cur Caradocum, & eius fratres ab eodem Claudio eſſe captos negare debeamus, contra narrationem Cornelij Taciti, qui propter adminiſtrationem Iulij Agricolæ ſoceri ſui res Britannicas accuratiſſimè perſcripſit. Ideo autem, quia fuit auctor operis tam perfecti, credo Eutropium ſcribere, hunc Claudium intuliſſe bellum Britannis, quos nullus Romanorum poſt Iulium Cæſarem attigerat.

36. AD officia legum inſtituendis. Idem author lib. 12. Colonia Camalodunum deducitur valida, inquit, veteranorum manu in agros captiuos, vt eſſet ſubſidium aduerſus rebelles, & imbuendis ſocijs ad officia legum. Dio & Camulodunum vocat, & Cunobellini βασίλειον, vbi Regum ſedes antea fuit. Sed lapidi priſco Lipſius inſculptum legit Camalodunum, & id ego ſequor, quia Britanni hodiè Maldon appellant, vt Nota 31. demonſtraui. Ergo ſicut amplius Reges ibi curiam non tenuerunt, ita neque leges, vel Troianæ, vel Mulmutiæ, vel Martiæ, quibus hactenus Britanni vixerunt, in hac Romanorum colonia diutius vim habebant, ſed oportuit Britannos eorum ſocios ibi degentes iure Romano deinceps vti. quod Seneca in Ludo de morte Claudij Cæſaris,

Ille Britannos, inquit,
Vltra noti litora ponti, & cæruleos
Scuta Brigantes, dare Romuleis colla catenis
Iuſsit, & ipſum noua Romanæ iura ſecuris
Tremere Oceanum.

Quibus verſibus, Romana ſecuris ſignificat iuriſdictionem Romanorum, quorum Conſules ſecuribus pro inſigni-

insignibus vtebantur: sicut hodiè Reges ante se latum gladium habent; quasi signum meri imperij, quod Vlpianus l. 3. de Iurisdictione vocat, potestatem gladij ad animaduertendum in facinorosos homines. Et apud Senecam, noua iura demonstrant, leges Romanas esse discendas Britannis nouè receptis in societatem Populi Romani. Hoc non animaduertens Beatus Rhenanus, interpretatur noua iura Romanæ securis dici, propter insulas Orcades, quas Claudius Imperio Romano primus adiecit, vt Eusebius, & Hieronymus Stridonensis, testantur. atque Beda lib. 1. c. 3. Orcadas etiam insulas vltra Britanniam, inquit, positas in Oceano Claudius adiecit Romano Imperio, ac sexto quàm profectus erat, mense Romam redijt, filioque suo Britannici nomen imposuit. Gaufridus autem scribit Claudium auxilio Aruiragi vsum Orcades insulas suæ potestati submisisse. Contra quos tamen sic existimantes, Cornelius Tacitus in vita Iulij Agricolę de Caledonia loquens, hanc oram nouissimi maris, inquit, tunc primùm Romana classis circumuecta, Britãniam, affirmauit esse insulam, ac simul incognitas ad id tempus insulas, quas Orchadas vocant, inuenit, domuitque. Item Poëta Iuuenalis Satyra 2.

Arma quid vltra, inquit,
Littora Iuuernæ promittimus: & modò captas
Orchadas, ac minima contentos nocte Britannos?

Quorum carminũ verba, modo captas Orcadas interpretatus Cambdenus, Tantum abest, inquit, vt Claudius eas deuicerit vt Hadriani tempore Iuuenalis tunc victas esse cecinerit. Si testimonia, numero, dignitateq; ponderemus in scribendis historijs, sicut in iudicijs exercendis facere solemus, pręualet sententia existimantium Orcadas à Claudio Cęsare domitas esse. sed quia Tacitus ex professo scribens hac de re, quod ceteri non fecerunt, ait eas & inuentas, & domitas esse per

Iulium Agricolam socerum suum, illi tanquam antiquiori, temporibusque rei gestę viciniori poterit quis acquiescere pari modo, quo Iustinianus l. 1. de vetere iure enucleando, Neque ex multitudine auctorum, inquit, quod melius & æquius est, iudicatote: cum possit vnius, veluti Aemilij Papiniani, sententia & multos, & maiores aliqua in parte superare. Mihi certè prępropera semper hactenus visa est nominatio Aruiragi quasi coadiuuantis Claudium in Orcadibus capiendis; denique nullam causam vidi, cur ille Cęsar eò vsque versus Septemtriones proficisceretur, quamquam de paruo spatio temporis sex mensium duntaxat absentię ab vrbe Roma propter auctoritatem Bedę nihil diceretur. Sed profectò quoniam historia Britannica sic habet, & Eutropius apertè scribit Claudium quasdam insulas etiam vltra Britannias in Oceano positas Romano imperio addidisse, quæ insulæ appellantur Orcades; nolo plus sapere, quàm oportet, vt tot antiquorum singulariter hac de re loquentium authoritati resistam.

37. AMICVS in hanc vrbem. Serò pœnitens Caradocus in vinculis captus, ad persuadendam Claudio misericordiam, inducit titulum patris sui Cunobelini, qui per Augustum Cęsarem declaratus erat, Senatus, Populique Romani amicus, vt suprà dixi Nota 31. Sed ipse videns transfugas Britannos cum suo fratre Adminio, cùm repeterentur, non esse restitutos; verùm, quod erat peius, Romam ductos pro triumpho Caligulę instituendo. cepit arma contra Romanos, quę per annos nouem in Britannia fortiter exercuit, donec ab Ostorio victus fugerit ad Carthisimanduam Brigantium Reginam, quam ipsius tamen socium fuisse Chamber affirmat. Inde Tacitus lib. 19. Carthisimandua nobilitate pollens, inquit, suam potentiam auxerat, postquam capto per dolum Rege Caradoco, triumphum Claudij Cæsaris instruxisse videbatur. ex hac re sibi parabat opes, & rerum secundarum luxum, spreto marito Venutio; qui præcipuus scientia rei militaris

vir erat

vir erat post captum Caradocum, fidusque diu, & Romanis armis defensus, quamdiu Carthisman suam Reginam matrimonio teneret, sed orto cum ea dissidio, & statim inde bello, etiam aduersus Romanos hostilia induerat, quod ab vxore Romanis viribus consila, ipse, ac propinqui eius interciperentur; donec sub Didio Gallo Proprętore à legione, cui Cesius Nasica prę erat, dissidium illud finiretur, vt ait Tacitus lib. 12. Rursus autem cum id erumperet ad diuortium cum Venutio, & acceptionem Vellocati armigeri eius in matrimonium ac Regnum, Carthismandua in extremum discrimen adducta, petijt à Romanis præsidium, adulteroque deiecto, Venutius in Regnum suum restituitur, & ipsa periculo liberatur.

38. IN Romanorum potestatem redegit. Quoniam hoc retuli ad orationem 4. Nota 5. nihil amplius dicam pro magnitudine huius victorię, quàm quod Egesippus lib. 3. scribit, Vespasianum armis adquisiuisse Romano imperio Britanniam, qui tamen insulam Vectim solum adquisierat. de cuius triumpho Roma opibus ditior, & Claudius Cęsar consilio prudentior existimabatur. Certè in Belgis Cambdenus ex Dione testatur, Plautium & Vespasianum cum sub Claudio Britanniā aggrederentur, copijs in tres partes distributis, ne vno loco appellentes littore prohiberi possint, insulam petijsse. & ex Suetonio narrat, Vespasianum in ea expeditione tricies cum hoste pugnasse. Vectam insulam, quæ obiacet Hamoduno, & duas validissimas gentes in deditionem redegisse, propter quas victorias, & Oceanum feliciter permensum Valerius Flaccus Vespasianum sic affatur:

—— O tu, pelagi cui maior aperti est
Fama; Caledonius postquam tua carbasa vexit
Oceanus, Phrygios prius indignatus Iulos.

Attamen in hoc bello Vespasianum obsessum arctissimè à Britannis, quomodo filius eius Titus periculo

exemerit; & quomodo innoxius anguis tunc temporis ipsum complexus est, quod accepit in omen Imperij, hæc Dio, & Forcatulus exponunt.

39. POMERIVM vrbis auxit. Idem Tacitus lib. 12. Et pomerium vrbis auxit Claudius Cæsar more prisco, inquit, quo ijs, qui protulêre imperium, etiam terminos vrbis propagare datur. Nec tamen duces Romani, quamquam magnis nationibus subactis, eum morem vsurpauerunt, nisi Lucius Sylla, & Cæsar Augustus. Vbi Lipsius, hunc morem lapis antiquus, inquit, Romæ positus æuo Claudij, etiam nunc testatur ista inscriptione:

Ti. Claudius Drusi F. Caisar. Aug. Germanicus. Pont. Max. Trib. Pot. ix. Imp. xvj. Coss. iiij. Censor. P. P. Auctis. Populi. Romani Finibus. Pomerium Ampliauit. Terminauitque. Auxit enim post Britanniam, vt ait Lipsius, Romano Imperio adiectam. Hanc verò amplificationem nequis putet ad pomerium tantummodo pertinere, Cicero lib. 13. ad Atticum scripsit, De vrbe augenda quid sit promulgatum non intellexi. sed id sanè, inquit, scire velim.

40. ILLO importasse creditur. Hæc opinio nascitur ex coniectura certa superstitionis externæ obiectæ vxori eidem suæ, & per Aulum Plautium, cum ipsius propinquis cognitæ, postquam ille de Britannijs ouans ad vrbem Romam se retulisset, vt ad l. 43. Decemvirorum explicaui. Nam quod Vlpianus l. 4. de officio Proconsulis inquit, Proficisci sine vxore Proconsulem melius quidem est; sed & cum vxore proficisci potest, dummodo sciat Senatum Cotta, & Messala consulibus censuisse futurum, vt si quid vxores eorum, qui ad officia proficiscuntur, deliquerint, ab ipsis ratio & vindicta exigatur: hoc fuit ita constitutum, quia non potuit obtineri prohibitio simplex, ne coniux maritum ad officia proficiscentem comitaretur, vt Cornelius Tacitus lib. 3. & 4. demonstrat. Qui author idem cum lib. 12. scribit, Carpento Capitolium ingredi, mos erat sacer-

ſacerdotibus, & ſacris Druidibus antiquitus conceſſus; idem quoque Lipſius, Galli ſanè olim, inquit, vſi ſunt carpentis, ſed pugnæ, non honoris cauſa; nec Druides ſoli, ſed vulgus. Druidum autem religionem, nomenque, quantum in ſe fuit, Claudius Imperator ſuſtulit; vt Suetonius & Seneca teſtificantur. tametſi Plinius lib. 30. ad Tiberium Cæſarem id referre videatur. Sed Tiberium ſcilicet, in Vrbe tantum ſuſtuliſſe, Claudium in ipſa Gallia, Lipſius arbitratur. & ego credo, quãtum in ſe fuit. ſed in Britannia, vnde Druidum diſciplina in Galliam tranſportata eſt, quemadmodum libro 1. demonſtraui; & vnde mos pugnandi de curru inuectus eſt, ibi ſanè non potuit adhuc nomen, aut religio Druidum extirpari. Quocirca piæ fœminæ Chriſtianæ conabantur eam religionem infringere per alterius melioris, veriorisque inſinuationem. Quod officium à Græcina Romana cœptum, Claudia Rufina Britanna (ſic enim Cambdenus eam vocat) Auli Pudentis vxor proſecuta eſt; raræ virtutis mulier, quam poeta Martialis lib. 11. & Epigrammate 54. tantopere laudat.

41 Vt olim Sycamborum. Caius Iulius lib. 4. Germanico bello confecto, multis, inquit, de cauſis Cæſar ſtatuit ſibi Rhenum eſſe tranſeundum. quarum illa fuit iuſtiſſima, quòd cum videret Germanos tam facilè impelli, vt in Galliam venirent, ſuis quoque rebus eos timere voluit, cũ intelligerent & poſſe, & audere Populi Romani exercitum tranſire Rhenum. Acceſſit etiam, quòd bona pars equitatus Vſipetum, & Tenchtherorum, quæ prædandi frumentandique cauſa Moſam tranſiſſet, neque prælio interfuiſſet, poſt fugam ſuorum ſe trans Rhenum in fines Sicambrorum receperat, ſeque cum his coniunxerat. Ad quos cum Cæſar nuntios miſiſſet, qui poſtularent, eos, qui ſibi, Galliæque bellum intuliſſent, vti ſibi dederent, reſponderunt, Populi Romani Imperium, finire Rhenum. Si ſe inuito Germanos in Galliam tranſire, non æquum exiſtimaret; cur ſui quidquam eſſe imperij, aut poteſtatis trans Rhenum poſtularet? Cæſar ponte facto, & ad vtram-

que partem eius firmo præsidio relicto, in fines Sicambrorum contendit. Sicambri diebus decem, quibus pons institui cœptus est, fuga comparata, hortantibus ijs, quos ex Tenchtheris atque Vsipetibus apud se habebant, finibus suis excesserant, suaque omnia exportauerant, seque in solitudinem, ac syluas abdiderant, Cæsar paucos dies in eorum finibus moratus, omnibus vicis ædificijsque incensis, frumentisque succensis, se in fines Vbiorum recepit: atque his auxilium suum tulit, quòd à Sueuis premerentur. Quibus rebus confectis in Galliam se recepit, pontemque rescidit; & reliqua parte æstatis in Britanniam proficisci contendit. Hæc narratio Cæsaris demonstrat Sicambros esse populos transrhenanos, non longè habitantes ab Vbijs, qui ab Agrippinæ Claudij vxoris nomine deinceps Agrippinenses, nunc Colonienses appellantur. Ergo vox Claudij habita fuit asperior contra Siluras, more Sicambrorum penitus extinguendos, quòd eorum historici affirment Sicambros, vt ait Humfredus Lhuidus, à Cambra Belini Britanniæ Regis filia nomen illud accepisse, cũ Antenori ipsorum Regi nupta foret. Sed Trithemius paulo aliter scribit, Antenorem Scytharum ad ostia Danubij Regem à Gothis cæsum anno ab orbe condito 3522. reliquisse Marcomirum filium, qui gentem suam traduxit ad ostia Rheni, atque inde à Cambra Regina Sicambros appellasse. quod Lelandus non probat, Sicambros breuiter existimans dici, qui Scythecambri sunt. Ego lib.2. Nota 2. retuli antiquiorem Pannoniæ vrbem esse Sicambriam, quæ nunc Buda vocetur, vnde nomen accepisse potuerunt.

24. ALVMNAM Genesiam. Arthurius lib.1.c 25. Claudius Britonas, inquit, sapientiâ potius optans subiugare, quàm certamina tot habere, nuncios ad Aruiragum mittit, qui concordiã inirent, daturũque ei filiam Genuissam se promittebat, si tantummodo recognosceret, Britanniæ Regnum esse sub potestate Romanorum. Maiores Regni suaserunt Aruirago conditionibus Claudij acquiescere. nuptiæ fiunt vrbe, quæ de eius

nomine

nomine Claudiocestria in hodiernum diem vsque vocatur. Ac inde vsus Aruiragi auxilio Orcades insulas suæ potestati subiecit, vt Nota 36. dicebam. Contra quæ Cambdenus in Dobunis, vrbs primaria, inquit, quam Antoninus Cleuum vocat, alijs Claudiocestria dicitur, à Claudio Imperatore, vt fabulantur, quum Genissam filiam in ea locasset nuptijs Aruirago Britanno; quasi verò ille alias filias, quàm Claudiam, Antoniam, & Octauiam ex tribus vxoribus habuisset; Aruiragúsque ea ætate vixisset, cuius nomen Domitiani tempore vix primò auditum est. Sed ego puto Gaufridum interpretem historiæ Britannicæ, filiam expressisse, pro alumna; more quodam amico veterum Iurisconsultorum, vt Paulus l. 78. lib. 32. de legatis, Peto, inquit, Genesiæ alumnæ meæ fundum adscribatis. Nam de ætate qua vixit Aruiragus, habet sibi Cambdenus contrarium Polydorum Virgilium, qui eum sub Imperio Neronis; & Lhuidum, qui sub Imperio Vespasiani nominauerunt.

43. MVLIERIBVS. Non solùm viri, sed etiam mulieres sunt in ordine Druidum, tam in Britannia, vbi ea disciplina orta est, quàm in Gallia, quò transferebatur. Etenim Flauius Vopiscus in vita Numeriani Cæsaris, Auus meus mihi retulit ab ipso Diocletiano, inquit, dum apud Tungros in Gallia adhuc militans in minoribus locis, moraretur quadam in caupona, & rationem victus sui quotidiani faceret cum Druide muliere, quæ diceret ei: Diocletiane, nimium auarus, nimiumque parcus es, quòd ipse ioco, non seriò respondérit, Tunc ero largus, cum Imperator ero. Post quod verbum eadem Druias, Diocletiane, inquit, noli iocari. nam verè Imperator eris, cum Aprum occideris. Quibus ex verbis Imperij cupiditatem Diocletianus animo concepit, & in venationibus Apros, vbi facultas fuit, sua manu semper occidit. Sed cum Aurelianus cum Probus, cum Tacitus, cum ipse Carus Imperium accepisset, Diocletianus dixit: ego semper apros occido, sed alter pulpamentum capit. donec tandem occidisset

Aprum præfectum Prætorio, fatalem aprum suum: quem neque manu propria occidisset, nisi vt dictum Druidis impleret, suumque Imperium ita confirmaret.

44. BVNDVICA Regij generis femina. Sic Dio Βουνδουίκαν, Tacitus lib. 14. Boudiceam, & in vita Iulij Agricolæ, Voadicam ducem, generis Regij fæminam apppellat. neque enim sexum, inquit, Britanni in imperijs discernunt. Quod iudicium eius de moribus gentis nescio, quàm sit verum. Nam de vnius fæminæ Cordeillæ imperio in viros, tamquam habito ignominiæ pleno dixi lib. 2. Nota 17. Eadem superius est accusatio de Carthismandua Brigantum Regina, cum caperet Venutij mariti sui fratrem, & propinquos, quod omnes in eam commouerentur, ne fæminæ imperio subderentur. Ergo Britanni suos belli duces sexu discernere solent. Ideò Cornelius Tacitus idem lib. 14. paulo melius, Bunduica testabatur, inquit, solitum quidem Britannis esse, feminarum ductu bellare. quod nec ipsum probabile multum est, vt Carthismandua, & Bunduica duæ Viragines faciant consuetudinem Britannorum, quasi bella gerentium sub feminis ducibus. Sed quòd Populus in causa Reginarum suarum, non soleat auxilium recusare; licet in Cordeilla, & Bunduica res malè cesserit. Scio Cambdenum hæc ad Picthos referre, qui sicut Scythæ, sexum in imperijs non discernunt, nec à sceptris gerendis fœminas excludunt: quam ad rem, quia Bedam auctorem producit, libentius assentior.

45. VICTIMASQVE Claudij Cæsaris. Idem Tacitus, Ad hæc templum, inquit, Claudio Cæsari constitutum, quasi ara æternæ dominationis aspiciebatur, delectique sacerdotes, specie religionis, omnes fortunas effundebant. Lipsius mavult arram legere, quasi templum id, esset pignus, & arrabo æternæ seruitutis. Sed Beatus Rhenanus contrà in Scholijs ad ludum Senecæ de morte Claudij, hoc templum dicit

vrbe

vrbe Camaloduno constitutum esse Claudio, quasi aram æternæ dominationis, quia Lucius Anneus, Parum est, quòd in Britannia templum habet Claudius, nisi etiam nunc, inquit, Britanni colant eum; & vt Deum orent. Nec est probabile Aruiragum, qui templum hoc ædificasse creditur, id in testimonium seruitutis æternæ voluisse construere. In quod legebantur Pontifices, inquit Lipsius; Flaminesque Claudio, ex prouincialibus ipsis, quibus ad sacra, victimasque Claudij tamquam Diui sumptus multi faciendi erant. Credo propterea, quòd iam placuisset in omnibus Imperatoribus, qui facti Diui essent instituere sodales, sicut lib. 1. Annalium Tacitus de sacerdotio Augustalium sodalium loquitur, qui nouas cærimonias Augusti Cæsaris accepissent.

46. FORNVS in Britannia. Cambdenus ex Tacito cæterisque, Gens Icenorum, inquit, valida, & postquam in Romanorum fidem se permisisset, ad Claudij tempora prælijs non concussa, tunc cum Ostorius Proprætor flumina castris muniret, Britannisque arma detraheret, contractis copijs se opposuerunt: sed à Romanis perrupto aggere, quo se obsepserant, non sine clade magna deuicti sunt. qua in pugna sanè multa, claraque facinora fecerunt, & Marcus Ostorius Publij Legati filius seruati ciuis decus meruit. Hoc bello sic sopito, vix decimus tertius annus agebatur, cum noua tempestas bellorum his ab initijs orta fuerit. Prasutagus Rex Icenorum, vt à sua gente calamitatem, tametsi priuatis incommodis suis redimeret, Neronem Imperatorem scripsit heredem, obsequio tali ratus & Regnum, & domum suam procul ab iniuria fore. quod factum eius, omnes res contrà vertit. adeo vt Regnum, per Centuriones; atque domus per seruos velut capta, vastarentur. Etenim primùm vxor Bunduica, verberibus affecta, & filiæ stupro violatæ sunt. Præcipui quique Icenorum quasi cunctam regionem Romani muneri accepissent, bonis auitis exuebantur, & propinqui Regis inter mancipia habebantur. Qua con-

contumelia, & metu grauiorum (quando in formam prouinciæ cesserant) arma rapiunt, commotis vnà secum Trinobantibus & alijs, qui nondum seruitio Romanorum assuefacti, vnà secum resumere libertatem occultis coniurationibus conspirauerant, acerrimoque in veteranos milites odio accensi erant. Hinc exarsit bellum funestissimum. cui faces addidit auaritia Senecæ, qui sub id tempus quadringenties sestertium (ducenta scilicet millia librarum Anglicarum) fœnus vsuris maximis cumulatum acerbius exigebat. Hoc bello Prasutagi vxor, (quam Leænam dolosam Gildas appellat) octoginta millia Romanorum, sociorumque ipsorum occidit, Camalodunum coloniam, & Verulamium municipium excidit, Legionem nonam fudit. Catum decianum Procuratorem fugauit. Sed iusto prælio tandem à Suetonio Paullino fracta, cum animi constantia inuicta, vt Tacitus scribit, hausto veneno; vt Dio scribit, morbo diem obijt. Neque post illud tempus de Icenis apud plerosque authores scribitur aliud, quàm quòd Romani, præcipite iam eorum imperio, nouum magistratum oræ maritimæ per horum, & aliorum regiones, ad cohibendas Saxonum deprædationes præfecerint, quem Comitem littoris Saxonici per Britanniam vocauerunt. Sed quod pertinet ad causam Senecæ, ne quis putet Insulam caruisse tali vexatione pecuniarum ex vsuris, ac fœnore, planè similem vsuram in Britannia exercuit Claudius Contentus Ausonij patruus. qui post ingentem pecuniam fœnori occupatam inter Britannos, & vsuris multiplicatã morte præreptus eandem heredibus extraneis ibi reliquit. qua de re Poëta funebre carmen octauum in suis parentalibus istud scripsit:

Et Patruos Elegia meos reminiscere cantu,
Contentum, tellus quem Rutupina tegit:
Magna cui, & variæ quæsita pecunia sortis,
Heredis nullo nomine tuta perit.
Raptus enim, lætis & adhuc florentibus annis,
Trans mare, & ignaris fratribus oppetijt.

47. VIRI,

47. VIRI, si vellent, viuerent. Vehemens oratio ex persona feminæ loquentis ad viros sub se militantes, & eorum virtutis, fortitudinisque sermo reprehendens ac mordax est, nisi strenuè pugnauerint. Sic Imperator apud Ennium, vt Cicero lib. 1. de officijs refert, exemplo Clœliæ virginis, ignauiam suorum militum iustè increpans,

Vos etenim iuuenes, inquit, *animos geritis muliebres,*
Illaque Virgo viri.

De quibus animorum pro vario sexu affectionibus in Elogio Mineruæ Tubę cuius initium est, Ælia Lælia Crispis, multa disputauimus. Itaque cum viros iubet sequire Romanis, qui nolint pro libertate, patriaque pugnare, libenter cadit in id argumentum, quod Cicero exponens paradoxo 5. Quid valet illa eloquentissimi viri Lucij Crassi copiosa magis, inquit, quàm sapiens oratio: Eripite nos ex seruitute. Nolite sinere nos cuiquam seruire, nisi vobis vniuersis, quibus & possumus & debemus. Si quidem animo excelso, & alto, & virtutibus exaggerato fuisset ille Lucius Crassius, nec deberet, nec posset seruire. posse, tamen se diceret, quandoquidem potest. debere, se non diceret: quoniam nihil quisquam debet; nisi quod est turpe, non reddere. Ille verò videat, inquit Cicero, quo modo Imperator esse possit, qui sic loquitur, & cogitat, quum ne liberum quidem eundem esse, ratio & veritas ipsa conuincat.

48. NON curiosos serendis frugibus. Cum Britannia sit omni genere frugum tam beata, fertilisque, vt ipsius Cereris sedes esse videatur, vt Imperij Occidentis horreum existimetur, quemadmodum lib. 1. demonstrauimus, istud est mirandum quod Tacitus lib. 14 scribit, nihil ęquè Britannos affligere, quàm famem, vt non curiosos serendis frugibus, & omni ætate ad bellum versa. Quod idem Cæsar lib. 5. Interiores plerique, inquit, Britanni frumenta non serunt, sed lacte & carne viuunt, pellibusque sunt vestiti. Et hanc parsi-

parsimoniam in Cambris, qui vulgo dicuntur Valli, etiam nunc. Humfredus agnoscens, Homines lacticinijs maximè, inquit, educati, agilibus, benéque compactis ad agenda omnia munia corporibus aptissimi sunt. Nuper tamen vrbes habitare, artes mechanicas discere, mercaturam exercere, terram optimè colere, reliquaque omnia munera publica obire, non secus, atque Angli, solent. Equidem puto Britannos tempore belli non esse curiosos, vt ait Tacitus, frugibus serendis, & idcirco Mulmutium Regem de aratris certo numero in qualibet Diœcesi exercendis constituisse, ne populus inopia frumenti premeretur, vt lib. 3. demonstraui. Hoc Gyraldus, Britonum gens, inquit, leuis, gens aspera potius, quàm robusta, gens armis dedita tota. non enim soli nobiles, sed populus totus ad arma paratus habetur. Bellica sonante tuba, non segnius ab aratro venit agricola, quàm nobilis ad arma prorumpit ab aula. Terram Martio, Aprilique mensibus aperiunt semel ad auenas; nec in æstate bis, vel in hyeme tertiò ad trituram tritici terras vertendo laborant. Totus propemodum populus armentis pascitur. Auenis, caseo, lacte, butyro, & carne plenius, sed pane vesci parcius solet. Paci tuendæ, libertatique incumbunt. pro patria pugnant, pro libertate laborant; proque his ferro dimicare, vitamque dare dulce arbitrantur. quocirca in lecto mori turpe, in bello cadere decus esse existimant. Et hi olim Aeneadûm reliquiæ, in ferrum pro libertate ruebant.

49. PETRVS venisse in Britanniam. Gaufridus Arthurius lib. 1. c. 25. Eò tēpore, quo Claudius Romam rediturus Aruirago, inquit, Regimen prouincialium insularum, commisit, Petrus Apostolus Ecclesiam Antiochenam fundauit, Romamque deinde veniens, ibidem Episcopatum tenuit; & Marcum, Euangelium, quod ipse scripserat, Petrus confirmans, prædicare misit; illeque perrexit in Aegyptum. nec addit Gaufridus de Petri aduentu in Britanniam. Sed Cambdenus, Illud est certum, inquit, Britannos ipso Ecclesiæ princi-

principio religionem Christianam accepisse. Nam vt Iosephum Arimathæum omittam, Dorotheus Tyri Episcopus in sua Synopsi Apostolorum, Simonem Zeloten, qui Mauritaniam peragrauit, tandem in Britannia occisum, sepultumque esse scribit. Item Aristobulum, cuius in epistola, quam scripsit ad Romanos, Paulus meminit, Episcopum Britanniæ fuisse factum. Quin etiam ipse Petrus penetrauit in Britanniam, verbique diuini lumen ibi diffudit. quod Nicephorus probans Eandem, inquit, doctrinam, ad Oceanum occidentis, Insulasque Britannicas perfert. Idem Aloysius Lippomanus è Simeone Metaphraste probat. iterum in Belgis Cambdenus in insula Auallone, sic à pomis Britannicè dicta, inquit, floruit monasterium Glasconiense, quod suam originem admodum antiquam repetit à Iosepho illo Arimathensi, qui corpus Christi sepulchro condebat; & quem Philippus Gallorum Apostolus in Britanniam misit, vt Christum prædicaret. Hoc enim & antiquissima eiusdem monasterij monumēta, testantur, & Patricius Hiberniensium Apostolus, qui annos triginta in eodem egit vitam monasticam, quadam epistola suà demōstrat. Nec est causa, propter quam hac de re dubitemus, inquit, cū Freculphus Lexouiensis scripserit, Philippum illum barbaras gentes, vicinasque tenebris, & Oceano coniunctas, deduxisse ad scientiæ lucem, fideique veritatem. Quocirca Polydorus libro 2. non prudenter cum dubitatione protulit, siue casu, siuè consilio Iosephum illum ab Arimathæa venisse in Britanniam cum non paruo comitatu. vbi tam ipse, quàm eius socij, cum de Euangelio prædicarent, atque sedulò dogma Christi docerent, multi per eos ad veram pietatem traducti, salubriter baptizati sunt. Ac isti certè viri diuino spiritu afflati, cum à Rege Aruirago parum terræ ad inhabitandum propè Velliam oppidum, circiter millia passuum quattuor, dono accepissent, ibi prima fundamenta iecerunt nouæ religionis, loco cui nomen est Glasconia. Quæ Christianæ pietatis in Britannia primordia ferè post extincta, deinde Rex

Lucius Baptiſmi fonte ſublatus mirabiliter accendit, piéque adauxit.

50. NON vale dici, permitteret. Quàm fuerit immanis iſta crudelitas, vt quis ad mortem rapiatur tam ſubitò, ne poſſit vltimum vitæ verbum, amicis dicere, Vale, demonſtrat Auſonius, cum id nimis eſſe durum dicat inter viuos, ſolùm abſentes, qui per interualla locorum non poſſunt ſimul viuere. Nam in epiſtola 12.

Quis prohibet Salue atque Vale, inquit, *breuitate parata*
Scribere? feliceſque notas mandare libellis?

51. COGNOMENTO Cogiduno. Idem Arthurius libro 1. c. 26. Iam, inquit, Romam redijt Veſpaſianus, & in Britannia manſit Aruiragus, vergenſque ad ſenectutem, diligere Senatum, Populumque Romanum cœpit, ſuumque Regnum cum pace ac tranquillitate adminiſtrare. Leges veteres, quæ fuere veteris traditionis, confirmare; nouas verò, prout neceſſitas vrgebat, inuenire ſatagebat. maxima dona viris bonis tribuebat. Per totam igitur Europam fama eius diuulgata, Romani & diligebant ipſum, ac timebant. adeo vt præ omnibus ceteris Regibus Britanniæ de Aruirago fuerit ſermo Romæ præcipuus, ipſeque Iuuenalis de Rhombo capto, & in vrbe monſtrato loquens, nomen eius Neroni Caluo, (ſic enim dictus eſt Domitianus propter crudelitatem & caluitiem) commemorauerit, quaſi præſagium alicuius futuræ victoriæ.

Regem aliquem capies, inquit, *aut de temone Britanno*
Decidet Aruiragus.

Cuius dies vitæ cum explererentur, ſepultus eſt Claudioceſtriæ in quodam templo per eum conſtructo, & in honorem Claudij Cæſaris dedicato. Succeſſit in Regnum ſuum, filius ipſius Marius, vir miræ prudentiæ, atque ſapientię. Animaduerto quod ait, in Regnum ſuum patris, ſucceſſiſſe Marium. nam cum eſſet cogno-

mento Cogidunus,quędam ciuitates ei,tamquam Regi (vt ait Tacitus in vita Iulij Agricolæ) donatæ sunt a Romanis. Qui ad nostram vsque memoriam, inquit, fidissimus mansit. & is eas ciuitates accepit ea conditione, vt vetere ac iam pridem recepta Populi Romani consuetudine haberet instrumenta seruitutis, & regis. Quæ verba Cambdenus malè recitans in Regnis, Britanniæ populis, Hoc tractu, inquit, qui Regnum vocatur, & sub Regio dominatu, permanere a Romanis permittitur, Cogiduno Regi Britanno, quædam ciuitates, vetere Populi Romani consuetudine donatæ sunt,vt haberent instrumenta seruitutis, & reges. Neque enim ciuitates donatæ habebant hęc instrumenta, sed ipse Rex, cui dabantur; tamquam feuda Populi Romani, vt nos hodiè loquimur. pro quibus, quasi beneficijs præstatur seruitium, & nihilo secius potestas Regia manet, sed cum recognitione tantummodo Superioris. Et hæc consuetudo vetus Romanorum, vertendi regnum in formam Prouinciæ dicitur in Iure ciuili feudalis.Cuius mutationis(inquit Tacitus lib.19.) fuit impatiens Anicetus Polemonis libertus, vir olim prępotens in ora Pontica,sed in Britannia Cogidunus, & Aruiragus pater eius, huiusmodi mutationem patiebantur, vt ego quidem arbitror, secreto iudicio Dei, volentis per Romanos Insulam fieri Christianam, vt etiam superius lib. 2. Nota 9. dicebam. Aulus enim Fabricius Veiento, cœcus adulator famam Aruiragi demonstrauit hoc modo. Cum Rhombus insignis caperetur, & ille piscis magnus ac planus, cui dextrum latus est resupinum, veheretur curru, vt Populo Romano melius ostenderetur, Nemo magis Rhombum stupuit, quam iste Fabricius, qui vt

Phanaticus, æstro
Percussus Bellonæ, voluit diuinare, quòd ingens
Omen haberet Cæsar, magni, clarique triumphi.
Regem aliquem capies, inquit, *aut de temone Britanno*
Excides Aruiragus.

Quem Principem in Britannia Regem, Cunobeliniáque filium, Iuuenalis Satyra 4. & Tacitus lib. 14. ad augendum crimen impudentis audaciç commemorant eò libentius, quòd Rhombus esset, peregrina Romæ bellua; quòd erectas in terga sudes, id est, spinas haberet; quòd curru vectus imitaretur Britannos, qui de curribus & essedis in prçlio decertabant, Verum enim verò non longè a ciuitate Carleolo in confinibus Nouantum sita, inuentus lapis est, cum hac inscriptione, Marij victoriæ. quem trophæi causa ego, inquit Humfredus, credo erectum à Mœurigo (hunc alij Aruiragum Latinè, alij magis aptè Marium vocant) ob deuictos ibi Picthos, occiso eorum Rege Roderico, qui tunc, vt Saxones, piraticam per mare Britannicum exercebant, Hoc sermone Humfredi productam confusionem duarum personarum, patris ac filij tollere cupiens, Marium Aruiragi filium cognomento sum arbitratus dici Cogidunum, quòd ad Imperium Domitiani, quo Tacitus historiam scripsit, iste fidus Senatui, Populoque Romano permanserit. Et Gaufridus regionem, qua Marius lapidem erexit in signum triumphi, de nomine ipsius Vestemariam vocauerit, licet regionem, in qua Picthi postea manserint, Cathenesiam appellet. Meminit tamen vxorum, quas Picthi acceperint ex Hibernia, quòdque de illa coniunctione nati sint Scoti. quamquam ego non proposuerin, inquit, historiam Picthorum siue Scotorum scribere. Quæ quidem verba mihi quoque suffecerint, ad satisfaciendum expectationi horũ, qui fortasse gentis alicuius singularem rerum in Britannia gestarum notitiam desiderent.

52. FORTVITA. Nihil iniustius in rebus bellicis est, quàm ea, quæ ducibus fortuitò accidunt, reputare perinde, ac si consultò facta forent. nam in illis casus, in his culpa versatur. illorum semper honesta est excusatio, sed horum punitio est necessaria. Quippe, Alexander l. 5. de pigneratitia actione, Quæ fortuitis casibus accidunt, inquit, cum prçuideri non potuerint nullo modo præstantur. Attamen optimus dux be

Sueto-

Suetonius, interrogatus ſententiam, eamq; liberè dicens, ex leuibus aliarum rerum fortuitarum coniecturis proditor ſine iuſta cauſa exiſtimatur ipſe Dux belli magis infelix, quàm imprudens.

53. VNVS ex Pręſentibus. Tacitus lib. 17. quem Lipſius facit 2. hiſtoriarum, Marcus Cluuius Rufus comitatui, inquit, Principis adiectus eſt, nec adempta Hiſpania, quam rexit abſens. Non idem Trebellio Maximo honos. iſte profugerat Britannia, ob iracundiam militum. Miſſus eſt in locum eius Vectius Bolanus è Pręſentibus. ideſt. è comitatu principis Vitellij. Nam vt Cambdenus in Cantio ſcribit, ora maritima, quàm littus Saxonicum dixerunt, à Diocletiani tempore Pręfectum habuit, quem Marcellinus, comitem tractus maritimi: liber notitiarum, ſpectabilem virum littoris Saxonici Comitem per Britanniam vocat. munus erat eius, littus per loca oportuna præſidijs communire, ad reprimenda latrocinia barbarorum. Erat autem ſub diſpoſitione illuſtris Magiſtri peditum, quem Præſentalem dixerunt, qui pręter hęc ad portus præſidia, ei aſſignauit in omnia momenta Victores Iuniores Britannicianos, Primanos Iuniores, & Secundanos Iuniores, quæ ſunt nomina cohortium: Habuit verò ſuum officium hoc modo: Principem ex officio magiſtri Præſentalium à parte peditum, Numerarios duos, commentarienſem, Cornicularium, Adiutorem, Subadiutorem, Regerendarium, & ſingulares Exceptores. quod inſtitutum Romanorum imitati ſunt Britanni, cum Præfectum huic oræ maritimæ fecerint, quem vulgò Guardianum quinque portuum vocant. quia portubus iſte pręeſt, ſicut Comes littoris Saxonici nouem portuum curam adminiſtrabat.

54. A PARTIBVS Othonis. Illud eſt ſummæ prudentiæ conciliare ſibi eos, qui fuerunt inimici noſtrorum aduerſariorum. ſpes enim eſt illos nobis fidos futuros. Sed antè dicebâtur, milites in Britannia fauiſſe Vitellio, ad quem Trebellius Maximus ex inſula fugerat, & a cuius comitatu Vectius Bolanus eò miſſus erat.

Quod est verum, quamdiu Vitellio fortuna fauebat. sed cum res eius inclinare cæpissent, etiam eorum fauor, more vulgari hominum, ipsam fortunam secutus est, ab eoque desciuerunt plerique, præter centuriones, ac eos, quos Vitellius prouexit, quique illum iam expertum sibi bonum principem, deserere non voluerunt.

55. ANIMOS auctore Venutio. Tertium hoc & vltimum bellum ex Venutio est, propter inductioné armigeri sui nunc facti per vxoré adulteri, & ob priuationem Regni marito ablati, duas causas iusti belli grauissimas. Secundũ erat institutum contra Cartismanduam, quia propinquos, & adfines Venutij mariti fraude ceperat. Primum verò propter solum inter ipsos coniuges dissidium ex causa, vt videtur, factionum inter Brigantes, quos vxor regebat, & Iugantes, ex quibus maritus erat. nam in meo libro Taciti Ludouicus Viues sua manu scripsit, Iugantes esse populos alios Britanniæ, quàm sint Brigantes; licet Cambdenus pro Iugantum ciuitate lib. 12. annalium Cornelij Taciti, Brigantum ciuitatem supponere vellet, si sibi per Criticos liceret, quos hodiè audaciæ admodum ingeniosæ esse scribit. Eorum ipse, quia mihi notus Oxonij fuit, vtinam non esset Criti orum maximus. Mela dixit, Britanniam ferre populos, ac reges populorum. Iste nunc contra fidem omnium exemplarium tollit Iugantes ex Tacito, eosdemque populos ex Britannia. Fulgosius Genuensis, vt suprà referebam Nota 32. scribit Ambrones fuisse cum ijs populis Germaniæ, qui Britanniam ingressi, postea vi retinuerunt. idem adfirmabat deinde Caius Londinius. contra quem iste, nescio quàm ingeniosè, scio quam audacter, Inter has etiam gentes, quæ Britanniam incursarunt, inquit, Ambrones reponit Ioannes Caius, vir optimis curis exercitatus, & de Republica literaria optimè meritus. Obversabatur enim bono seni, quod apud Festum legerat, Ambrones cum Cimbris se in Italiã effudisse. Sed excidit ei aliudagenti, ambronem, vt notat Isidorus, significare deuoratorem. Quid est enim eius Criticus Græcè, nisi Iudex alterius

teme-

temerarius, Latinè dictus? Cur irridetur hic Caius, quem ego Londini bonum verè, pariterque doctum senem salutaui? nec irridetur ille Caius Suetonius, qui scripsit Iulium Cæsarem cum Cneo Pisone fuisse pactum, vt simul ille foris, & ipse Romę ad res nouas consurgerent per Ambrones, & Transpadanos? nam ibi Philippus Beroaldus, Ambrones, fuerunt, gens Gallica quædam, inquit, quos cum Cimbris, Teutonisque Marius deleuit. ex quo tempore, quasi prouerbium tractum est, vt homines vitæ turpis, ambrones dicerentur. Huiusmodi verò factiones populorum, quas dixi, Tacitus ipse in vita Agricolæ demonstrans, Olim Regibus, inquit, Britanni parebant; nunc per principes factionibus, & studijs trahuntur.

56. LVDIBRIVM illud Caij Caligulæ. Cuius adhuc vestigium antiquissimum in littore superest, vocaturque Armamentarium Britannicum. nam iste Cæsar Caligula ad maius indicium victoriæ, altissimam turrim quasi perpetuum adeptæ gloriæ monumentum excitauit, qualem ædificasse Iulium Cæsarem suprà Nota 34. demonstrauimus. Hac è turri voluit, sicut ex Pharo ignes noctu ad regendos nauium cursus emicare; nihilo secius tamen in eam ingressus, quasi Britanniam hoc modo ingressus esset, qua ex re nomen Britannicæ domus etiam retinet, militibus pronuntiat donatiuum, vt ait Suetonius Tranquillus, centenos viritim denarios dari. Sed Cornelius Tacitus lib. 20. scribit, hunc Cæsarem Caligulam agitasse de intranda Britannia. Verùtamen ingenij mobilitate retentum, & penitentia, substitisse. Itaque, ait Beroaldus, qui agitauit de intranda Britannia, is non intrauit; sicut is, qui de bello gerendo cogitauit, vtique bellum non dum gessit. Eo liberius pater Brennonis eum, ita bella ludentem spreuit. Hic Brenno in codice Lipsij, Brinio scribitur, quem ille Brunonem verius vocari suspicatur. in libro meo, qui erat Ludouici Viuis, appellatur Brenno. & fortasse Polydorus Vergilius, ita legit nomen eius, cum nobis obtruderet aliquem Brennum natione Gal-

ſum, qui exercitus in Græciam duxerit, vt ſupra lib. 3. Nota 4. demonſtrauimus. de iſta Britannica domo, quam vulgus etiam nunc nominat Cambdenus in Inſulis Britannicis, Ad littus Hollandiæ inferius, quà Rhenus olim, inquit, exonerauit ſe, obteguntur fluctibus Armamentarij antiquiſſimi fundamenta, quæ inundatione Oceani rarius nudata, ſpectaculum admirandum venerandæ antiquitatis, nobiliſſimamque ſubſtructionis formam exhibent, quam elegantiſſimis typis Abrahamus Ortelius Geographiæ veteris inſtaurator ex Oceano ipſo vindicauit. Iſtam eiuſdem Ortelij laudem agnoſcerem, ſi meam patriam Baſinſtochiam in tabulis Geographicis Angliæ non obruiſſet, quam omnes alij hactenus expreſſerunt. Nam vt illud eſt in cõfeſſo, Caium Caligulam, cum Britanniam cogitaret in illa ludicra expeditione, hãc turrim pro Pharo conſtruxiſſe: ita Septimium Seuerum vetuſtate collapſam reſtituiſſe antiqua inſcriptio ibi effoſa teſtatur. A Britannis nomen ſortiri, probabile eſt. Huc enim Britannos appuliſſe ſępenumero; & hinc è Germania in Britanniam traiectum fuiſſe, nemo poſſet diffiteri, ſi meminerit quomodo Zoſimus Oceanum inter Britanniam, & hoc Rheni oſtium, interfuſum, 900. ſtadijs, tanquam vſitatum traiectum dimenſus fuerit, ſcripſeritque annonam è Britannia ſolere ad hunc locum ſubuehi, & inde fluuialibus nauigijs aduerſo Rheno ad caſtra Romanorum diſtrahi. Ergo cum Iulianus Cæſar, horrea extrueret, vbi condi poſſet annona, inquit Marcellinus, à Britannis ſueta transferri, ab eo tempore fuit hoc Armamentarium conuerſum in horreum, & ex annona Britannica, Britannicum appellari cepit. eoque magis id credi poteſt, quòd in monimentis Hollandiæ Britenburgus vocetur. Illa enim ætas hominum, caſtra opportuna, & referta annonæ copia, burgos nominauit, vt in hiſtoria Burgundionum demonſtratur. Idem Zoſimus tamen lib. 4. narrat Clementem Maximum, qui ſumpſit in Britannia purpuram, contra Gratianum Imperatorem,

ad hoc

ad hoc ostium Rheni adpulisse, quod Britanni milites eius occupantes, suo nomine postea clarum fortassis effecerunt: quarum opinionum prima de Caligulæ structura, vt est antiquior, ita nomen indidisse turri poterat, quod aliæ post occasiones recitatæ vel frumenti exportati, vel populi ex Britannia educti merito retinuerunt.

57. PRO imperio Galliarum obstrinxerunt: Hæc fatidica cantio Druidum, penitus vana non fuit, de translatione Imperij Romani ad Gallos, siue continentis, vnde Cæsares. Pontificesque Romani assumpti sunt, ipsaque Sedes Apostolica per aliquot annos Auenioni mansit: siue ad Gallos Insulæ, vt Constantinum, qui de magnitudine rerum gestarum, cognomentum Magni assecutus est; & Ricardum Henrici 3. Regis Anglorum fratrem, Cornualliæque Comitem, qui, anno post mille ducentos quinquagesimo septimo per Septemuiros Germaniæ Principes, Romanorum Rex eligitur. Et Adrianus Quartus, Summus Pontifex ex Anglia natus est, vt Gulielmus Neubrigius lib. 2. rerum Anglicarum c.6. demonstrat. Licet ista propriè ad Imperij Romani translationem non pertineant: Sed quòd idem Cōstantinus post donationem suam Siluestro Pōtifici factam, ex vrbe Roma in Orientem ad vrbem Byzantium Imperium Romanum transtulerit, vti Gratianus distinctione 96. decretorum c.14. testificatur; & inde pòst Secundus Stephanus Pontifex Romanus in persona, Caroli Magni reuocauerit illud Imperium ad Occidentē, transtuleritque in Germanos, quemadmodum Innocentius Tertius c.34. de electione narrat, idque rectè. quoniam Eboraci mortuo Constantio patre, Constantinus cunctis, qui aderant, illud adnitentibus quidem, sed præcipuè, inquit Sextus Aurelius victor, Eroco Alemannorum Rege, auxilij gratia Constantium comitato, imperium acceperat. Quamquam ipso translationis tempore Caroli magni virtus id meruerit.

58. OBSEQVIVM cum securitate. Ista securitas

est, propter quam ceteræ nationes, Britanniique sub Imperio Romano viuere maluerunt, constatque ex protectione Romanis armis præstita, vt in defensione Venutij, dum erat amicus; & in liberanda Carthismandua de periculo, supra demonstratur. Pro cuius securitatis præstatione ab ijs, qui eam obtinent, vicissim obsequium debetur. quod tamen Cassuellanus quasi seruitutis signum esse, Cæsari rescripsit. atque verum est, in populo libero. quia, vt Tryphoninus ait l. 10. de obsequijs præstandis, nihil imponi liberis hominibus solet. idcircoque populus non liber, & Rex non liber dicitur superius Nota 51. instrumentum seruitutis habere: quod posteri seruitium, in obsequendi facilitate magis, quàm seruiendi contra naturam aliqua necessitate positum appellant & rectè. quandoquidem obsequium liberi sic præstant parentibus, vt liberti patronis.

59. AVLI Plautij Consularis Legati. Suetonius Tranquillus in vita Flauij Vespasiani, Claudio Principe, inquit, & Narcissi gratia legatus Legionis in Germaniam Vespasianus missus est, inde translatus in Britanniam tricies cum hoste conflixit, duas validissimus gentes, viginti oppida, & insulam Vectem Britanniæ proximam in deditionem redegit, partim Auli Plautij Consularis legati, partim ipsius Claudij ductu. Eutropius lib. 7. dicit tricies & bis cum hoste Vespasianum in Britannia conflixisse. Quocirca Valerius Flaccus hanc eius aduersus Britannos victoriam lib. 1. Argonauticôn laudibus extollens,

O, inquit, *pelagi cui maior aperti*
Fama, Caledonius postquam tua carbasa vexit
Oceanus, Phrygios prius indignatus Iulos.

Et Silius lib. 3. Punicorum

Huic pater ignotam donauit vincere Thylem, inquit,
Inque Caledonios primus trahit agmina lucos.

60. CAVSAS bellorum exscindere. Tacitus in vita Iulij Agricolæ, Ille prudens, inquit, animorum prouinciæ, simulque doctus per aliena experimenta, pa-

rum profici armis, si sequerentur iniuriç, causas bellorum exscindere statuit. quas causas vno verbo vocat iniurias. quasque Britannos ægrè ferre lib. 1. Nota 28. dixit. planè sicut Vlpianus l.1.de iniurijs, Ex eo,inquit, dicta est iniuria, quòd non iure fiat. omne enim id, quod non iure fit, iniuria fieri dicitur. & hoc quidem generaliter: sed specialiter omnis contumelia dicitur iniuria, nimirum à contemnendo. cuius generis, quçdam Cornelius Tacitus ex Britannorum sermone, Agricolæque iudicio recenset. alia plura sunt in orationibus Bunduicç, Galgaci, & Claudij Ciuilis diligenter commemorata. Hoc igitur Agricola etiam habuit ex studio Philosophiç, vt sublatis bellorum causis, ipsa bella finirentur. Nam axioma philosophorum est, ablata causa efficiente cuiusque rei, etiam tolli rem ex ea causa effectam.

61. VERE pars vna Seruitutis, Paullatim discessum est à Britannis. inquit Tacitus, ad vitiorum delinimenta, porticus, & balnea, & conuiuiorum elegantiam. idque apud imperitos Humanitas vocabatur, cùm pars seruitutis esset. ista quoque moderatio viuendi commendata per vitiorum reprehensionem descendit etiam ex præceptis philosophiæ, quibus maximè Stoicis consentaneum est, si quis appellet Seruitutem, quoties voluptatibus inseruiatur. Neque speciosum nomen Humanitatis, potest abolere vitiositatem contra hominis intellectum, rationisque sensum malis moribus introductam. Nec hodiè corrigitur elegantia conuiuiorum, vsque ad perniciem rei familiaris plurimorum in Britannia nobilium, adeo vt Desiderius Erasmus, qui præsens eam viderit, mensas Britannicas, nimiam conuiuandi licentiam appellet, & cum Syracusanis comparandas esse scribat.

62. OCCASIONE QVE se victos. Nihil est perniciosius homini victo, quam nolle se viribus victum, sed fraude, doloque, & occasione rerum, esse superatum, credere. nam ita se fallit inani quadam negligentia hostis, tamen sui victoris; atque vana fiducia pro-

priarum virium, quas per experientiam minùs potentes esse nouit. Id apparuit in militibus Quartædecimæ legionis, Ticini superatis à Vitellio Cæsare, quamquam de victoria, quod attinet ad suam legionem, nullo modo fateri vellent.

63. TRINOBANTES Duce fæmina. In plerisque libris de vita Iulij Agricolæ Tacitus, Brigantes, inquit, femina Duce exurere Coloniam potuit. vbi Cambdenus, Trinobantes, inquit, vt legas, ipsa veritas iubet. de Bunduica enim Regina loquitur, cui nihil negotij cum Brigantibus erat. Trinobãtes autem illa concitauit in seditionẽ, & Camalodunũ Coloniam exussit.

64. VICTIS ira, virtusque redibat. Ista non est virtus fortitudinis, quæ magis ira, quàm ratione constat. sed est pertinacia quædam potius, victorem prouocans ad pœnam mortis infligendam.

65. IN fines Horestorum. Cambdenus in Scotia, Gadenis ad occasum proximi erant olim Selgouæ, inquit; versus illud alterum fretum, quod Angliam & Scotiam interluit. Hi occupauerunt Eschedalam in qua Horestos habitasse iudicamus. ad quorum fines Iulius Agricola deuictis Britannis, qui in eo tractu sederunt, Romanum exercitum deduxit. si Horescos pro Horestis apud Cornelium Tacitum legamus. Nam Britannicè significat ar-Esc. locum ad Escam flumen.

66. SVO nomine Luculleas. Suetonius in vita Domitiani, Salustium Lucullum, inquit, Britanniæ legatum Domitianus occidit propterea, quòd lanceas nouæ formæ Luculleas appellari passus esset. Quo loco Beroaldus, Quid inquit, criminis est, à nomine suo pati Lanceas vocari? cum Lucius Lucullus ille Romanorum præstantissimus indiderit nomen suum marmori LucullEo, quòd esset admodum delectatus eo, propter ipsius colorem atrum?

67. MVRVS Picthicus appellatur. Romani cum vlteriores Britanniæ regiones, inquit Cambdenus, cœlo, soloque aspero viderent habitari à Britannis Barbaris, in quibus perdomandis esset laboris plurimum,

mum, sed emolumenti parum, varias varijs temporibus Prætenturas, siue Clusuras ad prouinciam defendendam instituerunt. Primam Iulius Agricola posuisse videtur, cum illud angustum terrarum spatium inter Bodotriam & Glottam prȩsidijs firmauerit, quod postea fuit subinde communitum. Secundam clusuram fecit Adrianus Imperator, qui primus, vt ait Lampridius, murum per octoginta millia passuum duxit, stipitibus magnis funditus iactis & conuexit in modum sepis muralis. Tertiam clusuram Lollius Vrbicus Antonini Pij Legatus excitauit. qui Britannos vicit, alio muro cespititio, inquit Capitolinus, submotis barbaris ducto. Et Lipsius ad lib. 1. annalium Taciti, morem notat antiquum esse, Tribunal etiam Imperatorium in castris facere cespiticium. Quocirca Plinius in laudatione Traiani, decora, inquit, facies Consulis est: & multa post sæcula tribunal exstructum viridi cespite, nec fascium tantùm, sed pilorum, signorúmque horrore circũdatum. Sanè quidem Xiphilinus de Bunduica Regina Britanniæ, Ascendit tribunal, inquit, è terra palustri, more Romano confectum. Quarta clusura est, quam Septimius Seuerus Imperator fecit, post habita illa vlteriori, & ingenti regione murum ducens per Insulam transuersam ab ȩstuario Itunȩ, ad ostium Tinæ; receptasque Prouincias, inquit Paulus Diaconus, omni securitate muniuit. Hoc ergo Seueri opus fuisse, vel ab Adriano inchoatum, à Seuero perfectum plerique arbitrantur. Sed post annos paucos hæc munitio neglecta fuit. Cum enim Alexander Seuerus agros, qui de hostibus capti erant (inquit Lampridius) ducibus Limitaneis, militibúsque donauisset, ita vt eorum essent, si heredes ipsorum militarent; tunc Romani progressi vltra murum, & in barbarico solo stationem extruentes fines Imperij vsque ad Bodotriam denuò propagarunt. quos barbari tamen continenter bellum ex bello serentes, rursus ad Seueri vallum repulerunt: donec interiectam regionem inter has clusuras Theodosius Augusti Theodosij pater, vt ait Marcellinus,

nus, ita eandem recuperauerit, pristinoque statui reddiderit, vt Rectorem legitimum haberet, ac in honorem Valentiniani Cęsaris, Valentia deindè vocaretur. Cum autem Res Romana plusquam apertè laberetur in Britannia, & Picthi, Scotique cespititium ad Bodotriam, murum perrumperent, istasque partes immaniter depopularentur; Legio Romana, quam Aëtius sub Gallione Rauennate in auxilium miserat, submotis barbaris, quando reuocabatur ad tuendam Galliam, murum non cespiticium, sed ex lapide solido, à mari ad mare secundum Seueri vallum extruxit. Admiranda tamen hæc substructio neutiquam potuit hostes auertere; quin, vt primùm Romani discesserint ex Britãnia, Picthi, ac Scoti murum inopino impetu adorti, præsidiarios milites vncinatis telis distraherent, & munitionem perfringerent, Britanniamque tunc intestinis seditionibus conuulsam longè latèque persultarent.

68. In classe Britannica. Sub Aelio Antonino Pio Cæsare Seius Saturninus archigubernus ex classe Britãnica filium habuit Seium Oceanum, cui fiduciarium tutorem dedit, sibique ipsi testamento scripsit fiduciarium heredem Valerium Maximum trierarchum à quo petit hereditatem restitui filio, cum ad annos sedecim peruenisset. filius antè moritur. hereditatem Maximus trierarchus seruat sibi. Manlius Seneca, pueri defuncti auunculus proximitatis nomine petit hæc bona. quæ Iabolenus Iurisconsultus, quo princeps iste in iure dicendo vsus est, respondit l. 46. ad Senatusconsultum Trebellianum, videri æquum, vt auunculus haberet. Idem Princeps Brigantes populos Britanniæ malè mulctauit, quòd Guinethiam Romanorum ibi prouinciam grassando (vt ait Cambdenus) percurrissent. Pausanias lib. 8. eam prouinciam Græcè Γενυνιαν vocat. Certè laudem belli gesti per Lollium Vrbicum in Britannia, Cornelius Fronte Dat Antonino Pio; quamuis ille residens in ipso palatio Romæ, tantummodo gerendi belli auspicium præstitisset.

ſtitiſſet. more Vulgi, qui virum præſidentem gubernaculis longę nauis, ait mereri gloriam totius velificationis, maritimíque curſus. Id quod ex Cornelio Tacito dicitur, Boni Ducis laudem, eſſe Imperatoriam, hoc eſt, ad Imperatorem pertinere, cuius authoritate Dux ille bellum gerit.

69. VXOREM natione Britanniam. Gaufridus Arthurius lib. 2. c. 2. Reliquit Seuerus Imperator duos, inquit, filios Baſſianum & Getam. quorum vnus Geta matre Romana genitus erat; alter vero Baſſianus matre Britannica. defuncto igitur Eboraci patre ipſorum, Romani Getam, quòd vtroque parente Romanus erat, fecerunt Regem. Britanni autem Baſſianum elegerunt, quia materno ſanguine coniunctus ipſis fuerat. proinde fratres odium inter ſe habuerunt quo interficitur Geta, & Baſſianus regno potitur. Hæc ille, non exprimens nomen vxoris Britannæ, ſed veram cauſam odij inter hos Principes fratres. Aelius Spartianus in vita Seueri, Tribunatum plebis, inquit, Marco Imperatore decernente, promeruit Septimius Seuerus, & vxorem tunc Martiam duxit: de qua tacuit in hiſtoria vitę priuatę. cui poſtea in imperio ſtatuas collocauit. Cum amiſſa vxore vellet aliam ducere, genituras ſponſarum, ipſe quoque matheſeos peritiſſimus, requirebat. & cum audiſſet eſſe in Syria quandam, quę id genitura habebat, vt Regi iungeretur, eandem vxorem petijt, Iuliam ſcilicet, & interuentu amicorum accepit, ex qua ſtatim pater factus eſt. Nam hęc Iulia Seueri Principis vxor Auguſta, quum Argetocoxi Caledonij vxorem initis fœderibus, (vt eſt apud Xiphilinum, ex Dione in vita Seueri) mordebat, quòd ipſa impudenter cum maribus verſaretur; dixiſſe fertur; Nos Britannæ multo melius explemus ea, quæ neceſſitas naturæ poſtulat, quàm vos Romanæ. nam apertè cum optimus viris conſuetudinem habemus: vos autem peſſimi homines occultè conſtuprant id enim a muliere Britanna, inquit hiſtoricus, dictum eſt. Quæ verborum vrbanitas forſitan inde venit, quod vxor prima

prima Septimij Seueri Britanna fuisset, quamquam non Augusta, cum eius maritus nondum esset Imperator Augustus, Iuliam verò Romanam, vt historicus Britannus, non Syram, vt Spartianus, appellat. de cuius Seueri rebus gestis in Britannia priusquam narro, videtur oportunum, recensere ordinem eorum, qui præcesserunt. Igitur Rex,

89. *Helius incepit imperium anno ab orbo condito 3910. & annos 40. gubernat.*
90. *Luddus cepit anno 3950. & regnat annos 11.*
91. *Cassuellanus auspicatur anno 3961. & administrat 19. annos.*
92. *Theomantius accepit regnum anno 3980. & reliquit 17.*
93. *Cunobelinus auspicatus est anno 3997. & regnat annos 35.*
94. *Guiderius incipit anno 4032. & imperat annos 23.*
95. *Aruiragus inchoauit regnum anno ab orbe condito 4055. qui est annus ab orbe per Christum saluo 55. & regnat. 25.*
96. *Marius regnum capit anno ab orbe saluo 80. & regnat. 53.*
97. *Coëlus Secundus auspicatur anno ab orbe saluo 133. & annos 50. imperauit.*

Quibus ita supputatis, Lucius, huius Coëli filius cognomento Leuer, id est Britannicè, Splendor Latinè, quod eius tempore, operaque fides Christi publicitus in insula splenduerit, ac primus Rex Britanniæ Christianus, & Martyr esset, imperare videbitur cepisse anno post Christum natum 183. quo anno Lucius Aurelius Antoninus Commodus in vrbe Roma cepit Imperium & Eleutherius (qui Lucium Regem, & Britannos fecit esse Christianos) Pontificatum administrare incepit, vt Ioannes Carion libro 3. Chronicôn pro certo affirmat.

AMPLISSIMO

DOMINO IOANNI

RICHARDOTO PRÆSIDI in Consilio Regiæ Catholicæ Maiestatis intimo S.

DESTINATVS *ab initio liber Amplitudini Tuæ, nunc offertur gratulationis ergò. certè si posset aliquo momento tēporis coràm legi, publica initia Religionis Christianæ per ipsos Reges introducta in Britanniam esse demonstrabit. ex qua re fuit insula, omnium prima totius orbis terrarum, Prouincia dicta Christiana. Sanè quidem antiquitas Fidei tanta vix credi posset ab Apostolis, præconibusque Apostolicis ibi nunciata per Petrum, Paulum, Philippum, Iosephum ab Arimathæa, Eleutherium, Gregorium, Augustinum, ceterosque plurimos;*

rimos; nisi veteres authores Græci, Latinique, Simeon Metaphrastes, Nicephorus Callistus, Sophronius, Theodoretus, Origines, Tertullianus, & Venantius Fortunatus illud manifestè scripsissent. Quod intelligens prudentissimus Episcopus Atrebatensis Franciscus Richardotus, incolas eius loci fauore summo prosecutus est. & inter alios tantum tribuebat industriæ meæ, vt Franciscum Richardotum nepotem suum, de sacro fonte susceptum, eruditione iuris ac legum mihi traderet instituendum: & duos Pratios fratres (quorum alter, Philippus summo loco patris, nunc est à Secretis Regiæ Maiestatis in Consilio Arcano) mihi per epistolam commendaret. Huius tanti Præsulis Richardoti vestigia tam propè, sequeris, vt non alter ab illo, sed ipse de mortuis excitatus, ac supremæ dignitatis fastigio collocatus ad Rempublicam tranquillandam esse videaris.

HISTORIARVM LIBER QVINTVS.

OPtimus ergo Princeps, Lucius Secundi Coëli filius vnicus, patre defuncto, clarus Britannici Regni diademate, non solùm omni genere virtutum vestigia patris in rebus administrandis imitabatur, verùm multis eum gradibus etiam superabat. Nam cum Eleutherius Pontifex Romanus, Nicopoli in Græcia natus, Sotheris in Apostolica Sede successor, Lucio Aurelio Commodo Imperatore, vrbis & orbis vniuersi, Episcopatum iniuisset; statim Lucius Britannorum Rex, litteras per Eluanum & Meduinum viros diuinarum rerum peritos ad eum mittebat; quibus litteris supplicibus petebat, vt se ac suos in Christianorum numerum reciperet. Hanc enim mentis optimæ serenitatem ei miracula tribuebant, 1 quæ tyrones in militia Christi per 1
diuersas nationes faciebant. quibus incitatus, ipse ad amorem veræ fidei, rectæq; religionis aspirabat, & suæ petitionis effectum pium consecutus est. Siquidem beatus Pontifex, cum haberet benè compertam, sibiqúe perspectam huius Principis deuotionem, his eius Oratoribus baptissatis, Eluanum Episcopum, & Meduinum diuini verbi Doctorem constituit. Cum quibus & alios, Fugatium, ac Damianum in primis doctos, & pios viros, in Britanniam misit, per quos Rex, & reliqui 2 fidem suscipe- 2
rent. Hi sublato cultu malorum dæmonum,

Britannos modum veræ pietatis colendæ docuerunt, verbiq; Dei sanctam incarnationem prędicando, ad Christum conuerterunt. Cumq; per Insulam ferè totam deleuissent omnem, quàm vocant, infidelium paganitatem; ea templa, quæ in honorem plurimorum Deorum dedicata fuerunt, soli Deo vni, sanctisque eius consecrabant; & diuersis ordinatorum clericorum cætibus illa templa replebant. Erant tunc in Britannia viginti, & octo Flamines, erant & Archiflamines tres, quorum curæ atque potestati omnes alij morum rerumq; iudices subijciebantur. Hos isti ab Idololatria etiam liberabant, & in quibus locis Flamines erant, Episcopos: & vbi tres erant Archiflamines, ibi tot Archiepiscopos instituebant, & nominatim in tribus nobilissimis ciuitatibus, Lundonijs, Eboraco, vrbéque Legionum. Quibus ita positis Sedibus Archiepiscoporum trium, sublata penitus omni vanorum & inanium Deorum superstitione, ceteri octo ac viginti Episcopi subditi fuerunt. Ea, quæ Lundini Metropolitica Sedes erat, in templo Sancti Petri, quod eo fine Rex Lucius condiderat, statuebatur; ibique per annos quadringentos, primus Regni totius Archiepiscopatus, hoc ordine Præsulum stetit. Theanus Ecclesiam tempore Lucij Regis consecrauit, in eaq; Præsidens ope & auxilio Cirani a poculis Regis, quæ supererant facienda, perfecit. Cluanus eum secutus, Bibliothecam Ecclesiæ adiunxit, plurimósque Druides ad fidem Christi perduxit. tertius Archiepiscopus ibi Cadar præsedit. quartus, Obinus; quintus, Conanus; sextus, Palladius; septimus, Stephanus; octauus, Iltutius; nonus, Deduinus; decimus, Thedredus; vndecimus, Hilarius; duodecimus, Vite-

Vitelinus; & tertius decimus, Vodinus; qui à Saxonibus postea Britanniam nouè ingressis occidebatur. Ita plerisque locis more, rituque Christianorum instauratis, Fugatius & Damianus duo antistites illò missi, ad Eleutherium Pontificem ex Britannia Romam reuersi, & impetrata eorum, quæ gesserant, confirmatione à beatissimo Pontifice Romano, cum alijs pluribus in Britanniam rursus veniunt. Horum doctrina & moribus Britones ita breui spacio in fide Christi firmi facti sunt, vt eandem semper integram, inconcussámque seruauerint; donec ille furor Diocletiani Cæsaris tandem eruperit, qui maximè post Domitium Neronem Christianos propè ad internecionem omnium persecutus est. Interea gloriosus ac præpotens Rex Lucius cum in suo principatu cultum veræ religionis erga Deum propagari videret, magno gaudio affectus, omnes Deorum cultus prophanos, ne præstigijs dæmonum Britanni deinceps fallerétur, & simulachra tollebat & prædia, quæ ad ipsorum templa pertinebant, in vsum meliorem conuertens, plurima Christianis Ecclesijs addicebat; eásque sanctas Ecclesias, & amplioribus agrorum possessionibus, & omni, qua potuit, immunitate, libertatéque donabat. benè sciebat enim vir prudentissimus, his domibus Dei, maiorem nunc honorem impendi oportere. Nec eo contentus, sed abdicato tandem proprio Regno propter summum desiderium quod habebat, fidem Christi prædicandi, in Germaniam proficiscitur, eamque prouinciam, quæ nunc Bauaria dicitur, ad veræ religionis cognitionem perduxit, indéq; ad Rhætiam secedens, colle transcenso, cuius adhuc cliuus Sancti Lucij 3 nominatur, in eam regionem venit, qua est 3

vrbs Curia. Vbi in cauerna montis se tantisper continuit, dum ab infideli populo, cui Christum adnunciauerat, proditus, & à præfecto loci captus, in arce Martiola iuxta Curiam interficeretur. Eius corpus in Britanniam reportatum, Claudiocestriæ honorificè sepultum esse fertur. De cuius fine liberis mortui, cum annos duodecim regnasset propinquis sanguine, quoniam inuentus est nemo, qui succederet. inter Britannos magna de Principatu contentio nascitur, eáque per annos quindecim mansit. Quo spacio temporis, quamquam Lucius Principes Britanniæ rogasset, vt Reipublicæ curam susciperent, populiqúe vtilitatem officio metirentur; illi tamen barbari murum Picthicum, quo à ceteris, vt suprà demonstrauimus, separabantur, interim transgressi, multa deuastauerunt, Romanum Ducem, ac milites obtruncarunt. ad quos reprimendos ab imperatore Commodo Vlpius
4 Marcellus 4 missus est, qui eorum audaciam tam feliciter contudit, vt virtutem ipsius, gloriamqùe inuidia magna sequeretur, & idcirco Romam citius, quàm oportuit, reuocaretur. Nam ille fuit in ea parte Britanniæ, quæ Cumbria dicitur, præfectus exercitui Romanorum, Dux omnium, qui ante se vixerunt, vigilantissimus, adeo vt ceteros, qui simul vnà erant, cum vellet esse vigilantes, quottidiè vesperi duodecim tabulas, quales ex tilia fieri solent, ipse perscriberet, vniqúe ex suis mandaret, vt alias ad diuersos milites, alijs atque alijs horis perferret; quo signo dum admoniti suum Imperatorem vigilare semper existimarent, ipsimet haud ita facilè dormirent. Cuius viri tanta fuit etiam temperantia, vt quamquam alioqui naturà resisteret somno, tamen quo magis idem posset arte

con-

conficere, per inediam laborabat. nam ad se panem Roma deferri iubebat, ne nimium eo repleretur, néue paulo plus, quam esset necesse, propter illius vetustatem comedere posset. Quibus rebus cognitis, adulatores Imperatorem Commodum, Britannicum appellauerunt: 5 5
eique vti cucullis Bardiacis, à primo Bardo rege dictis, suaserunt. Et tandem posita statua in colle propè flumen Vrum formata habitu Herculis, clauam dextra tenentis, honorauerunt illum, tanquàm Herculem Romanum, Iouis Senis filium quo nomine se vocari præceperat. cum Britanni tamen alium etiam Imperatorem contra eum eligere voluerint. Et Vlpio Marcello reuocato domum, patulantia statim in castra irruperit, laxatáque militari disciplina Britannici exercitus Aurelij Commodi mandata recusauerint. Cum ergo Publius Heluius Pertinax de bello Parthico per suam industriam promeritus esset, vt in Britanniam translatus ibi retineretur: occiso tandem Perennio Præfecto, qui Commodo Cæsari parum fidus erat, & Pertinacem superbè iusserat in villam paternam secedere, ubi ille in Liguriam tabernam exercuerat; ipse Commodus & Pertinaci satisfecit, & per litteras eum rogauit, vt ad Britanniam proficisceretur. Qui, vt erat rogatus, eò profectus, ab omni seditione milites deterruit: cum illi vellent quemcumque potius Imperatorem habere, quàm Commodum, & ipsum in primis Pertinacem optarent. Quo tempore idem Heluius Pertinax maleuolentiæ notam subire cepit, quòd Antistium Burrum, & Arrium Antoninum Imperij affectati accusasse apud Commodum diceretur. at ipse contrà, nihilque minus sentiens, sic in Britannia seditiones com-

 pescuit

pescuit, vt periculum ingens adiuerit, occisus penè seditionibus legionis, certè quidem vulneratus inter occisos relictus fuit. quam sanè rem deinde Pertinax acerrimè vindicauit. tandemq; suæ Legationis veniam petijt, sibique ob disciplinam militarem defensam, legiones infestas esse dicebat. Ita Clodio Albino successore accepto, Pertinax alimentorum curam sibi mandatam suscepit. deinceps vir idem sui natura humanissimus, ac mitissimus, Proconsul Africæ factus est. Clodius verò Albinus, cum equites Dalmatas Tribunus egisset; ac milites Quartæ, Primæqúe legionis quoque rexisset, exercitus etiam Bithynicos eo tempore fideliter tenuit, quo Marcus Auidius Cassius rebellabat. deinde per Imperatorem Commodum ad Galliam translatus, in ea Frisijs transrhenanis fusis celebre suum nomen, & apud Romanos, & apud exteros fecit. Quibus rebus accensus Commodus, cum eum daret successorem, litteras amicè scripsit. quibus, vt esset Cæsar, planè iubebat. Hanc epistolam familiarem, domesticam, omnemq;, vt vides Albine, mea manu scriptam, inquit, nunc ad te dirigo; qua tibi do facultatem, vt, si necessitas fuerit, ad milites prodeas, & tibi nomen Cæsaris adsumas. Etenim audio Septimium Seuerum, & Nonium Murcum de me malè loqui apud milites, vt tibi stationis Augustę procurationem parent. Sanè vt Imperialis Maiestatis insigne aliquod tibi accedat, facultatem vtendi coccineo pallio, etiam me præsente habebis: & cum ad me veneris, atque vbi mecum fueris, purpuram quoque habiturus es, sed sine auro. Nam ita Lucius Ælius Verus proauus meus, qui puer vita functus est, accepit ab Adriano, cũ eum adoptaret. His litteris acceptis Albinus, id

nus, id facere noluit, quod Commodus iubebat, veritus eius odium, propter malos hominis mores, quibus & Rempublicam perdiderat, & se in dedecus ipse traxerat. Quocirca rebus his omnibus prudenter abstinuit, dicens Commodum quærere homines, qui cum eo perirent; aut quos ipse cum aliqua causa occidere posset. Nihilo tamen secius cum exercitus Britannicos regeret iussu Commodi, atque iam, licet falsò, Commodum interemptum esse, audiuisset, propter hoc nomen Cæsaris ab ipso Commobo sibi delatum, procedens ad milites, Si Senatus Populi Romani suum illud vetus, inquit, imperium haberet, nec in vnius potestate res tanta consisteret, non ad Vitellios, neque ad Nerones, neque ad Domitianos publica regimenta venissent. In Imperio Consulari gentes illæ nostræ Ceioniorum, Albinorum, Posthumiorumq; mansissent; de quibus patres vestri, qui & ipsi ab auis suis audierant, bona multa dedicerunt. Africam certè Romano imperio Senatus adiunxit. Galliam & Hispanias Senatus subegit. leges populis in Oriente Senatus dedit. Parthos bello, Senatus tentauit, & subegisset quoque, nisi tam auarum principem exercitui Romano, mala fortuna Reipublicæ, tunc dedisset. Britannias Iulius Cæsar, certè Senator, nondum tamen Dictator, 6 subegit. Ipse Commodus, quanto 6
melior fuisset Imperator, si Senatus auctoritatem timuisset? quæ semper auctoritas ad Neronem vsque valuit. quem impurum Neronem, sordidumq; Principem Senatus damnare non dubitauit, cum sententiæ dictæ sint in eum, qui vitæ, necisq; potestatem tunc obtinebat. Quare nomen Cæsaris, quod mihi, commilitones, detulit Commodus, ego habere nolo. Dij faxint,

vt ne quidem alij velint. Senatus imperet, prouincias diuidat. Senatus nos Consules faciat. Et quid dico, Senatus? vos ipsi, patresque vestri. eritis enim ipsi Senatores. Hæc oratio habita viuo adhuc Commodo, Romam deferebatur; & Commodum in Clodium Albinum vehementer exasperauit, statimque successorem ei Iunium Seuerum, vnum è suis contubernalibus, misit. Deinde scribens ad Præfectos Prætorio, Audiuisse vos credo, inquit, primùm hoc esse fictum, quòd ego meorum consilio interfectus essem. tum & concionem Clodij Albini habitam ad milites meos; qua se multum Senatui commendat; neque frustrà, quantum videmus. Nam, qui vnum in Republica principem, esse debere negat; quique totam Rempublicam à Senatu, regi oportere adfirmat, is manifestè per Senatum, Imperium petit. Cauete igitur diligentissimè. Iam enim scitis, hominem vobis, militibusque, ac populo esse vitandum. Has litteras cum Pertinax inuenisset, eas in Albini odium publicauit. Qua de re, cum idem Pertinax postea Commodum Imperatorem peremisset, & Aemilius Lætus Præfectus Prætorio, atque Electus cubiculi custos, ipsum in Imperio confirmassent, maioremque sexagenario nunc in castra duxissent, is ad hanc tantam dignitatem adsumtus, Clodium Albinum, ne cum Senatu res nouas ageret, in Britanniam remisit. Hoc facto commotus Albinus est, atque post aliquot menses, auctor occidendi Pertinacis Iuliano fuit. Qui quidem Didius Iulianus sic factus Imperator, idcirco neque Britannicos exercitus, neque Illyricos timebat. Sed extinctus tamen post aliquot dies, quàm imperare cæpisset, à Septimio Seuero fuit. Qui & ipse Seuerus declaratus

ratus Imperator, de Clodio Albino etiam ſibi ſubſtituendo cogitauit, cui nunc Imperium, aut propter nomen Cæſaris decretum, aut iuſſu Commodi datum, quodammodo deberi videbatur. Itaqué cum Peſcennius Niger poſt occiſum Commodum, & Iulianum appellatum Imperatorem, eundemq́ iuſſu Seueri, atque Senatus occiſum, a Syriacis exercitibus, quos ipſe Peſcennius regebat, ſalutatus eſſet Imperator magis in odium Iuliani, quàm ad æmulationem Seueri; priuſquam aduerſus hunc Peſcennium Nigrum, idem Septimius Seuerus, homo bene prouidus in Orientem proficiſceretur, nonnulla ſuſpicione tenebatur ipſe de Britannicis exercitibus, maximis illis quidem, pugnaciſsimisq́; quibus vniuerſis Clodius Albinus, vir Senatorij, Patricijq́ generis, opibus ſummis, delicijſq́ue nutritus præfuit. Hunc igitur Seuerus actu ſibi coniungendum arbitratus, ne diuitijs, genere, exercitibus, famáque nominis, facibus illis quidem magnis, ad Imperium concupiſcendum inſtinctus, ſummam rerum ſibi poſceret; ac Romam, haud procul à Britannia diſtantem, 7 7
ſe bellis Orientis implicito, forſitan occuparet, eum ſpecie quadam honoris ineſcare ſtatuit, virum alioqui ſimplicem, & leuem, tunc verò, nimis facilè credentem Septimio Seuero homini ſobrio, & verſipelli, qamquam ſibi per litteras etiam iurauerit. Quippe mittit eas humanitatis plenas, quibus Albinum, Cæſarem appellat, quibus ſpem hominis, cupiditatemq́ anticipat, quibus Imperij poteſtatem cum eo communicat, quibus obſecrat, vt ipſe potiſsimum Imperij curam ſuſcipiat. nam opus eſſe aliquo viro nobili, & ætatis integræ, qualis ille foret. ſe iam ſenem, morbóque articulari nimis affectum,

ſuos autem liberos adhuc infantes eſſe dicebat. Quibus rebus creditis, Albinus libenter honorem ſuſcepit, lætuſque, ſe iam ſine ſanguine, aut viſo belli diſcrimine voti compotem factum eſſe arbitratur. Seuerus autem, quo magis hæc omnia crederentur, ſuper eiſdem ad Senatum retulit, nummoſque imagine Clodij Albini percuti iuſſit, ſtatuiſque erectis, & alijs ſimul honoribus collatis fidem ſuæ gratiæ facere Albino voluit. Quæ cum ab eo ſapienter prouiſa ſunt, nullo iam ex Britannia metu impendente, Seuerus collectis in vnum exercitibus Illyricis, reliquiſque rebus ex vſu comparatis, aduerſus Peſcennium Nigrum copias in Orientem ducit. quem aperto Marte deuictum Antiochiam, paucis eum comitantibus, fugere coëgit; vbi eidem occultanti ſe in prædio quodam ſuburbano, & ab equitibus Seueri reperto, caput amputatur. Rebus igitur in Oriente pro animi ſui ſententia geſtis, Septimius Seuerus eos ipſos pertimeſcẽs, de quibus antea rectè iudicabat, Heraclitum ad
8 obtinendas Britannias miſit 8 & seriò cogitare cœpit, quonam pacto Romanum Imperium, ſibi, liberiſqúe ſuis adiudicaret. Nam ſublato iam Peſcennio Nigro, Clodius Albinus reliquus erat, quem ſibi parúm vſui fore arbitrabatur. diuulgatus enim rumor erat, nimis eum impotenter, ac nimis moleſtè nomen Cæſaris amplius ferre. Multos præterea de primis eſſe Senatoribus, qui clàm ad eum litteras darent, quibus ad reditum, adhuc Seuero in Oriente abſente, ipſum exhortabantur. Quippe, Romana nobilitas omnis, Imperatorem habere Albinum illuſtri genere natum, bonæque indolis adoleſcentem, quàm Seuerum, malebat. Quibus rebus cognitis Seuerus, minimè apertis inimicitijs, atque

bello

bello manifesto sibi agendum esse ratus, nulla præsertim existente causa, quæ specie saltem honesta videri posset; eum dolo, insidijsq́; tentare decreuit. Quocirca tabellarios aliquot ex ijs, qui litteras ferunt Imperatorum, sibi fidißimos homines cum litteris, mandatisq́; ad eum mittit. Præmonet tamen, vt epistolis publicè traditis, quædam habere se cum illo remotis arbitris communicanda, dicerent, quàm primùm autem eum à custodibus seorsum nanciscerentur, vt repentè facto impetu obtruncarent. Quin & venena dedit Seuerus, quibus Albinum, si possent, per aliquem ab epulis, vel à cyatho ei seruientem, tollerent. Sed erat amicis Clodij Albini suspecta semper fides Septimij Seueri. Quam ob rem eum admonebant, vt Seuerum, hominem perfidum, fraudisq́; ac insidiarum plenum, diligenter caueret. Nam Seuerus etiam vulgò parum constanti fide prędítus, habebatur. Infidum enim, subdolumq́; eius ingenium, res ipsæ, quas gesserat, declarabant; & ob id nunc Albinus, maiore se, quàm antè, custodia muniuerat. neque temerè quisquàm à Seuero missus, ad illum, nisi prius deposito militari gladio, sinuq́; diligenter excusso introducebatur. Postquam igitur tabellarij ad eum peruenerunt, redditisque publicè litteris, habere se quædam secretius nuncianda dixerunt, Albinus suspicionibus indulgens, illicò comprehendi iubet. deinde re penitus explorata, insidijsq́; ordine intellectis, vbi noxios supplicio affecit, ipse iam in Seuerum, vt aduersus hostem manifestißimum, se comparabat. Etiam nomen sumpsit Imperatoris, & in Britannijs, quarum Legatus erat, imperare cæpit. His rebus cognitis Seuerus, vir animo iracundo, non iam diutius sibi celandas

landas inimicitias arbitratus, exercitu omni conuocato, Neque me leuitatis, inquit, aliquis insimulet ob antè acta nunc reuocata; neque infidum, aut ingratum aduersus eum putet, quem pro amico semper habui. Nos quidem ei omnia præstitimus, nos in partem Principatus, eiusdemq́ue stabilissimi, eum recepimus. quod ne quidem geminis fratribus quis indulserit, hoc ei fecimus. Illud enim Imperium, quod mihi vni vos detulistis, ego cum eo communicaui. Tantis autem beneficijs nostris gratiam pessimam Albinus retulit; contempta virtute nostra, suæq́ue fidei prorsus immemor, & inexhausta cupiditate ardens, id vniuersum sibi periculosè nunc præripiendi, cuius particeps citra bellum, aut dimicationem vllam, esse potuisset. Neque Deos reueretur, per quos toties iuratus est, neque laboribus vestris parcit, quos pro nobis tanta cum gloria, virtutéque pertulistis. Quippe successuum vestrorum fructu nec ipse carebat; imo, si fidem seruasset, maior illi portio contigisset. Sicut verò, si quis ipse malorum auctor est, iniustus videatur: ita si acceptas iniurias non vlciscatur, ignauus existimatur. Nam cum aduersus Pescennium Nigrum bella gessimus, non ita sanè speciosas inimicitiarum causas habebamus. Neque enim illum quasi raptorem occupati à nobis Principatus oderamus; sed in medio positum, & adhuc in disceptatione versantem, eundem principatum vterque nostrum ambitu pari ad se trahebat. Sed Albinus despecto fœdere, ac spreto iureiurando, cum sit adeptus munere nostro ea beneficia, quæ tantùm legittimis liberis tribuuntur, hostis, quàm familiaris nobis esse maluit. Vt igitur illum tali beneficio nuper affectum, summo honore, gloriáque cohonestauimus:

mus: ita nunc perfidum, atque imbellem animum ipsius, armis coarguamus. Neque enim exiguus, atque Insularis exercitus 9 ille, quem 9
habet, vires nostras sustinere poterit. Nam cum vos alacritate quadam, virtutéque vestra propemodum solitam multis prælijs totum vobis Orientem ferè subegeritis, Quis dubitet, quin & nunc quoque tantarum virium accessione, (nam totus hic penè Romanus exercitus est:) facilè paucos, ne sub viro quidem sobrio, nedum sub Duce forti militantes, profligaturi sitis: Etenim eius luxuriam, vitamqúe hominis, potius subulcorum gregibus, quàm legionibus militum congruentem, quis ignorat? Eamus ergo in illum audacter, ea, qua solemus, animi alacritate, virtutéque Dijs auctoribus ab eodem impiè peieratis freti; memoresq́ simul excitatorum a nobis sæpè trophæorum, quæ ab ipso scilicet despecta sunt. Hæc vbi dixit Imperator, confestim vniuersus exercitus Albinum declarat hostem, faustisqúe acclamationibus accepto Seuero, nihil non alacritatis & studij vocibus ostendentes, magis ac magis addita spe, hominem succenderunt. qui propterea milites amplissimo donatiuo prosecutus, vniuersos contra Clodium Albinum statim educit. Iter ipsemet sine intermissione faciebat, neque dies festos, neque labores vllos, vir algoris, æstusqúe peræque patiens, magnopere curabat. Postquam Albino nunciatum est, Seuerum nihil cunctari, sed adesse iam, supinus hactenus, & delitias agens, tunc metu magno perculsus est, statimqúe ex Britannia transmittens, in aduerso Galliæ littore castra posuit. Cui nequis auderet ferre suppetias, Seuerus non tantummodo, Albinum esse suum hostem, sed omnes eos, qui ad illum mollius

mollius vel ſcripſerint, vel acceptis ab eo prius litteris; reſcripſerint, hoſtium loco ſe habere declarat. Qui cum aduerſus Clodium Albinum bella facturus iret, apud Viminatium, per quietem Antoninum ſibi ſucceſſurum vidit, idcircóque filium ſuum natu maiorem Baſsianum, appoſito ei nomine Aurelij Antonini, Cæſarem appellauit. Ergo vbi Seueri copiæ in Galliam peruenerunt, leues primò quædam pugnæ, quaſique velitares fuerunt; & Septimij Seueri Duces, à militibus Albini vincebantur; donec ad Lugdunum, vrbem magnam, & opulentam, poſtremò in manibus prælium fuerit. Nam cum ſe mænibus Albinus continuiſſet, in pugnam exercitus miſit. vt autem ventum eſt ad manus, diu quidem æquis viribus vtrimque ſic decertabatur, vt ambigua fortuna victoriæ penderet. Neque enim Britanni milites, quos Albinus ſecum habebat, vel animi magnitudine, vel cędis auiditate, militibus Illyricis, quos Seuerus præcipuos habuit, quidquam conceſſerunt. Ita primò conflictu valentiſsimorum exercituum, in partem neutram acies inclinabat. pòſt deinde Clodij Albini longè potior acies fuit. qua in parte Seuerus ſic exercitum ſuum curabat, vt ipſe fugerit quoque, & ab equo deciderit, abiectóque paludamento delituerit. quo quidem caſu equi ſui, Seuerus ingens periculum ita paſſus eſt, vt ictu plumbeæ mortuus eſſe crederetur, & alius iam in eius locum Imperator, ab exercitu penè deligeretur. Sed inſequentibus iam, & Pœana canentibus, ceu planè victoribus, Britannis, Aemilius Lætus Septimij Seueri Dux, cum exercitu adhuc recenti, de improuiſo apparuit. qui propter hanc tarditatem veniendi malè audierat, quaſi pugnæ euentum expectauerit,

uerit,

uerit, deq; industria retento milite cunctatus, Imperium sibimet ipse vindicaret. Siquidem in pugnam non prius protulit pedem, quàm cum Seuerus equo cecidisse diceretur. Tunc autem conspecto Læto, militibus Seueri spes est addita, ipséque in equum sublatus Seuerus, paludamento purpureo circundatus, apud Tinurtium aduersus Albinum feliciter pugnauit. Nam Albini milites rati se iam esse victores, confusis ordinibus, incitante se in eos de improuiso hac valida Læti, recentiq; manu militum, cum primò restitissent paulùlum, receptui mox canunt, demumque terga verterunt. Fusos igitur, fugatosq; eos, milites Seueri persecuti sunt, magnáque strage facta, ad ipsam vrbem Lugdunum peruenerunt. Numerus occisorum vtrinque, & captiuorum hominum, variè profertur. Direpta mox, incensáque vrbs est Lugdunum, & Albino caput abscissum ad Seuerum perlatum est. Qui rebus Britanniæ ordinatis, insulæ administrationem bipartito 11 distribuit. Inde Gallia omni 11 ex animi suî sententia, vt sibi quidem videbatur, composita, Romam proficiscitur, secum adducens exercitum totum, quo ciuibus terribilior appareret. Imperium enim magis metu, quàm beneuolentia retinebat. Quamquàm & popularis quoque esse, ac inter primos, etiam popularis haberi, volebat, eóque fine spectacula magnificentissima Populo Romano ædiderit. Romæ per aliquot annos moratus, ius frequenter dicebat, ciuilibusq; negotijs, ac liberis suis erudiendis intendebat. At illi tum adolescentes, delitijs, victuq; vrbano, & nimio studio spectaculorum, saltationis, & aurigationis, indolem naturæ bonam, iam corruperant; interque se semper ambo fratres dissidebant. Quod cum pater

pater videret, ipse ad pacem, concordiámque reuocare, ac vtrumque alteri conciliare nitebatur; eos veterum fabularum admonabat; in quibus Regum calamitates pleræque, à seditione fratrum exortæ fuisse dicuntur. Quæ dum cogitat, suorumque liberorum vitam, atque indecora studia in spectaculis grauiter fert Imperator iam senex, litteras ab Heraclito Britanniæ Præfecto accepit, quibus illic barbaros agitare seditiones, regionemque omnem incursionibus, ac depopulationibus vastare intellexit. quam ad rem sedandam opus esse maiore manu, vel ipsius etiam Principis, ad resistendum præsentia. Nam cum pars Britannorum, duarum legionum prælio commisso in officio contineretur, altera verò pars, quæ sub iugo Romanorum teneri nequibat, diris infesta debellationibus in Albaniam trans Deiram fugaretur; ibidemqúe collecta sub Duce Fulgenio, resisteret omni conatu, ac sæpius stragem maximam non modò Romanis, sed suis etiam ciuibus intulisset, Fulgenius tandem animaduertens sibi vires ad belligerandum, copiasque deesse; neque diutius se
12 posse resistere, in Scythiam transmisit. 12 Ibi cum Iuuentutem omnem, armorum potentem, collegisset, maximo nauigio in Britanniam reuersus est. Huic enim Fulgenio auxilij causa libenter adfuerunt, quòd is esset frater Martiæ coniugis Septimij Seueri primæ, ac vt, suprà demonstrauimus, Basiani matris. Quibus rebus cognitis, Imperator Seuerus lætatur. quippe, sui natura vir appetens gloriæ, post victorias ad Orientem, Septemtrionemque, & vtrinque parta cognomenta; etiam aliqua trophæa contra Britannos excitare cupiebat; & filios suos ex vrbe abducere, vt procul ab illecebris Romanis,

Iuuenes in castris degentes, militari, sobriæq; vitæ sese assuefacerent. Ita senex iam Seuerus, & articulorum morbo laborans expeditionem in Britanniã edicit; tanta quidem animi virtute, quanta nemo vnquam vel iuuenum Imperatorum, edixit. iterq; ingressus, lectica plurimùm vehebatur, & loco nullo cessabat. Quo itinere per ipsum confecto celerius omni spe, sermonéque, cum Oceanum enauigasset, Britanniam ingressus est, collectisq; militibus, & maximis viribus conflatis, bellum parabat. Ceterum Britanni repentino Principis aduentu perculsi, cum tantas copias contra se parari audiuissent, legatos de pace, seséque purgatum ad Seuerum miserunt. At ille moras de industria nectens, ne sibi vacuo Romam redeundum esset; itemq; victoriæ cupidus, illiusq; cognomenti, vt Britannicus appellaretur, legatos domum infecta re dimittit. ipse, quæ vsui bello forent; magna solertia comparabat. Sed in primis tamen occupare paludes pontibus, vt milites in tuto stare possent, atque in solido præliari, hoc suæ curæ habuit. Siquidem pleraque Britanniæ loca, frequentibus Oceani alluuionibus paludescunt, per quas paludes incolæ natabant, & ad ilia vsque demersi excursabant. Ita diligenter Seuerus nihil non comparabat, quod militibus Romanis vsui, & quod istis Britannis detrimento, impedimentoque foret. Vbi verò satis ex sententia sibi omnia prompta, paratáque esse intellexit, Iuniorem filium Getam, in parte insulæ subiecta Romanis, & in vrbe Eboraco reliquit. quam vrbem legiones eius obtinebant, & vnde consultus ipse de Iure, respondisset. ibi filius iuri dicendo, & rebus ciuilibus administrandis præfuit, eique pater consiliarios ex amicis natu

grandibus, & in primis Æmilium Paulum Papinianum, iuris ac legum verè oraculum, adiunxit; qui eo tempore Prætorium huius vrbis, ac
13 Tribunal 13. exercebat. Sed Antoninum Bassianum, filium alterum, Seuerus aduersus hos Britannos in prælia secum eduxit. Igitur vbi Romanus exercitus amnos transgressus, eósque aggeres esset, qui barbaris obiecti, fines Romanorum disterminant; maxima pars Britonum, qui socij Romanorum erant, Septimium Seuerum deseruit, & ad Fulgenium accessit. Nec ob id Seuerus à rebus inceptis quidquam abstinebat. Sed conuocatis Romanis, ceterísque Britonibus, qui adhuc sibimet ipsi adhæserunt, cum Fulgenio dimicauit. Initio quædam pugnæ tumultuariæ, & excursiones, vbique Romano victore fiebant. Sed cum Imperator pugnam acrius instituisset, facilísque Britannis ex fuga receptus esset, delitescentibus inter syluas, & paludes, locáque, ipsis notissima; quæ Romanis omnia quidem aduersa, moram bello gerendo adferebant; tum Fulgenius mortiferè tandem vulneratus est. Et interea Seuerum iam confectum senio sic inuasit morbus longior, vt ipse residere domi, & Antoninum in bellum ad Imperatoris munia subeunda mittere cogeretur. Britanniam tamen, quod maximum eius Im-
14 perij decus esset, 14 muro ducto per transuersam insulam, vtrinque ad finem Oceani, a Picthis muniuit. inde Murus, nomen Picthici, vt suprà demonstrauimus, & Imperator, Britannici cognomentum accepit. Post hunc apud vallum in Britannia murum, per triginta duo millia passuum deductum, Seuerus non solum victor, sed in æternum etiam pace fundata gloriosus; quum ad proximam mansionem rediret, Æthiops

quidam

quidam è numero militum, inter scurras fama clarus, semperq́; iocorum plenus, ei cum corona de cupressu facta occurrit. Quem cum Imperator iratus ab oculis suis remoueri præcepisset, commotus omine coloris atri, quem habebat vultu, & arboris funestæ corona, quam manu gerebat; ille ioci causa dixisse fertur: Totum fuisti, totúq́; Cæsar vicisti:iam victor, esto Deus.
15 Inde veniens in ciuitatem Eboracam Seuerus, cum rem diuinam facere vellet, primùm ad Bellonæ templum per errorem aruspicis rustici ductus est. deinde furuæ hostiæ applicitæ sunt. quas cum Imperator aspernatus esset, séque ad Palatium reciperet; negligentia ministrorum, eædem hostiæ nigræ ad limen vsque domus Palatinæ, ipsum secutæ sunt; quæ signa mortis eius fuerunt. Ceterum Antoninus Bassianus de his Britannis non magnopere sollicitus, exercitum sibimet soli adiungere, & vniuersos confirmare in suas partes contendebat: cohortatus milites, vt se vnum intuerentur, sibi totum Imperium vindicabat, suóque fratri obtrectabat. Quin & valetudo patris quoque, longior ei videbatur. adeo vt medicis subinde persuadere conaretur, senem è medio, quàm primùm, & quoque modo possent, tollere. At ille magnanimus Princeps, cum se morari bellum, quia pedibus æger esset, idqúe milites anxiè ferre, videret; suumq́; filium Bassianum, qui vnà erat, idcirco Augustum fecisse, intellexisset; tolli se, atque in Tribunal ferri: deinde tribunos, centuriones, duces, & cohortes, quibus auctoribus ea res acciderat, omnes adesse, iussit. tum sisti filium, qui se viuo, nomen Augusti sumpserat. cumq́; iuberet in omnes auctores facti; præterquam in filium animaduerti; ab omnibusq́; ante tribunal prostra-

tis, ipſe veniam rogaretur, manu caput attingens, Tandem ſentitis, inquit, caput iſtud vobis, & non pedes meos, imperare. Cumque Præfecti eius, viri graues voluiſſent, vt & hunc Antoninum occideret: id Septimius Seuerus fieri noluit, ne ſeueritas ipſius, nomine crude-
16 litatis inquinaretur. 16 Qui tamen Seuerus poſt ea mœrore magis, quam morbo conſumptus, cum annos octodecim iure mariti Britanniæ quoque rex habitus eſſet, Eboraci vita defunctus eſt. Iam patre mortuo Antoninus Baſsianus vbi vidit aduerſus exercitum ſibi parum rem procedere, vt ipſum excluſo fratre Geta, Imperatorem Romanorum vnicum declararent icto cum Britannis fœdere, paceque data, & obſidibus acceptis, decedit illinc, & ad matrem iam, fratremq́ properanter accedit. Ea ſimul ambos in gratiam reducere, honeſtiſsimis quibuſqúe Seueri amicis, & conſiliarijs illud adnitentibus, ipſa conatur. quorum vi potius, quàm voluntate ſua, tandem Antoninus ad aliquam amoris ſimulationem perductus eſt. Ita pariter ambo Imperium æquo honore gerentes, ex Britannia ſoluerunt, & cum patris reliquijs Romam contenderunt. vbi poſtea cum intellexiſſet Picthos, quos Dux Fulgenius, vt ſupra demonſtrauimus, ex Scythia Europæ, in Britanniam ſibi auxiliares reduxerat, nunc tumultum excitare, Antoninus Baſsianus illò Virium
17 Luppum 17 compeſcendi motus cauſa mittit, eumq́ Britanniæ Præſidem conſtituit. Et cum ipſe ſex annos ex iure materno Rex Britannorum quoque habitus fuiſſet, fraudibus Opilij Macrini occiditur. idemque Macrinus poſt annum, quàm Imperare cæpiſſet, per nuncios Heliogabali occiſus eſt. qui quidem Heliogabalus Cara-

Caracallæ filius esse putabatur, & a militibus
pecunia corruptis Imperator electus erat. Quo-
circa cum ipse moribus inquinatissimus, à mili-
tibus anno tertio Imperij esset necatus: eius con-
sobrinus Alexander Seuerus, Basiani quoque
filius, moribus præditus honestissimis, ab exer-
citu Cæsar appellatus, a Senatu Augustus nomi-
natus est. Iam enim milites sibi, quos vellent,
Imperatores facere, atque sic leuiter factos, etiam
facilè commutare, desueuerant. Sed animi
Gallorum semper duri, & Romanis Imperato-
ribus sæpenumero graues, huius Alexandri se-
ueritatem nimiam non ferebant. præsertim post
Heliogabali licentiam viuendi, homine ratione
prædito indignam. Igitur eundem Alexandrum
in Britannia 18 cum paucis agentem, in vico, 18
cui Sicila nomen est, quidam milites, qui præ-
mijs Heliogabali præcipuè floruerant, cum pro-
bitatem eius pati non possent, occiderunt.
Cuius quodammodo fati prius admonebatur
à muliere Druide, quæ sermone Gallico dixerat
eunti, Vade, nec spera victoriam, nec militi tuo
fide. Miles ille fuit vnus ex Germanis, qui scur-
rarum officium sustinebat, & ingressus tentoria
cunctis dormientibus post conuiuium, hora
diei septima, fuit ab Imperatore solo tunc vigi-
lante, cognitus. qui eidem ait: Quid est contu-
bernalis? túne nobis aliquid nuncias de hosti-
bus? At ille metu perterritus, & animaduertens
se non posse mortem euadere, quòd in tento-
rium Principis irruisset, ad contubernales suos
venit, eósque cohortatur, vt Principem durum
interimerent. qui numero plures, armatiqúe
ingressi Alexandrum, iussu Maximini occide-
runt; cum annos tredecim regnasset. Cuius op-
timi principis virtus singularis & cœnotaphium

 in

in Gallia, & amplissimum Romæ sepulchrum, habere meruit. Sed ingratus ille Iulius Maximinus Alexandri successor, sæpenumerò minatus, & in animo sibi propositum habens, omnes partes Septemtrionis ad Oceanum vsque in Romanam ditionem redigere, fecisset id quidem si diutius vixisset. Sed vbi reuersus ex Germania venit ad Alpium planitiem, exploratores ei nunciant, vrbem Aquileiam, Italiæ maximam, portas occlusisse; Pannoniorum acies, quæ præiuerant, murum acriter oppugnasse. ceterum re sæpè tentata, conatus omnes, irritos esse factos. Itaque fatigatos eos lapidibus hastis, & sagittis super ingruentibus recedere. At iratus Pannonijs, quasi parum impegrè bella gerentibus Maximinus, ipse cum exercitu reliquo, sperans nullo negotio se potiturum vrbis, accelerabat. In exercitu Tribunum quendam Aquileię ciuem habebat, cuius vxor, & filij, & omnis familia in vrbe conclusi erant. Hunc, & cum eo quosdam centuriones mittit Oratores, benè confidens auctoritatem illius municipes facilè secuturos. Quibus legatis ferè populus consenserat, nisi Menophilus, & Crispinus ambo viri Consulares illò missi à Senatu Romano, restitissent, & Bellenum etiam Deum, 19 per aruspices spopondisse, Maximinum esse vincendum, dixissent. Qui loci Deus, ex Britannia procedens, vt suprà demonstrauimus, vindictam mortis Alexandri, sumere videbatur. Milites enim, cum à prælio fortè quiesceretur medio die similiter, & Iulium Maximinum patrē, & eius filium Maximinum Cæsarem, ambos quiescentes occiderunt in tentorio, eorumqúe capita contis præfixa, ciuibus Aquileiæ demonstrauerunt, tertio pòst anno quàm Alexander sic obtruncaretur.

retur. In cuius Iulij Maximini odium, creatus eſt Imperator Marcus Antoninus Gordianus; qui populo Romano ſyluam memorabilem exhibuerat; in qua ſylua cerui palmati ducenti mixtis Britannis ceruis erant; & equi ferè triginta; centum aues feræ; centum Alces; & tauri Cypriaci centum; & Struthiones Mauri trecenti; Onagri triginta; & Apri centum quinquaginta, Ibices ducenti; & Damæ ducenti. quæ omnia populo rapienda conceſsit, die muneris, quod ſextum edebat. Iam enim ſumpta quaſi vindicta Regij Britannorum ſanguinis à Maximino extincti, nullus in inſula per aliquot annos Rex, nec vllus Britanniæ Præſes, aut Legatus erat conſtitutis: ſed Imperatores Romanorum vel iure, vel iniuria rem adminiſtrabant, militéſque publicis editis ſignis eos, eorumqúe coniuges, ac liberos ornabant. ideóque ob honorem vxoris Gordiani 20 poſitus Arcus 20
eſt ob honorem Imperatoris Philippi Semper Auguſti; & eius filij Philippi Cæſaris Nobiliſſimi, apud populos Cumeros inſulæ antiquiſſimos, Pyramis octogona conſtituta fuit. Infelix tamen idem Gordianus Imperator cum filio Gordiano. per Iulium Philippũ · fficitur, quem exercitui in Perſide præfecit, & poſt mortem Miſithei, loco parentis habebat. Qui Miſithens Timeſſocles vir modeſtus ac frugi viſus eſt tanta dexteritate in Republica, militibusq; moderandis, vt vtrique Gordiano chariſsimus fuerit: ac propter ipſius bonitatem ſimul, & ingenitam eloquentiam eò peruenit, vt eius filia Gordiano adoleſcenti nuberet, vrbisq; Pręfectus, Imperium conſilio regeret. Hunc fraude Philippi, hominis Arabis, obijſſe dicunt; ipſumq; Philippum commendatione militum, cum Iuuene Principe

iussum simul imperare. id quod diu durare non potuit. Nam Scythæ, qui Misitheo fidem præstiterant, illiusqúe nutu quieti erant, facta nunc irruptione transgressi limites, & vrbes, & agros Imperij Romani vastauerunt. contra quos Marinus Dux limitis Sarmatici properè mittitur, & ab exercitu Illyricorum Imperator appellatus est. Quod cum Romæ nunciatum esset, Philippus vocato Senatu, plurimum de Marino, vt ingrato conquestus est. Ibi tum Decius vir clarus, hortatur Principem, ne timeret. pœnas enim Marinum breui tempore daturum. qui paulò post seditione militum cæsus, verè pœnas dedit. Hoc quasi vaticinio Decij confirmatus Philippus, ipsum contra Scythas cum supplemento copiarum misit. Qui cum ad exercitum peruenisset vno animo, consensuqúe milites Illyrici eum Imperatorem fecerunt; & recusantem accipere dignitatem, strictis ensibus coëgerunt. Ille rerum experientia Dux cautus, ne à Principe accusari posset, néue calumnijs, locum præberet, litteras ad Philippum fidissimo nuncio dedit, quibus excusabat se, suppliciterqúe orabat, ne rem animo turbato ferret, atque se abdicaturum dignitate, ad quam inuitus trahebatur, promittit. Philippus autem, homo Punica fraude peior, expeditionem conscriptis etiam nouis legionibus, aduersus Decium parat: & cum posset per Duces bellum gerere, ipse copijs eductis profectus est; asserens palam ingentibus minis, se Decium cum scelerato exercitu toto, perditurum. Hac mente turbatus, quasi furore concitus, efferebatur. Itaque & ipse ab exercitu Veronæ, medio capite supra dentium ordines præciso, interfectus est. filius autem eius, Gallus Iulius Saturninus, quem pater Im-

perio

perio ſuo coniunxerat, & Philippum quoque vocauerat, a militibus Prætorianis Romæ occiditur. Quocirca Decius, qui a militibus Illyricis Imperator antè factus erat, a Senatu Auguſtus appellatus eſt. Is cum Imperij magnitudinem contemplaretur, Cornelium Licinium Valerianum, virum militarem, moribúſque bonis præditum, ſed maioris ſpei, quàm fortunæ hominem, exercitui præfecit. Nam poſtea factus Imperator à militibus, qui in Alpibus erant; deinde captus à Sapore Rege Perſarum, in ſeruitute conſenuit. Antea tamen, filium ſuum Licinium Gallienum declarauerat Auguſtum, & filium Gallieni, Cornelium Valerianum, fecerat Cæſarem, Hic Auguſtus Gallienus multa præclarè geſſerat, donec ad delicias prolapſus, Imperium Romanum non curaret. Quod per eum miſerè dilaceratum in Occidente prorſus iacuiſſet, niſi fortè Aulus Poſthumius id in Gallijs ſuſtinuiſſet. Nam triginta tyranni magna ex parte Imperium ſibi occupaueruut. Lollianus atque Poſthumius; Victorinus, & duo Tetrici Principes, in Britannia rerum potiti, 21 inſu- 21
lamq; aduerſus Gallienum tenuiſſe, dicuntur. Inde feliciter ventum eſt ad Flauium Claudium Principem, Conſtantij poſtea Cæſaris parentem, quem plerique, Gordiano natum, eſſe arbitrantur. Nam ille Gallieni morientis ſententia deſignatus Imperator, per Gallonium Baſilium indumenta Regia Ticini accepit. Qui ſi diutius in Republica Romana gubernãda commoratus fuiſſet, Scipiones, Camillos, omnesq; illos veteres bellorũ Duces, ſuis virtutibus, ſuis conſilijs, ſuaq; prouidentia expreſsiſſet. Eo Principe diuerſi populi Scytharum, Celtæq;, & Heruli cupiditate prędæ, in Romanum ſolum, Remq; pu-

blicam venerunt, & illic pleraque, dum alijs rebus Claudius occuparetur, vaſtarunt. Qui cum ſe Imperatoris modo ad id bellum inſtrueret; armatarum gentium trecenta viginti millia, prę ter ſeruos, & familias, ſibi aduerſarios habuiſſe fertur. Nihilo tamen ſecius hos omnes Claudius ingenita ſua virtute benè ſuperauit, & ita breui tempore contriuit, vt vix aliquos eorum ad patrium ſolum redire permiſerit: duoque millia nauium aqua ſubuerſerit; & barbaricos boues infinitos, oueſquè, & equas acceperit Celticas, quæ vbique præſtantiſsimæ iudicantur. Ita Flauius Claudius in terris Princeps vnicus, & Rempublicam ſecuritate à tyrannis, non tantùm triginta, ſed quos ſexcentos pertuliſſet, opulentiáque donauit. Quem origine Darda-
22 num, & ab Ilio Troianorum, 22 ipſóque Dardano ſanguinem trahere dicunt; ac in Republica fuiſſe talem, vt eius ſtirpem ſummi Principes eligerent ad Imperium, & Senatus emendatior optaret. Qui cum iraſceretur Gallieno, quòd mollius viueret, ille Claudium varijs donis placatum fecerit, eiq; inter plurima Chlamydem Dardanicam, & Bardocucullum vnum dederit. Denique cum in ægritudinem Claudius incidiſſet, & priuſquam è vita poſt duos annos Imperij decederet, conuocatis Ducibus, Tribunis, Præfectisq; de rebus multis, ac præſertim de Imperatore deligendo diſſeruiſſet, ſua oratione tandem Aurelianum probauit. Qui quidem Aurelianus iam Cæſar, iratus eſt vehementer quòd Tetricus adhuc Gallias obtineret. Igitur ex Ægypto in Occidentem venit, atque ipſo Tetrico ſuum exercitum prodente, quòd eius ſcelera diutius ferre non poſſet, legiones ſibi deditas obtinuit. Quem eundem Tetricum, filio

ipſius

ipsius semper manente in Senatu, correctorem Lucaniæ fecit, postquam eum in triumpho duxisset, ioco dicens, Sublimius esse, partem aliquam Italiæ regere, quàm trans Alpes Regnare. Qui videtur & ipse pariter irrisus Aurelianus, dum Galliarum Druidas consuleret, vtrum Romanum Imperium apud suos posteros maneret? ac illæ respondissent, Nullius in Republica clarius, quàm posterorum Claudij nomen fore. Quod ab eis dictum pòst ad Constantium Imperatorem, & eiusdem sanguinis virum excellentem referebatur. Nam erant tres fratres, Claudius, Quintillus, & Crispus. filia Crispi Claudia dicebatur. ex ea, & Eutropio, Dardanæ gentis viro nobilissimo, Constantius Cæsar natus est. cuius filius Constantinus, qui verè dictus est Magnus, in Britannia natus, & Imperator salutatus, ad eam gloriam peruenit, quæ à feminis Druidum prædicta fuit. Denique tandem Aureliano ipsomet occiso, quasi Principe seuerissimo, exercitus de Imperatore eligendo ad Senatum retulit, & Annius Tacitus acceptus est; qui paulo pòst factionibus oppressus, mente, animóque defecit. In cuius locum exercitus omnis Aurelium Probum legerat; quem Aurelianus Augustus in animo habuit facere Principem, si quid sibi scienti, prudentíque mali eueniret; de quo Tacitus Imperator in Senatu dixisse fertur, cum sibi Romanum Imperium offerretur, debere Probum fieri Principem. qui faustis in eodem Senatu acclamationibus, Aurelius Valerius Probus, Francicus, Gotthicus, Sarmaticus, Parthicus, non tamen Britannicus appellatus est; licet Britannis vites habere, 23 vinúmque conficere permiserit. Nihilo tamen secius habuit ipse tyrannicos motus non leues 23

cum

cum Proculus, & Bonosus Apud Agrippinam in Gallia imperium arripuissent, sibiq; omnes Britannias, Hispanias, & Braccatæ Galliæ prouincias vindicassent. quos mutuò se iuuantes longo tandem, grauiq; certamine vicit, quòd omnes Germani cum à Proculo diligenter ad auxilium ferendum rogati essent, Probo potius seruire, quàm in armis cum Bonoso & Proculo esse maluerunt. Fuit iste Bonosus in Britannia
24 ortus, 24 ex Hispania oriundus, matre tamen Galla, & Rhetoris filius, vt ipse dicebat. Patrem adhuc puerulus amisit, & a matre fortissima educatus, nihil litterarum didicit. Primùm inter ordines, tum inter equites militauit. demum ordines duxit, tribunatus egit, Rhetici limitis super Rhenum Dux fuit: & quidem sub Aureliano Augusto, qui sæpè dicebat, Non vt viuat, sed vt bibat, natus est Bonosus. Etenim solitus erat tantum bibere, quantum nemo mortalium. quem Aurelianus militiæ causa, in honore diu habuit. Nam si quando legati vndecumque gentium venissent, iste Bonosus eis vinum propinabat, ab eisq; benè potis cuncta per vim vini cognoscebat. Quantumlibet enim bibisset ipse, tamen erat semper securus, ac sobrius; quodq; est admirandum, in vino semper adhuc prudentior fuerat. Hic cum Germani quodam tempore Romanas luxurias, & in Rheno loca voluptatum incendissent, timore, ne pœnas daret, Imperium sibi sumpsit, & diutius id tenuit, quàm initio existimabat. postea superatus à Probo, vitam laqueo finiuit. quo suspendij spectaculo iocus extitit nonnullorum qui, Amphoram, non hominem pendere, dicebant. filios reliquit duos, quibus Probus Imperator pepercit. vxorque eius Hunila Gottha, habita in honore, sala-

ſalariumq́ ei ad mortem vſque præſtitum, fuit.
Etenim fæmina ſingularis exempli, familiæq́ue
nobilis & virago Regalis fuiſſe dicitur. quam
Aurelianus Auguſtus vxorem idcirco dederat
Bonoſo, vt per eum à Gotthis cuncta cognoſce-
ret: deq́ nuptijs, & dotis cauſa donis ſuis, Gal-
lonio Auito ſcribens Aurelianus, Optimates,
inquit, Gotthicas apud Perinthum decretis ſala-
rijs collocato, non vt ſingulæ accipiant, ſed vt
ſeptem ſimul vnum conuiuium habeant. Nam
cum diuiſæ accipiunt, & illæ parum ſimul ſu-
munt, & Reſpublica plurimùm perdit. Nunc ta-
men quia Hunilam Bonoſo dari placuit; Hunilæ
tunicas palliolatas hyacinthinas ſubſericas da-
bis: tunicam auro clauatam ſubſericam librilem
vnam, interulas dilores duas, & reliqua, quæ
matronæ conueniunt. Bonoſo aureos Philip-
peos centum, argenteos Antoninianos mille, æris
ſeſtertia decies dabis; & ſumptu etiam publico
nuptias celebrabis. Enimuero Probum Impe-
ratorem etiam nouæ turbæ in Britannia exce-
perunt. Vir quidam euectus ad magiſtratum à
Probo, ſed ex commendatione Victorini Mauri
familiaris ſui, defectionem meditatus erat. quo-
circa rem cum eodem Victorino expoſtulat. Ille
prius impetrata poteſtate à Principe, vt ad iſtum
abiret; iram Imperatoris fugere ſe ſimulat, in
Britanniam venit, 25 à tyranno amanter ſuſ- 25
ceptus eſt. noctu eum occidit, & confeſtim ad
Probum redijt, eáque turba prouinciam ſimul
liberauit. Carus Manlius à Probo Præfectus
Prætorio, vir morum veterum, verèque carus
omnibus, & genere Romanus, id eſt, Roma
oriundus, tantum amoris, & beneuolentiæ ſibi
apud milites adquiſiuit, vt interfecto Probo,
tam excellente Principe, ſolus Imperio digniſ-
ſimus

ſimus haberetur. Hic liberis ſuis, Cæſaribus nuncupatis, vni Carino Gallias tuendas cum lectiſsimis viris committit: alterumq́; Numerianum, virum diſertiſsimum ſecum ducebat. Et Carino quidem Cæſari Gallias, Italiam, Illyricum, Hiſpanias, & Britannias ea lege decreuit, vt in eis prouincijs omnia faceret, quæ Auguſti facere ſolent. At ille ſe vitijs enormibus, ingentiq́ue morum fæditate maculauit. quod cum audiſſet pater, Non eſt; inquit, ille filius, meus. Denique ſtatuerat Conſtantium, qui poſtea Cęſar dictus eſt, & tunc Dalmatiæ Præſidatum adminiſtrabat, in Carini locum ſubrogare, quòd illo tempore nemo vir melior Conſtantio videbatur. Alter filius Cari Numerianus, egregiè litteratus, & eloquentia pollens, verèq́; dignus Imperio, patrem ad Perſicum bellum comitabatur. Cuius patris mortem fletu nimio proſecutus, oculorum dolorem habuit, idcircoq́; lectica portabatur, vt a ſole ac vento ſubtraheretur. qua quidem occaſione per factionem Arrij Apri ſoceri ſui, qui Imperium inuadere conabatur, occiſus eſt. perq́ue dies plurimos occultatus, Apro, militibus de ſalute Principis interrogantibus, reſpondente, Ipſum aëre aperto, propter oculos inualidos, videri non poſſe, tandem fœtore cadaueris prodebatur. Quibus rebus cognitis omnes in Aprum currunt, eumq́ue ante ſigna, & principia trahunt, ingentiq́; concione, ante tribunal, idcirco factum, habita, eumdem Aprum ſiſtunt. Cumq́ue inter illos quæreretur, Quis Numeriani Vindex iuſtiſsimus efficeretur? &, Quis Reipublicæ bonus Princeps daretur? vno conſenſu omnes Diocletianum, tunc domeſticos regentem, virum quidem inſignem, ſed callidum, ſemperq́ue alti conſilij, ſemper

aman-

amantem Reipublicæ, semper amantem suorum, & paratum ad omnia, quæ tempus requirebat, Augustum appellauerunt. Qui cum tribunal ascendisset, iamque Augustus appellatus esset, & coram eo quæreretur, Quomodo Numerianus occisus esset? educto gladio Arrium Aprum Præfectum Prætorio percussit, Hic est, inquiens, auctor necis Numeriani. Gloriare Aper, Magni Æneæ dextera cadis. Aurelius verò Carinus, cui Britannia, vt suprà demonstrauimus, decreta fuit, vbi patrem Carum Imperatorem fulmine absumptum & fratrem Numerianum Cæsarem à socero Apro interemptum, & Diocletianum Augustum declaratum, esse nouisset; maiora quàm prius scelera commisit; quasiq; iam à domesticæ pietatis freno liber, & ab honestis moribus suorum absolutus, etiam virorum nobilium matrimonia corrupit. Nec ei defuit tamen vigor mentis ad Imperium sibi vindicandum. Nam contra Diocletianum multis prælijs conflixit, in eáque re multum profecisset, si non in Diocletianum cum exercitu recenti tunc ferocem victoria, incidisset. Vltimo enim prælio apud Murtium commisso, desertus à militibus fortissimis, quos habebat, & ad extremum dextera eius Tribuni præcipuè, trucidatus occubuit, cuius vxorem polluisse dicebatur. Imperator ergo Diocletianus, cum varij populorum motus essent, animaduertens opus fore consorte, quo pacem citius vbique redderet, Aurelium Maximianum elegit, quem secum Augustum fecit. Quorum Principum tanta concordia fuit, vt alter alteri nunquam in Republica gerenda repugnauerit. sed Maximianus tanquam filius, Diocletiano veluti patri obtemperauit. idcirco cognomenta felicissima sibi sumpse-

ſumpſerunt, vt Diocletianus Iouius, & Maximianus Herculius appellaretur; & vt Hercules erat filius Iouis, ita Maximianus filius Diocletiani haberetur. Qua ſumma conſenſione animorum, etiam concordes poſtea Auguſtos duos adoptauerunt, Diocletianus Gàlerium Maximianum, & Maximianus Herculius, Conſtantium Chlorum. quos præter quàm quòd fecerunt Cæſares, etiam affinitate ſibi adiunxerunt. Nam vxores primas repudiare coacti, nouas hi duxerunt, Galerius quidem Maximianus Valeriam Diocletiani filiam; & Conſtantius, Theodoram Maximiani Herculij priuignam. Eutropia enim Syra ex priore marito ſuſceperat hanc Theodoram, & poſtea nubens Maximiano Herculio Maxentium ei peperit, & Flauiam Maximam Fauſtam, quæ poſtea Conſtantini Magni vxor erat. Conſtantius autem pro hac Theodora Flauiam Helenam Britannam di-
26 mittere compulſus eſt; 26 de cuius nuptijs, & ex his nato Conſtantino Magno poſtea commodius ac plenius dicetur. Hoc enim tempore Caius Carauſius ex infima gente natus, indolis altæ Iuuenis, animiqúe magni, cum in ordine militiæ famam egregiam conſecutus eſſet, virtutemqúe ſuam ex rebus multis fortiter geſtis Senatui Populoque Romano probauiſſet, ab eis poteſtatem loca maritima Britanniæ, nauibus, armisq́, ab incurſione barbarorum tuendi petijt. qua ratione fore promittebat, vt eorum in Inſula Rempublicam magis augeret, quàm ſi totum Britanniæ Principatum adminiſtrandum ei concederent. Hanc poteſtatem limitis tuendi codicillis datis cum accepiſſet apud Bononiam, per traiectum Belgicæ, Armoricæqúe regionis profectus ad mare pacandum, quod Franci, & Saxo-

Saxones tunc infestabant, ipse multis barbaris sæpè captis, nec integra illorum præda, vel Prouincialibus reddita, vel Imperatoribus missa, in eam suspicionem venire cæpit, quòd hoc consilio barbaros admitteret, vt transeuntes cum præda exciperet, seque ista spoliatione diuitem faceret. Quocirca iussus occidi à Maximiano Herculio tunc in Gallijs agente, purpuram sumpsit, & transmittens Britannias occupauit. 27 Ibi nauibus omnia littora circumiẹ, 2
populumq úe tumultu ciet, bona quorumcumq; potest, vi eripit, vrbésque incendit. nec id mirum. cum ad eum sic agentem omnes vndique homines rerum alienarum appetentes confluebant. ex qua colluuie hominum, tantum breui tempore collegit exercitum, quantum nemo Princeps vicinus ferre potuit. denique Romanam legionem vnam, Francorumq; copias in societatem pellexit. Quibus rebus elatus Britonas iussit appellare se Regem, quò facilius ex Insula reliquos Romanos eijceret. quibuscum magna sæpènumero bella gessit, victoriamq;, Picthis adiuuantibus, reportauit. quos corrupisse donis, excussóque iugo Romanorum fuisse creatum Regem, cum eoq; variè belligeratum ferunt. sed cum armorum vi vinci non potuit, homo rei militaris peritissimus, ad postremum certa pax conuenit. Quæ cum Romæ nunciaretur, vt indigna Populi Romani maiestate, multum displicuit. Itaque cum Caio Alecto erium legionum legato agitur, vt Carausium tyrannum interficiat, regnumq; Britanniæ Romanorum ditioni restituat. Quod ille negotium non tam viribus, quàm insidijs peregit, cum Carausius annos septem imperasset. Sed altera parte mandati frustratus Alectus Roma-

nos, non ipsis restituit, sed sibi, Regnum Britanniæ per annos tres retinuit, donec ab Aurelio Asclepiodoto Præfecto Prætorij victus esset, non tam voluntate Asclepiodoti, quàm quòd Constantius Chlorus legatus ad recuperandam Britanniam mittebatur. Britanni enim quibus Alectus cladem intulisset, ob desertam Rempublicam Romanorum, adhæsionemq́ue societati Carausij, ad Asclepiodotum quasi suum Regem confugerant. Cuius ductu, Lundonias proficiscuntur, vbi tunc Alectus diem festum celebrabat, & Dijs patrijs sacrificia faciebat. quibus sacrificijs confestim relictis pugnam cum Asclepiodoto acerrimam committit; qua tandem Asclepiodotus vicit, dissipatisq́ue, ac in fugam coniectis Alecti turmis, semper insequendo, tam ipsum, quàm multa hominum millia peremit. Liuius Gallus; Alecti socius, victoriæ sic partæ cedere nolebat; sed reliquias Romanorum militum, quos regebat, & Francos, qui pugnæ superrerant, Lundinum congregat, vrbéque conseruat, donec aliunde subsidium accepisset, vel imminentem sibi necem pacta saltem pace redemisset. Igitur Asclepiodotus vrbem obsidet, Ducibusq́ue Britanniæ Alectum se prælio interfecisse, nunc autem intra Lundonias Gallum obsidere, scribit. proinde suppetias ferrent. Quibus rebus cognitis Demetæ, Venedoti, Deiri, Albaniq́ue de genere Britonum, omnes venerunt, machinisq́ue bellicis innumerabilibus obsidionem adiuuarunt. Hi qui fuerant vrbe clausi, præter vnam legionem, quæ modicè resistebat, omnes interfecti sunt. Reliqui autem cum nullam spem vitæ, superesse viderent, Liuio Gallo suadent, se sub hac conditione dedere, vt liberè cum armis

abire

abire sinerentur. Quod Asclepiodotus concedit quidem; sed Venedoti orbe facto irruunt, ac Liuium Gallum, ceterosq́ue, quos habebat, crudeliter interficiunt ad amnem, qui per vrbem ferè mediam fluebat, & a Ducis nomine, Galli torrens appellatur. 28 Sic Alectus, qui Carau- 28
sium dolo sustulit, aperto Marte vincitur, & Asclepiodotus bona cum pace rexit, donec inter ipsum, & Coëlum, Ducem Colcestriæ, orta propter res populi non defensas grauissima discordia, interficitur Asclepiodotus, & Coëlus eo nomine Tertius, Rex 29 appellatur. Qui 29
rem anno vno prudenter administrans, filiam Helenam Constantio petenti nuptias eius, dat in matrimonium, & quoniam vnica fuit, ac patris heres, cum ea Regnum etiam reliquit: quod ille Cæsar factus, & Helena, vt suprà demonstrauimus, dimissa, cum Romano Imperio iterum coniunxit.

LIBRI QVINTI A LVCIO AD CONSTANTIVM ANTIQVITATVM NOTÆ.

1 MIRACVLA tribuebant. Gaufridus Arthurius lib. 2. c. 1. Natus est Coëlo, inquit, vnicus filius, cui nomen erat Lucius. qui defuncto patre cum esset Diademate insignis, omnes patris actus bonos tam propè imitabatur, vt alter ipse censeretur. Volens autem nouissima suæ vitæ, prioribus anteferre, mittit epistolas Eleutherio, quibus petit, vt ab eo Christianus efficeretur. Serenam enim mentem eius miracula fecerunt, quæ tyrones Christi, per diuersas prouincias, & nationes ediderunt. Hæc miracula sunt signa, quibus confirmatur sermo diuinus. adeo vt rectè fecerit optimus Princeps in vera religione cognoscenda, cum testimonium miraculi pro animæ securitate, auctoritatemque missionis Apostolicæ sequeretur, vt ad Orationem v. Nota 22. demonstraui.

2. REX, & reliqui. Baptista Platina in vita Eleutherij dicit, eum inito Pōtificatu statim epistolam accepisse à Lucio Rege Britannorum, qua rogabatur, vt se ac suos in Christianorum numerum reciperet. Quare Fugatium & Damianum eò misit, qui regem ipsum, ac populum baptissarent. Mutatio verò Flaminum & Protoflaminum in Episcopos, & Archiepiscopos, declaratur a me ad l. 78. Decemvirorum Nota 149. ipséque ordo Londinensium Archiepiscoporum, donec illa suprema dignitas Cantuariam per Augustinum translata foret, à Stoueo in secunda editione Chronicôn recensetur. nisi quod Cambdenus pro vltimo Vodino, Theonum ponat. sic enim in Trinobantibus, Non longo post

post tempore, inquit, quàm Romanorum imperium in Britannia conficeretur, publico fato insulæ Londinum in potestatum Saxonum deuenit. Sed quomodo deuenit, id ex scriptoribus non constat. Vortigernum captum, vt se redimeret, Hengisto Saxoni tradidisse opinor, inquit, vrbem Londinum, cùm ad Saxones Orientis spectaret. Quo tempore pertulit Ecclesia etiam grauissima mala; quòd pastores aut necati, aut fugati, gregesque populorum opibus omnibus sacris ac profanis contusis, abacti forent. Theonus vltimus è Britannis Episcopus Londinensis; Sanctorum tamen reliquias ad perpetuam earum memoriam conseruandam occultabat. hæc Cambdenus. Sed Gaufridus lib. 8. c. 1. sub Rege Constantino, qui secutus est Arcturum, scribit Theonum longè post mortem Vortigerni fuisse Claudiocestriæ Episcopum, & inde ad Lundoniarum Archiepiscopatum transferri.

3. CLIVVS Sancti Lucij. Ægidius Schudus libro de prisca Rhoetia c. 18, Lucius Rex Britanniæ, quæ nunc, inquit, est Anglia, anno Domini 176. tempore Eleutherij Pōtificis, & Imperatorum Marci Antonini, atque Lucij Veri relicto regno suo, & amore plantandæ Christianę fidei venisse dicitur in Bauariam, eamque ad fidem conuertit. Post hæc secedens in Rhetiam, transcensoque colle, qui est supra arcem Gutenbergam, (vnde nomen illi cliuo in hodiernum diem mansit, vt Sancti Lucij cliuus appellaretur) venit in regionem, vbi iam est vrbs Curia, vnà cum Sancta Emerita, quę in Trimis, loco, vnius horę spatio à Curia distante, ob Christi fidem prædicatam supplicium extremum passa est. At Sanctus Lucius continuit se aliquandiu in quadā montis cauerna supra Curiam; prædicans Christi fidem. sed qui tandem quoque ab infideli populo, & Præfecto regionis illius, in arce Martiola iuxta Curiam interfectus est.

4. AB Imperatore Commodo Vlpius Marcellus. Ioannes Xiphilinus ex Dione in vita Commodi, Fuere, inquit, Commodo quædam bella cum Barbaris, qui

vltra Daciam incolunt,ex quibus Albinus & Niger,qui postea bellum gesserunt cum Seuero Imperatore, magnam gloriam consecuti sunt. Sed bellum Britannicum omnium longè maximum fuit. Quamobrem cum Britanni essent eum murum transgressi,qui inter ipsos, & Romanorum castra intercedit, vastassentque multa, Romano Duce,& militibus,quos secum habebat,cęsis, Commodus timore perterritus , contra eos Vlpium Marcellum misit. is erat homo modestus & frugi, Nam quod ad cibum ceteraque pertinet, viuebat more ceterorum militum, eratque fortis ac magnanimus, quoties bella gereret. pecunia quidem certè non corrumpebatur, minimè tamen lenis, aut humanus erat. Dux fuit omnium vigilantissimus: cumque vellet ceteros,qui cum ipso erant,vigilantes esse,duodecim tabulas, quales ex tilia fieri solent, quotidiè perscribebat vesperi, mandabatque vni ex suis , vt alias alijs, atque alijs horis perferret ad diuersos milites; quò Imperatorem suum vigilare semper rati,ipsi minus dormirent. Et quamquam somno alioqui resisteret naturà, tamen quo magis id facere posset, inedia perfecerat. Nam vt ne pane repleretur, eum Roma ad se iubebat exportari, ne paulo plus, quàm esset necesse, posset propter vetustatem comedere. Igitur Marcellus tali ingenio præditus, maximis atque grauissimis damnis Britannos affecit, quo facto quamquam parum abfuit , quin virtutis ipsius ergo Commodus eum necaret, tamen ipsum dimisit.

5. COMMODVM, Britannicum appellauerunt. Ælius Lampridius in vita Commodi Antonini, Appellatus est Commodus, inquit, etiam Britannicus ab adulatoribus, cum Britanni alium Imperatorum contra eum deligere voluerint. Appellatus est etiam Romanus Hercules, quòd feras Lanuuij in Amphitheatro occidisset. Erat enim hæc illi consuetudo , vt domi bestias interficeret. Fuit præterea ea dementia , vt vrbem Romam,coloniam Commodianam vocari voluerit. de qua re cum retulisset ad Senatum , non solùm hoc

hoc Senatus libenter, sed per irrisionem accepit, verùm etiam seipsum Senatus voluit, Commodianum dici, & Commodum, Herculem, ac Deum appellari. Vnde Xiphilinus, vsque adeo, inquit, scelus insaniebat, vt ad Senatum scriberet Commodus his verbis:
Imperator, Cæsar, Lucius, Ælius, Aurelius, Commodus, Augustus, Pius, Felix, Sarmaticus, Germanicus, Maximus, Britannicus, Pacator orbis terrarum, Inuictus, Romanus, Hercules, Pontifex, Max. Tribuniciæ potestatis xviij, Imperator viij, Consul vij, Pater patriæ, Consulibus, Prætoribus, Tribunis plebis, Senatuique Commodiano felici salutem. Denique Cambdenus, In colle, quem à Burgo nunc dicunt, inter alia multa Romanæ vetustatis argumenta, inquit, non ita pridem eruta fuit Aurelij Commodi Imperatoris statua; qui ab adulatoribus nominabatur, Britannicus; cum Britanni etiam contra eum eligere Imperatorem voluissent. Hęc statua tunc posita fuisse videtur, cum ille sui ęstimator immodicus, eò vesaniæ processerit, vt Herculem Romanum Iouis filium se dici iusserit. Nam hæc statua est Herculis habitu efformata, & dextra tenet clauam, cui subest mutila inscriptio: *Cæsari Augusto Marci Aurelij filio, Senis Iouis Amplißimi.*

6. SENATOR, nondum tamen Dictator. Hanc orationem Iulius Capitolinus in vita Clodij Albini ponit. quæ viuo adhuc Commodo, Romam, inquit, delata est, & Commodum sic asperauit in Albinum, vt statim ei successorem mitteret Iunium Seuerum, vnum ex contubernalibus suis. De Iulio autem Cæsare vt Senatore, non Dictatore in Britannia sic Eutropius lib. 6. Romanæ historiæ, Anno vrbis conditæ 698. Caius Iulius Cęsar, qui postea imperauit, cum L. Bibulo Consul factus est. Gallia ei decreta est, & Illyricum legionibus decem. Is primò vicit Heluetios, qui nunc Sequani dicuntur. Deinde vincendo per bella grauissima, vsque ad Oceanum Britannicum accessit. Annis ferè nouem domuit omnem Galliam, Britannis mox intulit

 bellum,

bellum, quibus ante eum, ne nomen quidem Romanorum cognitum. quod ab Eutropio non rectè dictum apparet ex historia Brenni libro 3. superius. Attamen Cæsar Britannos victos, obsidibus acceptis, stipendiarios fecit. Galliæ autem tributi nomine annuum imperauit sestertium quadringenties. quæ summa facit ad æstimationem pecuniæ Gallicæ, decies cẽtena millia coronatorum, & ad æstimationem Anglicæ, ducenta millia librarum sterlingarum. nam, vt ait Vlpianus l. 1. de quæstionibus, in tributis esse Reipublicæ neruos, nemini dubium est. Huic iam bellum ciuile successit execrandum, & lachrymabile, quo præter calamitates, quæ prælijs acciderunt, etiam Romani nominis fortuna mutata est. Cæsar enim rediens è Gallia Victor, cœpit poscere alterum Consulatum, atque cum sine dubio deferretur, contradictum est à Marcello Consule à Bibulo, a Pompeio, à Catone, iussúsque dimissis exercitibus ad vrbem redire, propter eam iniuriam, ab Arimino, vbi milites congregatos habebat, ad versus patriam cum exercitu venit. Consules cum Pompeio, Senatusque omnis, atque vniuersa nobilitas ex vrbe fugit, & in Græciam transiuit, apud Epirum, Macedoniam, Achaiam, Pompeio Duce, contra Cæsarem bellum parauit. Cæsar vacuam vrbem ingressus, Dictatorem se fecit. quod ab Eutropio minus etiam rectè dictum, Xiphilinus ex Dione lib. 41. reformans, Cęsar à Lepido, inquit, qui postea fuit in triumviratu, Dictator est dictus, quo magistratu suscepto, se statim vltrò abdicauit: quamuis eius factis perinde atque Pompeius vteretur.

7. ROMAM haud procul à Britannia distantem. Herodianus lib. 2. Seuerus homo prouidus, inquit, ac sobrius, nonnulla suspicione, tenebatur de Britannicis exercitibus, maximis videlicet, pugnacissimisque, quibus præerat vniuersis Albinus. quem sibi ratus astu iungere, ne diuitijs, genere, exercitibus, famaque nominis, summam rerum posceret, Romamque haud procul à Britannia distantem, se bellis Orientis impli-

cito occuparet, eum specie quadam honoris inescare statuit. quare Cæsarem eum appellat. Certè modicam hanc locorum distantiam significare voluit Vlpius Marcellus, qui panem, quo vesceretur, ab vrbe Roma in Britanniã ferri procurauit vt Nota 4. demõstrauimus.

8. HERACLITVM ad obtinendas Britannias misit. Ælius Spartianus in vita Seueri, Eos ipsos, inquit, pertimescens Imperator, de quibus rectè iudicabat, Heraclitum ad obtinendas Britannias, & Plautianum ad occupandos Nigri liberos misit. Sed Albinus Britanniarum legatus ei cedere noluit. quimimo nomen Imperatoris postea sumpsit, & in Britannijs imperare cœpit, vt ait Onuphrius, anno post Christum natum 194.

9. INSVLARIS exercitus. Hanc orationem Seueri scribit Herodianus lib. 3. Vbi ponitur ista vehemens deminutio verborum, de contrarijs viribus Albini, & Seueri. Neque enim, inquit, sustinere ille exercitus Albini exiguus, atque Insularis poterit vires nostras; quæ nunc tanta Orientis accessione creuerunt, vt totus penè Romanus exercitus hic adsit. Quæ militaris iactantia, quòd exercitus Albini sit ὀλίγος καὶ νησιώτης, postea compensatur vera historiæ narratione. Nam cum se mœnibus Lugduni tenuisset Albinus, emisit exercitus ad pugnam. Vt verò ventum est ad manus, diu quidem vtrinque decertatur æquis viribus, sic, vt ambigua victoriæ fortuna penderet. Neque enim Britanni, quibus fidebat Albinus vel animi magnitudine, vel auiditate cedis, Illyricis militibus, quibus Seuerus vtebatur, concesserunt. Ita conflictu primo valentissimorum exercituum neutram in partem acies inclinabat. Atque vt nonnulli prodiderunt eius ætatis autores, inquit Herodianus, qui non ad gratiam, sed ad fidem loquuntur, longè potior fuit Albini acies. qua in parte Seuerus rem curabat sic, vt fugerit quoque, & ab equo deciderit, abiectoque paludamento delituerit.

10. NATV maiorem Baſſianum. Seuero redeunti ſanè Romam, inquit Spartianus, poſt bellum ciuile Nigri, aliud bellum ciuile Clodij Albini nunciatum eſt, qui rebellauit in Gallia. quem hoſtem iudicauit, & eos, qui ad illum mollius vel ſcripſerunt, vel reſcripſerunt, hoſtes ſibi fore declarauit. Et cum iret contra Albinum, in itinere apud Viminatium, filium ſuum maiorem natu Baſſianum, appoſito Aurelij Antonini nomine Cæſarem appellauit, vt fratrem ſuum Getam, ab Imperij ſpe, quam ille conceperat, ſubmoueret. Et nomen quidem Antonini filio appoſuit idcirco, quòd ſomniauerat, Antoninum ſibi ſucceſſurum. In qua narratione Spartiani conſtat intelligi Galliam inſulæ Tranſſabrinam, vbi erat vrbs legionum Romanarum, quibus vti Legatus præerat Albinus. de qua vrbe lib. 3. Nota 12. multa demonſtrauimus. deinde conſtat Baſſianum filium maiorem Martia vxore Britanna natum ſicut explicui lib. 4. Nota 69. ſucceſſiſſe patri, vetere iure Troianorum, Britonumque, quod exponebam lib. 3. Nota 2. & idcirco fuiſſe Getam, licet matre Iulia Regina progenitum, ab Imperio ſecluſum.

11. INSVLAE adminiſtrationem bipartitò diſtribuit. Angelus Politianus interpres Latinus facit Herodianum loqui ſic: Rebus Britanniæ ordinatis, cum totius Inſulæ adminiſtrationem bifariam diſpertiſſet, itemque omni Gallia ex ſententia, quemadmodum videbatur, compoſita, Seuerus continuò Romam proficiſcitur, exercitum ſecum omnem adducens, quo terribilior videretur. Sed ipſe Græcus Herodianus, διοικήσας δὲ τὰ κατὰ τὴν Βρεττανίαν, καὶ διελὼν εἰς δύο ἡγεμόνας τὴν τοῦ ἔθνους ἐξουσίαν, εἰς τὴν Ῥώμην ἠπείγετο, hoc eſt, inquit Latinè, Seuerus quaſi diſtribuens per diœceſes ea, quæ pertinent ad Britanniam; & diſpertiens in duo regimenta gentis illius Poteſtatem, ibat Romam. Non igitur dicit Herodianus Seuerum, totius Inſulæ admi-

niſtra-

niſtrationem ordinauiſſe. quippe, totam Inſulam non occupauerat. ſed eam partem inſulæ, quæ Romanis ſubiecta fuit, in Diœceſes duas diſtribuiſſe, quarum adminiſtratio ſub duobus Præfectis ageretur; quæ regimenta reipublicæ Arcadius Chariſius, titulo de officio Præfecti Prætorio vocat. Ergo cum ibi iam eſſet Heraclitus, ad eum miſit alterum, qui gentis adminiſtrationem loco Albini caperet; & tunc iuit Romam, non ita continuò poſt victoriam, vt interpres loquitur. Quibus ex rebus apparet, non fuiſſe Septimij Seueri vetuſtiſſimam diuiſionem Britanniæ, quam Ptolomæus lib. 2. ponit, in Magnam & Paruam Britanniam; vt magna ſit, citerior ad meridiem, Parua verò illa vlterior ad Septemtriones, cuius incolæ in Mœatas & Caledonios, id eſt, campeſtres & montanos diſtinguuntur. Horum enim Britannorum, inquit Xiphilinus in vita Seueri, duo ſunt præſertim genera, Caledonij, & Mæatæ. Incolunt Mæatæ iuxta eum murum, qui diuidit Inſulam in duas partes: Caledonij, poſt illos ſunt. Poſſident vtrique mõtes aſperrimos, & ſine aqua, itemque campos deſertos, plenoſque paludibus. quodque mœnia non habent, nec vrbes, agros nullos colunt. de præda & venatione, fructibuſque arborum viuunt. nam piſces, quorum ibi maxima eſt, & innumerabilis copia, non guſtant. Iſtorum Britannorum defectionem iterum factam, Seuerus conuocatis militibus vindicauit, iuſſitque vt regionem eorum inuaderent, atque omnes quibus occurriſſent interficerent. Quia Romani neglexerunt hanc vlteriorem partem, quòd ipſis (vt ait Appianus) vtilis eſſe non poterat. ac ideo eam termino non procul ab Edenburgo poſito, ſeparabant à citeriore parte, quam in Prouinciam iam redactam primùm duplicem quoque fecerũt, Interiorem ſcilicet, ac Superiorem, vt Dio lib. 55. demonſtrat. Angliæ, quæ nunc dicitur, partem citeriorem cum Vallia, Superiorem Britanniam; ſed eam, quæ vlterior ad Septemtrionem eſt, Inferiorem vocant. Id ſedes ipſa legionum apud Dionem oſtendit, nimirum, Auguſtæ ſecundæ,

quæ

quæ ad Caerleon in Vallia; & Victricis Vicesimæ, quæ ad Cestriam Deuæ in Superiore Britãnia collocabatur. & Sextæ Victricis, quæ fuit Eboraci, sed in Britannia Inferiore, vt ipse scribit. Hanc verò diuisionem à Seuero Imperatore fuisse factam existimarem, inquit Cambdenus eò, quòd Herodianus narret illum deuicto Albino qui Britannico exercitui præerat, & imperium occuparat, Britanniæ rebus ordinatis, totius Insulæ administrationem bifariam diuisisse. Deceptus ipse Latina interpretatione Politiani, & totam, Insulam putat subditam Romanis eo tempore fuisse; administrationemque gentis, ad locorum distinctionem, terminorumque positionem transfert, quam Seuerus adhuc nullam fecerat, sed Eboraci & postea rexit, & mortuus est.

12. IN Scythiam transmisit. Gaufridus lib.2. c.2. Lucius Rex in vrbe Claudiocestriæ, inquit, honorificè sepultus est, anno ab incarnatione Domini centesimo quinquagesimo sexto. Caruit autem sobole, quæ sibi succederet, vnde dissidium inter Britonas ortum, Romanaque potestas infirmata fuit. Id cum esset Romæ nunciatum, Senatus misit Seuerum Senatorem, cum eoque duas legiones, quibus ea patria Romanorum potestati restitueretur. Credo illum hæc scribentem intelligere Iunium Seuerum, quem à Commodo missum Nota 6. demonstrauimus. Attamen Gaufridus quasi de Imperatore Seuero loquens, Mox, inquit, vt appulit, prælium cum Britonibus commisit, eorumque partem subdidit sibi, partem verò, quam subiugare nequibat, miris modis infestabat; adeo vt eandem Britonum partem trans Deiram in Albaniam fugauerit. vbi duce Fulgenio collecta, rursus omni conatu resistebat; & sæpenumero tam ciuibus, quàm Romanis stragem maximam inferebat. Horum irruptionem grauiter ferens Imperator, iussit construi vallum inter Deiram & Albaniam, quo eos propius accedere prohiberet. Illud autem à mari vsque ad mare Romani fecerunt. quod multo tempore postea hostium accessus impediuit. At

Fulge-

Fulgenius cum diutius Seuero resistere nequiuisset, in Scythiam transmisit, vt Picthorum auxilio iuuaretur. Ibi cum Iuuentutem omnem collegisset, reuersus in Britãniam maximo nauigio, Eboracum obsedit. Quod cum sciretur, plurima pars Britonum deseruit Seuerum, & ad Fulgenium transibat. Nihilo tamen secius in suis ceptis perstitit Seuerus, Romanisque conuocatis, ac Britonibus ceteris, qui ei adhæserunt, obsidionem soluit, & cum Fulgenio dimicauit. Quę cuncta verè dicuntur de Septimio Seuero Imperatore, sed præproperè, cum adhuc in Britanniam cum duobus filijs non venisset.

13. PRAETORIAM huius vrbis, ac Tribunal. Seuerus liberorum suorum vitam, & indecora in spectaculis studia, inquit Herodianus, ferens grauiter, litteras a Britanniæ Pręfecto accepit, quæ docebant barbaros illic agitare seditiones, regionemque omnem incursionibus, ac depopulationibus vastare. Quare ad resistendum opus esse maiore manu, vel etiam Principis ipsius præsentia. Lætus eas res Seuerus audiuit. quippe homo suapte natura gloriæ appetentior, post victorias ad Orientem, & cognomina vtrinque parta, etiam trophęa contra Britannos aliqua excitare cupiebat. & filios quoque abducere ex vrbe, vt in castris, militari, ac sobrię vitæ adsuescerent. ita expeditionem in Britanniam edicit. confectoque itinere celerius omni spe, ac sermone, Britanniam ingressus est. Ceterum Britanni repentino Principis aduentu perculsi, auditoque tantas contra se copias parari, legatos ad eum de pace, ac seipsos expurgatum miserunt. At Seuerus moras nectit, cupidus victoriæ, cognominisque Britannici. Hoc tempore, inquit Forcatulus, Eboraci Prætorium siue Tribunal fuit, vel eo nomine felicissimum, quòd Aemilium Paulum Papinianum, Iuris ac Legum oraculum habuerit. Ex qua vrbe Seuerus & Antoninus Augusti de Iure consulti Cęciliæ rescripserunt l. 1. Codicis, de rei vindicatione.

14. QVOD Maximum eius imperij decus esset. Britan-

Britanniam, quod Maximum eius imperij decus est, inquit Spartianus, muro per transuersam Insulam ducto, vtrinque ad finem Oceani Seuerus muniuit: vnde etiam Britannici nomen accepit. hunc verò murum Picthicum vocari lib. 4. Nota 67. demonstraui. Et idem scribens Polydorus Vergilius lib. 2. Haud me pœnitet eorum, inquit, esse sententiæ, qui Seuerum narrant pacata primo aduentu ea Insulę parte, quæ Romanis vectigal pendebat, bellum gessisse aduersus Picthos: qui more latronum, quottidie in prouinciam excursiones faciebant. Sanè quidem Herodianus perspicuè demonstrat hos fuisse Picthos, quibuscum sepè conflixit Seuerus: cum de moribus eorum lib. 3. scribens: Neque vestis vsum, inquit, cognouerunt, sed ventrem, atque ceruicem ferrocingunt, ornamentum id esse, diuitiarumque argumentum existimantes, perinde vt ceteri aurum esse credunt. quin & ipsa corpora sua notant varia pictura, & omnifariam formis animalium. Hæc Polydorus Vergilius, existimans Pictos Latinè dici a pictura. sed Humfredus contrà, vernacula lingua Vallorum antiquissima, Picthos, ait, eos appellari cum aspirationis nota. proinde non esse verisimile illos à pingendis corporibus dictos sic à Romanis fuisse, cum priusquam essent Latinis cogniti, etiam hoc nomine vocarentur. Nec hi, sed Britanni, vt Cęsar, & alij narrant, corpora glasto in cæruleum colorem pingere solebant, vt hostibus terribiliores esse viderentur. Porro primi Romanorum, qui meminerunt eorundem, non Picthos, sed Pictones appellant. Sic Humfredus, quem ego sequor in rectè scribendo per aspirationem nomine Picthorum. quique benè obseruat, eosdem Latinè Pictones vocari. nam cum Pomponius Lętus in Valentiniano Augusto, Picti & Scoti Germanę gentes, inquit, Britanniam inuadunt: illi Caledonios & Veturionas occupant, hi depopulantur Insulam: idem Theodosij vitam scribens, Rursus Scotorum & Pictonum copiæ, inquit, è Britannia à legionibus Romanorum pelluntur. Nihilo tamen secius

arbitror Cambdenum non errare, cum dixerit vtrosque populos tam Picthos, quàm Britannos, ritum illum pingendi, & coloribus se oblinendi seruasse. Inde Claudianus

Perlegit exanimes, inquit, *Pictho moriente figuras.*

Et Isidorus, Non abest genti Pictorum, inquit, nomen a corpore, quod opifex minutis acus punctis, expressos natiui graminis succos includit, vt has ad sui specimen cicatrices ferat, Pictis artubus maculosa nobilitas. Quod cum ita est, quis existimabit, nisi Pomponius Lætus, vt modò dixi, hos Picthos fuisse Germanos, qui nunquam sunt vsi hoc more se pingendi. Sed quia Beda scribit, vt & alij, qui illo tempore vixerunt, Gentem Picthorum de Scythia longis nauibus in Britanniam venisse, ego crediderim, Picthos illos ex Scythia Europæ, ad Britannos Septemtrionis accessisse. Nam ita Gaufridus Arthurius, Prodiderant, inquit, Bassianum Picthi, quos Fulgenius matris suæ frater in Britanniam conduxerat. Qui ex Transtuedana regione, ne alios quotidiè Britannos, more prædantium diuexarent, Seuerus Romanam prouinciam terminasse fertur, murumque instar valli ad id loci fecisse, vbi Hadrianus antea posuerat. quo quidem opere non modò Pictorum, verumetiam Scotorum impetus aliquando repressus est. Attamen iste murus ex lapide solido cõfectus, (qui etiam nunc, inquit Polydorus, & si non integer, turribus æquo spacio interpositis munitus visitur,) non à Seuero factus est, sed amplius ducentis annis postea, Principe Romanorum Theodosio Arcadij filio, & Valentiniano Tertio imperium Occidentis administrante, cum Aëtius dux copiarum, bellum Burgundionibus faceret. Quæ Polydori Vergilij est singularis opinio, neque antiquis scriptoribus consentanea. quamuis ipse dicat omnes penè recentiores errore lapsos, cum istud opus Seuero tribuunt.

15. ESTO Deus. Cum Seuerum ex humili loco, inquit Spartianus, per Litterarum & Militiæ officia pluri-

plurimis gradibus ad Imperiũ fortuna duxisset, Omnia inquit fui,& nihil expedit. Perijt Eboraci in Britannia, subactis gẽtibus, quæ Britãniæ videbãtur infestæ; anno Imperij decimo octauo (Xiphilinus ait decimo septimo) iã senex morbo grauissimo extinctus, reliquit filios duos Antoninũ Bassianũ, & Getam. quorũ illum matre Britanna ortũ esse dixi lib. 4. Nota 69. nunc gentes has, quas domuit, non fuisse sui origine Britãnicas, sed Britãniç infestas Spartianus monet. Itaque Picthos è Scythia eos extitisse, vt proximè demonstrauimus, apparet. Sed illud Seueri dictum est memoria dignum, Omnia fui, & nihil expedit. quod Aethiops istè repetẽs, Totum inquit, fuisti, totum vicisti, iam Deus esto victor. Certè Spartianus rectè scribit, Aethiopem, ioci causa sic locutum; quòd ipsi nescientes verum Deum, malebant non mori, quàm post mortem inter diuos referri. Hoc in vita Getæ demonstrans, Cum eum, inquit, Bassianus occidisset, ac vereretur tyrãnicam ex parricidio notam, audiretque posse mitigari facinus, si, Diuum, fratrem appellaret, dixisse fertur: sit Diuus, dum non sit viuus. Idem procul dubio sentiebat Seuerus, doctrinæ semper nimis cupidus, huiusmodi diuinitati, quam homines dabant in cõsecrationibus Imperatorum, deesse veram æternitatem; idcircoque dixit, Nihil expedire, se fuisse omnia. benè tamen factis gauisus, vltima verba protulit hæc: Turbatam Rempublicam vbique accepi, pacatam etiam Britannis relinquo.

16. NOMINE crudelitatis inquinaretur. Magnæ prudentiç fuit in libertate Imperij cęlare vitium naturę suæ hoc Septimius Seuerus ex litterarum studio consecutus est. nam, vt ait Spartianus, cum implacabilis esset delictis, tum ad eligẽdos industrios quosque viros, fuit iudicij singularis. Philosophiæ ac dicendi studijs satis deditus, doctrinç quoque nimis cupidus, latronum hostis vbique, vitam suam priuatam, publicamque ipse composuit ad fidem, solum tamen vitium crudelitatis excusans. de quo Principe Senatus ita iudicauit, Illum aut non debuisse nasci, aut non mori; quòd & nimis crudelis,

crudelis, & nimis vtilis Reipublicæ videretur. Cuius de Albino cruentam victoriam Xiphilinus ex Dione referens, Albinus in ędem quandam, inquit, ad Rhodanum confugerat, quam vt sensit vndique septam esse Seueri custodia, mortem sibi consciuit. Non enim ea refero, inquit Dio, quæ scripsit Seuerus, sed ea, quę vera constat esse facta. Is vt vidit corpus Albini, vehementer sibi gratulatus oculis ac lingua, reliquum quidem iussit abijci, caput autem misit Romam, & cruci affixit. At ego secutus Herodianum idcirco non adieci, caput abscissum viuo, an mortuo Albino fuerit. Seuerus domi tamen, minus erat cautus, qui vxorem Iuliam adulterijs famosam, & coniurationis etiam consciam tenuit. nam illa coniuratio fuit Antonini Bassiani cum his, qui viuo patre appellauerant ipsum Augustum in Britannia. Et adulteria Iuliæ Augustæ benè sciebat vxor Argetocoxi Britannorum Reguli, dum ei facetè retorsit incontinentiam, libidinemque sibi prius exprobatam, vt ad libri 4. finem adnotaui. Sed hoc Spartianus in vita Caracallæ plenius exprimens, Interest scire quemadmodum, inquit, nouercam suam Iuliam vxorem duxisse dicatur. Quæ cum esset pulcherrima, & quasi per negligentiam, se maxima corporis parte nudasset, dixissetque Antoninus, Vellem, si liceret, respondisse fertur: Si libet, licet: An nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere? Quo audito, furor inconditus ad effectum criminis roboratus est: nuptiasque eas celebrauit, quas si sciret, se leges dare, verè solus prohibere debuisset. Matrem enim (non alio dicenda erat nomine) duxit vxorem, ad parricidium iunxit incestum: siquidem eam matrimonio sociauit, cuius filium nuper occiderat. Quibus ita demonstratis Onuphrius Panuinius lib. 1. Romanorum Principum, non rectè ponit Septimij Seueri primam vxorem esse Martiam. & secundam Iuliam, ex qua ei nati sunt Bassianus, & Geta. nam, vt sępè iam diximus, Bassianus ex Martia Britāna est natus, & Iulia illius nouerca fuit, licet respectu incestus non alio nomine dicenda, quàm mater; cuius

filium Getam, ipse prius occiderat, quàm eam in vxorem duxerit. Ideo autem Martiæ Britannæ mentionem facio, quòd Septimius Seuerus inter Principes Britanniæ numeretur, vt Hercules propter Galatheam, inter Celtarum Reges, iure mariti. quod eis non fuit magis indecorum, quàm nunc Imperatori, vt Rex Boëmiæ nominetur. Polydorus Vergilius aliter tamen lib. 2. vetusti auctores, inquit, de quibusdam Regibus meminerunt, qui dum Cæsares potiebantur rerum orbis, in Britannia regnauerint. Idem attestatus Gildas, Britannia, inquit, Reges habet. Idem Iulius Cæsar tempore suo quattuor in Cantio Reges commemorat, qui regionibus illis præerant. Cornelius Tacitus Prasutagi, & Cogiduni Regum mentionem facit. Iuuenalis Aruiragi omnes autem, Lucij Regis. Inde côstat siue vnum, siue plures, sub Imperatoribus Romanis in insula Reges cum imperio fuisse. Quod cum est ita, non rectè Michaël Aitsinger in Pentaplo Regnorum mundi, penitus omisit Regnum Britannorum, aliter quam Conradus Lycosthenes antè eum in Theatro mundi fecerat. neque rectè scribit Polydorus deinde sic: Vulgus tamen prædicat, summam Imperij penes Britannos semper extitisse, Romanumque Senatum in singulos annos vectigali accepto ad coërcendos sæpè nouos seditionum motus, hostiumúe Britanniæ incursus arcendos, misisse suos in Insulam. Ac ita vult Britannos suis tantùm Regibus paruisse semper. cum verò in historia vulgari Regum, series seruanda foret quoties accidit, vt Reges non essent, loco illorum per bellè positi sunt modò Romani Imperatores, modò Præfecti eorumdem, tanquam à Britannis creati Reges, perinde quasi Imperatores Romani, Regibus inferiores, fuissent, aut Præfecti arbitrio suo, non ex Senatus, Imperatorumq; præscripto administrarent. Hæc Polydorus, nouus historicus, vt vulgata contemnit. immemor eius, quod Iulius Capitolinus in vita Lucij Veri Cæsaris, Cõfecto bello, inquit, Regna regibus, prouincias verò comitibus suis, regendas dedit. consuetudinisque Britannorum

perpe-

perpetuæ, tantùm illos Cæſares, pro Regibus habentium, qui ſuo iure Reges eſſent, vt Septimium Seuerum propter vxorem Martiam; baſſianum, quia Seueri filius; Heliogabalum, quia Baſſiani filius, quo iure filij Baſſiani, Alexandrum Seuerum admittunt. & Maximinum eius interfectorem, propter Belinum qui cædem eius vindicauit. denique Gordianum, vt Claudij patrem; ipſumque Claudium, à quo Conſtantius, & Conſtantinus Magnus eius filius ex Helena vxore Conſtantij Britanna deſcenderit. nam Bonoſus, Carauſius, Alectus Aſclepiodotus Præfecti Romanorum, ab eorum Imperio deſciſcentes, ambiuerunt Britannorum regnum, auxiliumque ipſorum poſtulauerunt, ſui tuendi cauſa, illoſque ſemper liberos conſtituendi, vt profitebantur. Nec eſt mirum Interregna fuiſſe in Britannia, quæ ſæpius in Imperio Romano contigerunt.

17. VIRIVM Luppum. Vlpianus l. 2. de vulgari, & pupillari ſubſtitutione, meminit reſcripti cuiuſdam Imperatoris noſtri ad Virium Luppum Britanniæ præſidem. ſolet autem ille Iuriſconſultus appellare Imperatorem noſtrum, ſcilicet Antoninum Auguſti Seueri filium. nam in l. 32. de donationibus inter virum & vxorem, Imperator noſter Antoninus Auguſtus ante exceſſum, inquit, Seueri patris ſui, hoc eſt, antequam ex vrbe Roma decederet pater eius Seuerus, oratione in Senatu habita, fuit auctor cẽſendi, vt aliquid ex iuris rigore laxaretur. Id quod fiet apertius ex adnotatione marginis quadam, facta ad l. 1. C. de pœna iudicis, qui malè iudicauit: eam videlicet conſtitutionem, videri Vlpianum Alexandro ad Caſſium Sabinum adſcribere l. 1. de calumniatoribus. Sed hæc nota, inquit Ludouicus Ruſſardus, hominis eſt prorſus hiſtoriæ ignari. Et ſi enim Vlpianus vixerit ſub Alexandro, vixit tamen ſub Antonino Caracalla, vt quod dixit, Imperator noſter; ad Antoninum Caracallam commodiſſimè referri poſſit. ſic, Imperatoris noſtri, nomine intelligit Antoninum l. 15. de re iudicata. Ergo lex illa 1. C. de pœna iudicis rectè dicitur Imperatoris Antonini Augusti ad

Cassium. Cuius constitutionis meminit idem Vlpianus l. 2. de condictione ob turpem causam nimirum, vt litem perdat is, qui iudicem pecunia corrumpere velit, vt secundum se pronunciet.

18. ALEXANDRVM in Britannia. Gallicanæ mentes, inquit Lampridius, vt sese habent duræ, ac sępe Imperatoribus graues, seueritatem Alexandri nimiam, & longè maiorem post Heliogabalum, non tulerunt. denique agentem cum paucis in Britannia, vt alij volunt, in Gallia, in vico, cui Sicila nomen est, quidam milites, & hi præcipuè, qui Heliogabali præmijs effloruerant, cum Seuerum principem pati non possent, occiderunt. multi dicunt a Maximino immissos. Quibus ex verbis perspicuum fit existimare Lampridium, in Britãnia insula fuisse occisum, non in Gallia Gallicana, quæ continens semper est. Sed Onuphrius Pauuinius lib. I. Romanorum principum, scribit eum occisum Moguntiaci in Gallijs, vico, cui Scila nomẽ est, tumultu militari, & insidijs Maximini. Sed ego secutus in eo Lampridium, quo refecit opinionem eorum, qui existimabant Seuerum in Gallia peremptum, demonstraui lib. 3. Nota 15. vicum Sicilam esse in Britannia. nam illa mulier Druis, quæ Gallicè prędixerat ei mortẽ, dicebat illi in sua patria Gallicana, Vade, scilicet ad Britanniam, quò proficisceris, nec militi tuo fide, quasi diceret ibi morieris absq; Victoria, occisus à milite proprio; quem fuisse Germanum, scribit idem Lampridius, non inde tamẽ procedit, vt Maguntinus, hodiè Germanus, fuerit.

19. BELLENVM etiam Deum. De Belino Deo tutelari vrbis Aquileiæ lib. 3. Nota 7. demonstrauimus ea, quæ nunc vt magis approbentur, Flauius Vopiscus in Aureliani Cæsaris vita narrat, similem beneuolentiam populorum erga Apollonium Thyanæum, qua eum pro Deo haberẽt. Nam cum Imperator ille Thyanam venisset, eamque occlusam reperisset, iratus dixisse fertur: Canem in hoc opido non relinquam. Tunc & militibus acrius incumbẽtibus spe prędę, & Heraclammone quodam, timore ne inter ceteros occideretur, pa-

triam

triam suam prodente, ciuitas capta est. Sed Aurelianus duo statim præcipua, quorum vnum seueritatem, alteram leuitatem ostenderet, ex Imperatoria mente monstrauit. nam & Heraclammonem, proditorem patriæ suę, sapiens Victor occidit. & cum milites euersionem vrbis exposcerent, respondens ijs, Canem, inquit, negaui me relicturum. canes omnes occidite. Fertur autem prius Aurelianum de Thyanæ ciuitatis vera euersione, illas minas protulisse: sed Apolloniũ Thyanęum celeberrime, famæ, auctoritatisque sapientem, veterem philosophum, & amicum deorum, ipsum etiam pro numine frequentandum, recipienti se in tentorium ea forma, qua videtur, subitò astitisse: atque hęc Latinè, vt homo Pannonius intelligeret, verba dixisse, Aureliane, si vis vincere, nihil est, quod de ciuium meorum nece cogites. Aureliane, si vis imperare, à cruore innocẽtium abstine. Aureliane, clementer age. Hæc ego, inquit Vopiscus, à grauibus viris comperi, & in Vlpiæ bibliothecæ libris relegi, & pro maiestate Apollonij, magis vera esse credidi. Similiter de Belino Polydorus Vergilius, Is demum, inquit, pace belloque vir inclytus, & in omni fortuna Brenno fratri nequaquam impar fuit.

20. OB, honorem vxoris Gordiani. Cambdenus in ijs Brigantibus, qui Cumeri sunt, Ad defendendum littus, inquit, murum quattuor plus minus millibus passuum fuisse perductum nonnulli credunt, adeo continuæ sunt partes parietum ad ostium Olenacum, qui nũc Eleniburgus appellatur. Vbi quondam Ala prima Herculea in præsidio erat, quæ ab Herculio Maximiano, Diocletiani consorte nominabatur, si probabili coniecturę locus aliquis tam ex vestigijs antiquitatum, quàm ex agnatione nominis relinquatur, multa sunt enim inscripta saxa, statuæque, quæ quottidie inueniuntur. Et arcus etiam ante paucos annos Voredæ (quam vocat Antoninus) sic inscriptus: *Io. M. Ob honorem Vxoris Gordiani*, Pyramis item octogona cum hac inscriptione: *Ob honorem Philippi Imperatoris Nobilißimi, Sẽper Augusti, & Philippi, Cæsaris Nobilißimi.*

21. IN Britannia rerum potiti. Cambdenus in Belgis Insulæ, via Consularis, inquit, etiam nunc visitur inter Vindonum, & Ventam, Vindonũ, quę dicitur hodiè, Silecestria, Nennius dicit a Constantio Constantini Magni filio extructam, eiusque pauimẽto tria iacta semina, ne quis in ea pauper maneret. Quali omine Dinocrates, cum Alexandria Ægypti conderetur, omnes ambitus linea tractos, vt ait Marcellinus, farina respersit, quod vrbem illam alimentorum copia florentem fore speraret. Hac vrbe Vindono Arcturum nostrum bellicosissimum, historici scribunt inauguratum fuisse, nec multo pòst concidisse, dirutam vel Saxonum bellis, vel cum Adeluolphus infenso ergo fratrem Eduardum animo, prædatorijs donarum copijs adiutus hanc regionem ad Basinstochiam vsque depopularetur. nihil iam superest præter mœnia, quæ pennis, ac loricis nudata, magnæ altitudinis fuisse videntur. Attamen eruuntur quottidiè lateres, qui Britannici dicuntur, & Romanorum numismatum vis ingens. sæpenumero etiam effodiuntur inscriptiones; quarum hæc est vna, *Memoriæ Fl. Victorinæ, Victor coniunx posuit.* An verò tumulus ibi positus fuerit Victorinę, quę mater castrorum à Pollione in vita Lolliani dicebatur, quæque contra Gallienum Augustum, Victorinos filium, & nepotem, Posthumum, Lollianum, Marium, & Tetricum Cæsares in Gallia & Britannia appellauit, non facilè dixerim, inquit Cambdenus. sed aliquo loco legi, duos Victores in Britannia fuisse, idque vno, ac eodem tempore. alterum Maximi Augusti filium, & alterum eiusdem Maximi prætorio præfectum; cuius Aurelius Ambrosius Episcopus frequenter in epistolis mentionem facit. Idem in Trinobantibus, Eduardum Alphredi filium, cum Colecestriam bellis deformatam repararet, in vrbe media scribit excitasse castrum; eamque vrbem vel maximè floruisse temporibus Romanorum, quorum infinita vis antiquorum nummorum eruta quotidiè facit eius rei fidem. sed in nullos tamẽ incidimus, ait Cambdenus, Imperatore Gallieno antiquiores erant

enim

enim omnes nummi Tetricorum, Victorinorum, Posthumi, C. Carausij, Constantini, & Imperatorum, qui hos subsecuti sunt.

22. AB Ilio Troianorum. Mira vis est, & secreta naturę, Troianorum originem Britannorum à pluribus irrisam, a Iulio Cæsare spretam, reducentis ad Imperium per matrimonia in Martia coniuge Septimij Seueri, & in Helena vxore Constantij Chlori, qui descenderat à Flauio Claudio Principe, de Troianis genus habente. nam in eius vita Trebellius Pollio, pugnatum, inquit, est in regionibus diuersis, & vbique auspicijs Claudij, vincuntur Gothi; prorsus vt iam tunc Constantio nepoti, futuro Cæsari, Rempublicam securam Claudius parare videretur. Et vt omnes intelligant genus Claudij ad felicitatem Reipublicæ diuinitus esse constitutum, cum ille factus Imperator consuleret, quandiu imperaturus esset, responsum accepit hoc:

Tu, qui nunc patrias gubernas oras,
Et mundum regis, arbiter Deorum es.
Regnabunt etenim tui minores,
Et Reges facient suos minores.

Cum autem in Apennino, consuleret de sua persona, responsum est.

Tertia dum Latio regnantem viderit æstas.

Sed cum de suis posteris interrogaret, audiuit:

His ego nec metas rerum, nec tempora pono.

In bello, quod Hæmo monte gestum est contra multitudinem Barbarorum, ingens virtus extitit equitum Dalmatarum, quoniam ex ea prouincia Claudius originē videbatur ostendere: quamuis alij (quos ipse Pollio sequitur) eum Dardanum, & ab Ilio Troianorum, atque ipso Dardano sanguinem trahere dicebant. Claudius enim, Quintillus, & Crispus, fuêre tres fratres, Crispi filia Claudia fuit; ex ea, & Eutropio nobilissimo gentis Dardanę viro; Constantius Cęsar genitus est.

23. BRITANNIS vites habere. Flauius Vopiscus in vita Probi, acclamationes Senatorem referens: Tu Francicus, inquit, tu Gotthicus, tu Sarmaticus, tu Parthicus, tu omnia. non tamen additur, titulus Britannici, quod cognomentum Septimius Seuerus ambiuit, & Romę in foro boario vidi Arcum eius triumphalem, quo inter cetera ipse scribitur, Brittannicus. Gallis tamen omnibus, inquit Pollio, & Hispanis, ac Britannis permisit Probus, vt haberent vites, vinumque conficerent. Qua de re Cambdenus, Segontiaci illi, qui se dederunt Cęsari consederunt, inquit, eo loco, quo est Aultum forum, quod Alphredus custodi de Leodre legauit; & quo est Basinstochia, dominis cognomento de sancto Ioanne, & Poiningis, & Paulletis notissima. quorum Gulielmus Paulletus Angliæ Thesaurarius, Marchio Vintonię, Dominusque sancti Ioannis ad villam Basin suam, sub hoc opido Basinstochiæ positam, ędes tum amplitudine, tum elegantia magnificentissimas, vsque ad miraculum extruxit. Propè quas est Vinea, quæ dicitur, nitidissima mansio Baronum de Sandis, sic fortasse locus nominatus est a vitibus, quas in Britannia habuimus, ex Probi Imperatoris tempore, inquit Cambdenus, magis vmbraculi, quàm fructus gratia. Quod eum admiror dicere, cum Vopiscus scribat, Probum Britannis permisisse non tantum, vt haberent vites, sed etiam, vt ex his cōficerent vinum. quemadmodum ipse Almam montem in Illyrico circa Sirmium militari manu fossum, lecta vite conseuit. Id quod faciunt in quibusdam locis Britanni, vinumque conficiunt, tametsi vinum sit tenue, quale Louanij confici solet.

24. IN Britannia ortus. Idem Vopiscus, Cum Proculus, & Bonosus apud Agrippinam in Gallia imperium arripuissent, omnesque sibi Britannias, & Hispanias, vindicarent, Probus eos tandem vicit. Et pòst in eius vita, Fuit Bonosus, inquit, homo Hispaniensis, origine Britannus: Galla tamen matre, ac vt ipse dicebat, Rhethoris filius. sed ab eadē fortissima femina educatus,

catus, quòd paruulus amisisset patrem, nihil litterarum didicit. Dux limitis Rhetici fuit: bibit quantum nemo hominum. quantumlibet tamē bibisset, semper securus, ac sobrius; &, vt Onesimus dicit, adhuc in vino prudentior fuit, quòd eius pectus, aut venter, aut vesica nunquam vino grauaretur. Ille cum Romanas luxurias in Rheno Germani incendissent, timore ne pœnas daret, Imperium sumpsit.

25. IN Britanniam venit. Gallieno in omnem luxum diffluente, Triginta tyranni Imperium sibi diuersis locis arripuerunt. è quibus Lollianus, Victorinus, Posthumus, & Tetrici, rerum in Britannia potiti sunt, vt Nota 21. demonstraui. Cuius opinionis rationem adfert Cambdenus hanc, quòd eorum nummi, quottidiè in Britannia eruuntur. Sub Aureliano, Bonosus ille bibacissimus, origine Britannus, Imperium cum Proculo inuasit, omnesque Britannias, vt iam dixi, sibi vindicauit. sed longo, grauique certamine superatus à Probo, vitam laqueo finiuit, iocusque extitit, hoc dicentium: Amphoram, non hominem pendere Probum tamen nouæ in Britannia turbæ exceperent. Quidam enim, vt Zosimus narrat, defectionem meditatus erat. quem Probus, Victorini Mauri familiaris sui commendatione adductus ad magistratum euexerat, ideoque cum Victorinorem expostulauit. qui impetrata ad illum abeundi potestate, simulans se fugere Imperatorem, amanter à tyranno susceptus, noctu illum occidit. ad Probum redijt, simulque prouincia sic ex hac turba emersit. deinde Carus Augustus Carino filio Britanniam cum Gallijs, Hispanijs, & Illyrico, vt Vopiscus attestatur, decreuit.

26. HELENAM Britannam dimittere compulsus est. Diocletianus Dalmata, inquit Aurelius Victor, Imperauit annis 25. Is Maximianum, Augustum effecit. Constantium, & Galerium Maximianum cognomento Armentarium, Cæsares creauit, tradens Constantio Theodoram Herculij Maximiani priuignam, abiecta vxore priori. deinceps in vita Constantini no-

minat eam Helenam. Et Pomponius Lætus, Cęſares ſibi fecerunt, inquit, Diocletianus Galerium Maximinum; & Maximianus Conſtantium, cognomento Chloron & præter hanc adoptionem eoſdem affinitate iunxerunt. Nam coacti repudiare primas vxores, duxerunt nouas. ille Valeriam Diocletiani filiam. hic Theodoram priuignam Maximiani. fuiſſe autem Helenam natione Britannam, & Coëli Tertij Regis Britannorum filiam, in Oratione 4. Nota 2. demonſtraui. Cuius Helenæ pater Cæſari fuit Comes ſtabuli quod officium in Imperatoris aula præſtantiſſimum eſt. nam idem Pomponius Lætus in Valentiniani Augusti vita, eum ſcribit, Valentem fratrem. Tribunum ſtabuli feciſſe. quod ignorantes quidam auſi ſunt ex contemptu dicere, illam eſſe, filiam ſtabularij. cum Angliæ, aut Franciæ Coneſtabularius, qui vulgò dicitur, maximum in vtroque Regno poſt Principem officium gerat. Et Villagagno nobilis vir Gallus, Coneſtabularium Latinè, Comitem ſtabuli rectè vocet. Ad quem Valentem tamen Eutropius ſcribens ſuos libros de hiſtoria Romana, Conſtantio, inquit, mortuo, Conſtantinus ex obſcuriori matrimonio eius filius, in Britannia creatus eſt Imperator, & in locum patris exoptatiſſimus moderator acceſſit. neque mirum, ſi matrimonium prius iſte author vocet obſcurius, comparatione ſecundi, videlicet matrimonij cũ Theodora initi, ex qua Dalmatius Anniballianus, Conſtantinus, & Conſtantius filij nati erant, nec eorum quiſquam ad Imperandum acceptus. Quæ res dedit occaſionem militibus Prætorianis Maxentium Herculij filium nuncupandi Auguſtum, excitato in vrbe Roma tumultu. quo nuntio Maximianus Herculius erectus eſt, ad ſpem reſumendi Imperij quod inuitus, vt ait Eutropius, amiſerat.

27. TRANSMITTENS Britannias occupauit. Eutropius lib. 9. Carauſius viliſſimè natus, inquit, in ſerenæ militiæ ordine famam egregiam conſecutus fuerat; cum apud Bononiam per tractum Belgicę, & Armoricæ pacandum mare accepiſſet, quod Franci & Saxones

Saxones infestabant, multis barbaris sæpè captis, nec præda integra, aut prouincialibus reddita, aut Imperatoribus missa, cum suspicio esse cœpisset, consultò admitti ab eo Barbaros, vt transeuntes cum præda exciperet, atque hac se occasione ditaret; à Maximiniano iussus occidi, purpuram sumpsit, & Britannias occupauit. Cum verò bella frustrà tentata essent contra eam, rei militaris virum peritissimum, pax ad postremum conuenit. Eum post septemnium Allectus socius ipsius occidit. idemque Allectus post Carausium Britannias triennio tenuit. qui etiam Allectus ductu Asclepiodoti præfecti Prætorio est oppressus. ita Britannia decimo anno recepta est. Cambdenus autem, Sub Diocletiano, inquit, Carausius, qui propulsandis Germanis mare infestantibus præfectus erat, cum parum multos opprimeret, neque prædam omnem in ærarium referret, Maximiani metu, a quo se iussum cædi, compererat, Britanniam, adsumptis Imperatorijs insignibus, occupauit; classem construxit, legionem Romanam, & Francorum copias in societatem illexit; & omnia circumquaque littora infesta habuit. ipsique aliquamdiu remissum est insulæ Imperium, postquam iussu, & munimento incolarum contra gentes bellicosas habitus est oportunior. Sed octauum post annum, cum ad recuperandam Britanniam mitteretur Constantius, Carausium familiaris eius Allectus, dolo interemit, & purpuram induit. Statimque Asclepiodotus Prætorianis pręfectus iusto prælio occidit, & Francos in vrbe Londino ad internecionem deleuit. Qua victoria Britanniam plenè recuperatam magna cum laude administrauit Constantius ille Chlorus, Christiani nominis admodum studiosus, Breuique pòst Eboraci diem obijt; vbi protinus milites filio eius Constantino Magno purpuram iniecerunt; qui & Rempublicam Romanam in libertatem asseruit, & Christianam pietatem maximè instaurauit. Quo tempore Britannicum exercitum rexit Gratianus cognomento Funarius, qui & pater Valétiniani Augusti fuit. sed funarius inde dictus,

vt ait

vt ait Ammianus Marcellinus, quod ætate nondum adultus, venalem circumferens funem, quinque militibus eum rapere studio magno conatis, nequaquam cesserit.

28. GALLI torrens appellatur. Magnam à Francis cladem pertulisset Londinum, inquit Cambdenus, si non præstò fuisset diuinum ex improuiso auxilium. Cum enim C. Allectus, C. Carausium Menapiæ ciuem dolo sustulisset, qui Britannici maris, inclementia, & Francis, socijsque naualibus audacissimis fretus, Britanniæ, Bataniæque reditus interuerterat; & Allectum tertio iam anno purpuram in Britannia vsurpantem M. Aur. Asclepiodotus prælio delesset; Illi Franci, qui superfuerunt pugnæ, conuolantes Londinum confestim prædaturi vrbem erant, nisi Tamisis Romanos milites, per errorem nebulosi maris, à classe abductos oportunè intulisset. Hi enim Barbaros tota vrbe confecerunt, & non solùm ciuibus in hostium cæde dederunt salutem, sed etiam in spectaculo voluptatem. Annales Britanni tunc concidisse referunt Liuium Gallum ad amnem, qui vrbẽ ferè mediam interluebat, & ab eo Valbrocus Anglicè, Latinèque Galli torrens, appellatur.

29. COELVS eo nomine Tertius Rex. Gaufridus lib. 2. c. 2. & 3. altius rem repetens, Fuit in Britannia, inquit, Carausius quidam iuuenis, ex infima plebe natus, qui suam fortitudinem expertus multis bellis, petiuit à Romanis, vt maritima loca Britanniæ ab incursione Barbarica nauibus tueretur; seque promittebat tot, ac tanta facturum, quibus augeret eorum Rempublicam magis, quàm si tota Britannia sibi traderetur. Impetrauit quod petebat, cumque litteris sigillatis in Britanniam venit. Mox nauibus celeriter collectis, magnam Iuuentutis multitudinem imposuit, quibus mare ingreditur, omniaque littora Regni circumit, & maximum in populo tumultum excitat, agros, ciuitates, vrbesque vastando, sua bona hominibus eripit. Nam ad eum confluebant, qui rebus alienis inhiabant; adeo vt breui tempore tantum exercitum habuerit, quantum

nemo

nemo Princeps vicinus poterat vi repellere. His viribus animum tumidum gerens, dixit Britonibus, vt se Regem facerēt, quo facilius insulam à Romanis liberaret: ad eamq́ue rem Picthos donis corruptos sibi coniunxerat. Britones ignari, quis hostis, & quis socius ipsorum esset, agnoscunt eum Principem. qui statim Picthis locum ampliorē in Albania cōstituit, vbi mixti cum Britonibus postea manserunt. Nec contentus eo, iura Imperij arroganter inuasit. quibus rebus Romæ cognitis, Allectus mittitur cū tribus legionibus, vt interficeret tyrannum, regnumq́ue Britanniæ restitueret ditioni Romanę nec mora, Carausius interficitur. ipseq; Allectus eius locum vsurpans maximam cladem adfert Britannis, qui relicta Republica societati Carausij adhęserunt. quod hi grauiter ferentes Asclepiodotum consensu communi rogant, vt Allectum, qui dijs patrijs vrbe Londino festa celebrabat, armis persequatur. Cuius aduentu cognito, Allectus relicto sacrificio statim egressus cum armatis hominibus acerrimam cum Asclepiodoto pugnam init. sed victus, vnà cum multis millibus suorum interfectus est. Liuius tamen Gallus, Allecti socius, adhuc victori Asclepiodoto cedere noluit, vrbeq́ue Londino clausa obsidionem passus est: ita sperans pacta pace mortem imminentem euitare. Asclepiodotus ergo mandat Principibus Britanniæ, vt auxilia ferant. eò venerunt Demetæ, Venedoti, Deri, & Albani ex genere Britonum; innumerisq́ue machinis ad muros erectis introitum patefecerunt. Qui fuerunt inclusi, nullam spem vitæ in resistendo diutius vidētes, suaserunt Liuio Gallo, vt sese dederet, modò cum armis abscedere sinerentur. nam ex interfectis reliqua fuit vna tantùm Legio, quę modicè resistebat. His conditionibus Asclepiodoto consentienti Gallus se, ac suos tradidit. Sed Venedoti orbe facto processerunt. ipsumq; adorti, super torrentem de nomine Ducis postea Gallenbrocum, Saxonicè dictum, interfecerunt. Iam putaret aliquis quietum in Britannia rerum esse statum. sed multo peior euenit. Huius enim Asclepiodoti diebus

orta est persecutio Diocletiani Imperatoris, qua ferè tota Christinitas in Insula delebatur, quæ à tempore Lucij Regis integra, & intemerata permansit. Maximianus enim Herculius imperio suo iusserat omnes Ecclesias subuerti, & cunctas sacras scripturas, quæ inueniri poterant, in medijs vrbium foris, vbique exuri. Atque electi sacerdotes Dei, cum fidelibus populis sibi subditis trucidati sunt. agmineque denso certatim ad amæna regna cœlorum, quasi ad proprias sedes Christiani festinabant. Inter ceteros vtriusque sexus martyres, passus est Albanus Verolamius, Iulius quoque, & Aaron vrbis Legionum ciues. Quorum Albanus charitatis gratia feruens, confessorem suum Amphibalum à persecutoribus quæsitum, & iam, iamque comprehendendum occultauit primùm in domo sua. deinde mutatis vestibus, sese discrimini mortis obtulit pro eo. Cæteri duo inaudita membrorum discerptione lacerati sunt. His rebus quoniam Asclepiodotus nihil auxilij Britannis contra vim Cæsaris adferebat, Coëlus Dux Colecestriæ surrexit in eum, & conserto prælio interfecit, Regnique Diademate se cinxit. Quibus rebus cognitis, venit in Britanniam Constantius vir audax, & sapiens, qui Romanis Hispaniam subdiderat, Remque publicam præ cæteris augere laborauerat. Cuius fama cognita, sibique nunciato aduentu, Coëlus missis ad eum legatis, petit pacem, subiectionemque promittit eo pacto, vt ipse Britanniæ Regnum possideret, nec aliud, quàm tributum, Romanis solitum solui, ab ipso exigeretur. Quę Cōstantius, acceptis obsidibus, ei concedit. denique filiam eius Helenam ducit vxorem. Cuius pulchritudo totius Prouinciæ puellas omnes superabat, nec vspiam aliqua reperiebatur, quæ cum ea posset forma comparari. nec vlla musicis instrumentis, siue liberalibus Artibus doctior ipsa censebatur. Caruit enim pater eius alia prole, quæ Regni solio poriretur. ideo curauit eam insigniter educari moribusque, ac litteris instrui, vt heres Regni digna iudicaretur, ac illud post obitum suum facilius, & melius tra-

ctare

ſtare poſſet. Nam Coëlus anno lapſo, vbi tentus infirmitate grauiſſima fuerat dies octo, vitam morte commutauit. Conſtantius autem ex Helena generauit filium, eumque Conſtantinum vocauit, & ipſe cum vndecim anni prætetijſſent, apud Eboracum morti ſubiacuit, Regnumque hunc filio ſuo Conſtantino reliquit.

Adeo vt, ſi Reges ordine recenſeamus,

98. *Rex Lucius inceperit regnare, anno ab orbe ſaluo, 183. & regnauerit 12. deinde fuit Interregnum 15. annorum. ita vt*

99. *Septimius Seuerus imperare ceperit, anno 210. & gubernauerit 18.*

100. *Antoninus Baßianus cepit anno 228. & regnauit 6.*

101. *Antoninus Heliogabalus incipit anno 234. imperat annos 3.*

102 *Alexander Seuerus cepit imperare anno 237. & deſijt poſt annos 13.*

103. *Maximinus accipit imperium anno 250. & relinquit anno 3.*

104. *Gordianus imperat anno 253. & ceſſat anno 6. Rurſus interregnum 13. annorum 2.*

105. *Claudius incipit anno 272. & deſinit imperare anno 2. Iterum fit inter regnum 7. annorum.*

106. *Bonoſus accepit regnum anno 281. & reliquit anno 4. denique fuit Interregnum 4. annorum.*

107. *Carauſius efficitur Rex anno 289. & deſinit eſſe anno 7.*

108. *Allectus arripit regnum anno 296. demittitque anno 3.*

109. *Aſclepiodotus incepit anno 299. & deſijt regere poſt annum.*

110. *Coëlus Tertius fit Rex anno 300. nec amplius anno regnat.*

Atque

Atque ſic poſita ratione annorum, Conſtantius cepit imperare anno 301. & rexit annos 11. Et Conſtantinus Magnus huius Conſtantij ex Helena Britanna filius, incepit adminiſtrare ſuæ patriæ Regnum, totiuſque orbis Romanum Imperium, anno poſt Chriſtum natum ſupra trecentos duodecimo; ſicut Carion diligenter expreſſit lib. 3. Chronicôn. Quibus ex rebus etiam factum eſt, vt iſte Conſtantinus, Britannicus appellaretur, inter alios titulos Imperij, præpoſitos ſuæ donationi, quam fecit Siluestro Pontifici Romano, in eiuſdem ſollenni forma, expreſſa per Iſidorum Hiſpalenſem, Tomo 1. Conciliorum Generalium, à Laurentio Surio collectorum; & recitata nobis ab Alberico Iuriſconſulto in commentarijs ad l. 1. Digeſtorum de officio Præfecti vrbi.

FINIS.

EPIS-

EPISTOLA GVLIELMI CARDINALIS ALANI COMPATRIS, CVIVS *fit mentio in præfatione ad Cardinalem Baronium.*

HOc ſanctum officium, quod a me requiris, lubentiſsimè ſanè ſuſcipio, & pro beneficio habeo: quod antea multò ſignificaſſem, ſi vlla perferendarum ad vos litterarum commoditas extitiſſet. Nunc autem, ſi ſerius iſtæ non veniunt, cupio meum in hac re deſiderium ſignificari ex hoc ſcripto, Reuerendo Domino Gulielmo Faconi veſtræ Eccleſiæ paſtori, vt me habeat pro ſuſceptore prolis, quam Deus dabit tibi ex Domina Maria Bonuicta lectiſsima vxore; nomenque meum, ſi maſcula proles ſit, & ſi lubet, eidem indat; aliquemque, qui meas in ſacramento vices erga infantem obeat, ipſe conſtituat. Hoc enim erit mihi gratum imprimis. plura propter nuntij feſtinationem non potui, nec certè propter viarum, & itineris dubitationem, volui ſcribere. Vale Clariſsime Vir, & Chariſsime Domine Doctor. Rhemis 8. Februarij 1584.

EPISTOLA REVERENDISSIMI EPISCOPI ATREBATENSIS, FRANCISCI RICHARDOTI,

cuius fit mentio in præfatione ad Dominum Richardotum Præsidem.

REGIÆ *Maiestatis in Consilio Priuato Secretarius Pratius, mittit liberos, quos habet ingenuos, & iam institutos in litteris, vt sub disciplina tua, virtutis & eruditionis crementa suscipiant. Meq; etiam atque etiam rogauit, pro veteri nostra inter nos amicitia, eos vt tibi prolixè commendem: quod facio quidem perlubenter. quoniam non dubito, quin sis operam daturus, vt proficiant, & patris expectationem expleant. Qua in re gratissimum mihi certè feceris, & Pratiorum familiæ imprimis operæ pretium. Te itaque obtestor Richarde Doctissime, vt hac commendatione nostra intelligat pater, nonnihil accessisse ad eam voluntatem, quam habes erga studiosos optimam. Vale, & nos ama. Bruxellæ 8. Maij.* 1574.

EPISTOLA ALEXIS RVELLII, IN COENOBIO MONTIS S. ELIGII CANONICI, AC BEATÆ MARIÆ *de Perroi apud Bethunienses Prioris, facientis mentionem Ioannis de Basinstocho nominati lib. 2. Not. 13.*

QVOD me vix dum visum tanta humanitate prosequeris, vt iam non modò diligere, sed amare etiam videaris; habeo tibi gratiam equidem singularem. Quas verò laudes mihi tribuis, eas adscribo bonitati, & mansuetudini tuæ: non certè is sum, quem tanti facere debeas: cum ipse de me profiteri non audeam, (nec sentiam quidem esse in me) quæ tu tam fidenter, tamqúe apertis verbis, & affirmas, & prædicas. sed facis tu sanè pro magnitudine, & candore animi tui: qui eos omnes tui similes esse iudicas, quos in amicitiam tuam admittis. Vbi per otium licebit inuisere tuas ædes, hoc libenter faciam; quia vnum antiquum, manu scriptum librum Domini Ioannis à Basinstocho, quondam Archidiaconi Leircestriæ, de ministerio Sacerdotum nobis hactenus ignotum, mihiq; vtilem, penes te esse intellexi. Si quos veteres habeo, (doleo enim quòd non plures videris, nam, vt animaduerto, maximè delectaris antiquitatibus) audacter petas velim. Magister Nicolaus Abithel libellum à te editum de quodam ænigmate Italorum, sanè quidem egregium, & benè compositum, mihi legendum dedit. faxit Deus,

vt vim, & acrimoniam ingenij tui, indies videre possimus, quemadmodum desideramus, & optamus. Vale. & me, vt tuum amicum, habeas, & diligas, oro. Datum in Monasterio nostro 23. Iunij 1573.

IN MONVMENTA CL. V. RICHARDI VITI I. C.

Quis resonante lyra meritos diffundat honores,
Quos peperere tui suscepti tempore tanto,
Vite, Cleonæi constanti mente labores?
Acceptum referens ego, quod, te Iura docente,
Iustinianæo didici quasi Principis ore,
Pauca loquar, rerum licet ingens ingruat æquor.
Quæ tibi Castalides, studijs ardente iuuenta,
Dona dedêre, Iugi subeunti culmina primùm
Ardua Parnassi, docto de pectore promis,
Dum tua Phœbæis expandis carmina plectris.
Quî referam, variâ tibi quæ sit in arte suppellex
Doctrinæ? pleno nam manat copia cornu.
Diues vt æquoreas calcans Mercator arenas
Tethyos alternæ; peregrinas vectus in oras,
Multiplicesque sinus remis, velisque pererrans,
Congerit optatas disiuncta per oppida merces;
Quas vehit in tutum, quò flectit carbasa portum,
Vt varios hominum vitæ diffundat in vsus:
Tu compar Atauis animo; splendentia linquens
Atria Maiorum, præclaras impiger oras
Lustrasti primùm quà pascua Belgica Scaldis
Lambit aquis, Rhodanusque celer, quà Celtica sulcat;
Quà rigat Eridanus campos, quà voluitur aruo
Romano Tyberis; viridi quà Mincius vmbra
Labitur; & quà Meduacus se fundit in æquor;
Atque immane caput quà nubifer Appenninus

Tollit;

Tollit; & Euganei tibi quà patuêre recessus
Dum varias hominum signasti hoc tramite vitas,
Et multas Latijs hausisti fontibus artes,
Eloquij, Sophiæ, Iuris, morumque peritus,
Tranquillo in portu delectâ sede Duaci,
Ingenuas Artes tradis sermone diserto,
Altaque Prudentum, Doctor Responsa recludis:
Nec docuisse sat est Studiosam voce Iuuentam;
Sed fusum scriptis ornas illustribus orbem;
Abdita dum veterum referas ænigmata legum.
Scribis & Historiam, populi quà prisca Britanni
Facta refers. Ad idem studium memoranda Vetustas
Alliciens, eadem cursim me quærere fecit,
Lustrantem Oxonium, &, Tamisis quam perluit, vrbem;
Regis vt interpres Mendocius alba Britannum
Littora me iussit penetrare, negotia primùm
Regia gesturum; tulit vt commissa facultas,
Difficilesque vias fausto pede Vite peragrans,
Ignotis profers dilucida lumina rebus.
Ter felix animi. Tua laus pernicibus alis
Incendat populos, virtutis amore, remotos.
Præmia tam vigili curâ, quæ digna ferentur?
Te Fidei, meritique polo manet vltima merces,
Principibusque viris est æquo iure fouendum
Ingenium, nequiens segni marcere veterno.
Posteritas deuincta tibi decernet honorem,
Quem tibi, quemque tuis varij meruêre labores.
Agnoscet linguæ ditissima dona, grauisque
Doctrinæ; cultis & quæ sint debita chartis.
Gloria parta tibi sic nullo decidet æuo.

Max. Vignacurtius Patr. Attreb. Nobilibus Regijs adlectus, eiusdem quondam Auditor, scripsi Bruxellæ xiij. Kal. Nouembres, CIↃ. IↃ. XCVII.

APPROBATIO.

Ricardi Viti I. V. D. ac professoris Historia Britannica nihil continet religioni Catholicæ aduersum, Quare poterit in lucem prodire. Datum in Ciuitate Atrebatensi 14. Nouembris 1597.

Franciscus de la Diennee I.V.L. Cathedralis Ecclesiæ Atreb. Can. Librorumque Censor.

In his Britanniæ Annalibus per Ricardum Vitum Iurisconsultum, nihil est quod orthodoxæ fidei aduersetur, quin potius in ijs & Britannicæ insulæ originis prima, & illius gentis ad fidem conuersionis antiquitas validè confirmatur & mirificè illustratur. Atrebati pridie Idus Nouembris 1597.

Guil. Gazæus Ariensis Parœciæ S. Mariæ Magdalenes apud Atrebates Pastor, librorumque Censor.

EMENDATIONES.

Lectrigonas. pag.14. linea 3. Lestrigonas. Gallenam. p.22. l.3. Gallenam. Dardono. p.22. l. vltima. Dardano. sacretè. p. 23. l. antepenult. secretè. Romomum. p. 24. l.15. Romonum. fluuium. p.24. l. vlt. fluuius. appellatus. p.25. l.1. appellatur. Armoricorum. p.25. l.33. Arboricorum. & ibidem Britanniç pro Batauiç. Filio nepos. p.26. l.6. filio Posthumo nepos. conuentus duabus p.28. l.12. conuentus è duabus. securi. p.38. l.3. sicuti. Antiuestæo. Qua. p.39. l.13. Antiuestço Britannicè dicto, vt ait Humfredus, promontorio sanguinis. Qua. ipsi. vestæum que. ibi l.14. ipsi Cambdeno, vestæumque. esse. quæ. p.40. l. 31. esse, quas Britannicè Lenas, Latinè moniales Cambdenus vocat. quæ. Prytania. Neque p.44. l.30. Prytauia. Et hanc fuisse communem veterum auctorum opinionē de peregrinatione Vlyssis vsque ad Britanniā, significat poëta Claudianus lib. 1. in Ruffinum, his versibus:

Est locus extremum, paudit quà Gallia littus,
Oceani prætentus aquis, quo fertur Vlysses
Sanguine libato populum mouisse silentium.
Illic vmbrorum tenui stridore volantûm
Flibilis auditur questus, simulachra coloni
Pallida, defunctasque vident migrare figuras
Hinc dea (scilicet Megæra) prosiluit, Phœbique egressa serenos
Infecit radios, vlulatuque æthera rupit
Terrifico, sensit ferale Britannia murmur.
Et Senonum quatit arua fragor, reuolutaque Thetys
Substitit, & Rhenus proiecta torpuit vnda. Neque. Baxollum. p.46. l.40. Boxollum. march. vnde trimarch dicuntur illi tres equi, pugnæ equestris. Carausij. p. 51. l.11. marcham. Carausij. demtis verbis intermedijs. nemo pro Britannico. p.56. l.1. nemo prçter Cambdenum, quod sciam, pro Britannico. familia Comitis. p.64. l.15. familia Henrici Fizallani Comitis. Nouio, mago. p.69. l.17. Nouiomago. Lucomones. p.87. l.9. Lucumones.

Hum-

Humfredus, illorumque.p.89.l.21.Humfredus,& Gũlielmus Neubrigius lib.1.c.31.illorumque.sextingentis. p.95. l.22. septingentis.proficisceretur.p 104.l.25.adde, Cornelius Tacitus tamen ex Samothracibus originem Romanorum deducit lib.2. Annalium.& Lipsius addit, quoniam inde principium Troianæ gentis, & à Troianis Romani sunt orti. nec vltrà prospexit etiam Varro, cum lib.11.rerum humanarum scribit, Dardanum deos penates ex Samothracia in Phrygiam, sed Aeneam ex Phrygia in Italiam aduexisse è mentionem: de quibus. p.105 l.pen.mentionem: quos tamẽ Michaël Aitsinger in Pentaplo Regum ex Beroso recenset,& de quibus.vsque.p.106.l.19.vsquam.seculis conditam. p.109.seculis Romam cõditam.Perattus.p.116.l.9.deme ibique l.seq. existimat. lege existimant. flumen Sabrinam p.138.l.1. flumen de filiæ nomine Sabrinam. vsurpatur.& p.166. l. 17. vsurpatur. sic Aurelianus Cæsar, vt ait Vopiscus, manu ad ferrum, vocatus est.&. Belgicæ. p.173.l.28. Belgicã. Humbrum versus. p.175.l.11.Humbrum loca, versus. diuitissimè. p 192. l.20. diutissimè. Pernassi. p. 198.l.19, Parnassi. Angla. p.208.l.29. Anglia.propoint. p.212.l.33.proponit. Tum p.218.l.4.a verbo: appellare. demãtur omnia vsque ad verbum, adeo l 6.seq.triginta transmissum. p.253.l.12.triginta,vt suprà demonstrauimus, transmissum. tum.p.268 l.22. tunc. intercepisset. quã ob p.281.l.23.intercepisset,tunc eam ob.rebellandi. p.327.l.12.rebellionis.re ad Suellam.p.336.l.2.rei delata ad Suessam probatum p.350.l.15.prolatum.ibique l.30. conflexerunt, pro conflixerunt. Constantinum p.364. l.pen. Constantem. Constantij p.365.l.2. Constantis. Lazaius, p.369.l.20. Lazius. victoriam, lib. p.392. l.27. victoriã, vt supra Nota 38.dicebam, lib.conuexit, p.395. l.9.connexis. Fronte,p.396.l. antep. Fronto. Liguriam ibidem l.24.Ligmia.Comnobo,p.407.l.11.Commodo. actu,p.409.l.18.astu.amnes p.418.l.7. amnes.subuerserit,p.426.l.10. submerserit.fecerit, p 426 l.21.fecit.& l. seq. dederit, pro dedit.circumix p.433. l.10. circumit. Romanorum,fuisse,ibi l.24.Romanorum ipsum fuisse.

pro offeruntur, nec p. 6. l. pen. lege, offeruntur, qui nec ipse p. 14. l. 15. ipsa, procliuus. p. 15. l. 4. procliuis. portus p. 19. l. 2. portas. ligno, p. 20. l. 28. signo. dolcestriæ. p. 22, l. 5. Colcestriæ. Eucta p. 23. l. 4. Euda. signare. p. 24. l. 30. signari. chrimate p. 23. l. 20. chrismate. reliquarumque, eadem p. 29. l. pen. reliquorumque. Imperiali firmam constitutione. p. 31. l. 18. Imperiali constitutione. firma. virgini, sola. eadem p. 31. l. pen. Virgini, quæ sola. vtem. p. 33. l. vlt. autem. venientum. p. 38. l. 12. venientem. qualore. p. 41. l. 3. squatore. seruieban. p. 47. l. 27. seruiebanti appeuauerunt. p. 47. l. 22. appellauerunt. in. p. 51. l. 19. cum quod. p. 54. l. 33. quod. duntaxet p. 55. l. 17. duntaxat. quicquid, eadem p. 55. l. 30. quicquam. & l. seq endos pro, ciendos. Memoridium p. 59. l. 16. Memoridum. Brithynia. p. 60. l. 6. Bithynia, imperi. ead p 60. l. 15. p. Imperij. umit. ibidem l. 32. persumit. proximum. p. 61. l. 18. proximum. imolimens. p. 75. l. 29. incolumes. Hunc. p. 77. l. 19. Hunnos. Aquileium. eadem p. 77. l. 23. Aquileiam. Thermatiaque. p. 78. l. 10. Thermantiaque. aduientibus. p. 80. l. 24. admitentibus. prætorque. p. 81. l. 22. præterquàm. Christianissimum p. eadem 81. l. 3.. Christianismum. quæ pro quàm ponitur bis. p. 82 l. 4. abtulisset. linea seq. pro obtulisset. ibidemque l. 21. Romana pro Romani. vocet. p. 84. l. 6. Vocat. quorum. ibidem l. pen. quomodo. ducetos. p. 85. l, 8. ducentos. decorum p. eadem. l. 22. decorem. Nementum. p. 86. l 8 Nemetum. sunt multa sit. p. 88. l. 9. sat. multa sunt. a. p. 30. l. antep. an. Sanctæusium p. 92. l. 9. Sanctæusium. benè vixit. p. 93. l. antopen. benè qui latuit, bene vixit. Acarico. p. 95. l. 18. Ascarico. ibidemque l. 24. ferè pro fera. ibidemque l. 29. Cæsarem pro Cæsarum. ibidemque l. 34. Maximiano pro Maximino. tanque p. 96. l. 9. tanquam. hunc. p. 104. l. 34. hanc. nauibus. p. 109. l. 12. naualibus. ie ibidem l. 30. l.

Insuper emendabis, Amice lector, nullo errore typographi, sed obliuione scribentis in lib. 1. Not. 30. pag. 67. lin. pen. Constante Principe positum pro, Theodosio, Theodosij post Augusti patre. p. 119. l. 24. tollantur hæc verba: in contrarium. Item lib. 2. Not. 8. p. 162. l. pen. post verbum: Scythæ. adde hæc: At ego Scotos, illos hominum Voratores, malo, dicere fuisse continentis, Vbi Hieronymus Vidit eos, fuisseque Scythas illos, per quos Adrianus Imperator in Britanniam ibat. Item lib. 4. Not. 7. p. 341. l. 34. Constanti pro Constantino. p. 360. l. 3. post hæc: de se adde: & de republica benè meritus. Item lib. 5. p. 428. l. 28. Romanas luxurias. lege; Romanas naues lusorios. & Not. 21. p. 454. l. 14. donatum. lege: Danorum. & p. 459. l. 28. prælio occidit. lege: prælio Allectum occidit.

HISTORIARVM BRITANNIÆ LIBER SEXTVS.

Quo vis armorum in campis, & authoritas litterarum in ſcholis, atque Religio Chriſtiana in orbe terrarum publicata, demõſtratur.

Ad Senatum, Populumq; Duacenum,

A R. VITO BASINSTOCHIO conſcriptus.

DVACI,
Apud Carolum Boſcardum Typographum iuratum.
M. D. XCVIII.

Pars litterarum ad Robertum Talerum I. V. Licentiatum, quibus habetur Epigrãma, cuius fit mentio in præfatione ad Senatores Duacenos.

Legatus Pontificis dum esset Grauelingę in littore maris, oblectabatur prospectu in Angliam. quo tempore pronunciauit magna cordis affectione versus hos.

OCeani Antistes dum littora tuta teneret,
Summáque valla tui, dum Grauelinga, soli:
Prospiciens quà sol immergitur aureus vndis,
Feruidaque ex imo pectore vota trahens:
O vtinam tandem resipiscas Anglia, dixit,
Suaue iugum Christi, suscipiasque fidem.
Inde Crucem dextra pangens, victricia signa,
Regna quoque inferre est visus in Angla, Crucis.
Nec pia vota Notis dispersa, abiêre per auras.
Numine confirmat nam Deus ipse suo:
Spemque animo infundit propè certam Antistitis, vt mox
Cælitus auditas, sentiat esse preces.

AMPLISSIMO SENATORVM, POPVLIQVE DVACENSIS ORDINI S.

VRBS veſtra Duacum à Catuacis populis, vt Atrebatum ex Atrebatibus initio condita, plures armatos homines, contra Romanos, Galliam ſubigere volentes, paraſſe fertur. Quæ res maiorum veſtrorum, Ampliſsimi Viri, virtutem bellicam oſtendit. Sed ſtudium pacis, & amor pietatis, tunc apparuit maximè, cum Academiam Regiam magno triumpho reciperetis. quo tempore fuit in ordine veſtro, vt ipſe mihi prædicare ſolebat Gulielmus Bonuicta, quondam ſocer meus; cuius filius Amatus Bonuicta, cum ſit hoc anno veſtri ordinis, ſuperioréque Bernardus eiuſdem frater inter vos

extiterit; in primis autem, quòd ſit Princeps Senatus, Clariſsimus vir Iacobus, Dominus de Aſsignis, & ei proximus, alter Iacobus, Dominus de Moncheau, veteres amici, cæterique nobilitate, litteris, prudẽtiaq; tàm in omnium oculis cõſpicui viri, vt ſingulos nominibus idcirco non appellem: profectò non potui occaſionem prætermittere vobis offerẽdi librum Sextũ hiſtoriarum Britãniȩ, quo vis armorum in campis, & ſplendor litterarum in Scholis, magnificè per Imperatorẽ Conſtantium reſtitutis, & Chriſtiana Religio, per eius filium Conſtantinũ in orbe terrarum publicata, demonſtratur. Hoc amplius feliciter accidit, vt me gerẽte Rectoratum, Nuncius Apoſtolicus Ioannes Frãciſcus Bõhomius, Epiſcopus, & Comes Vercellenſis, ad hanc vrbem

maxi-

maximos ſacrarũ reliquiarum the-
ſauros miſerit, ac in eis, oſſa vnius
de virginibus Britannis, quæ cum
Sãcta Vrſula martyrio ſunt affectæ,
ſicut in huius libri fine perſpicuè,
vereq́; cognoſcetis. Idem Nuncius
poëta illuſtris, dum à vobis ad Oce-
anum recederet, littoraq́; Britanniæ
proſpiceret, eleganti carmine benè
precatus eſt. cum epigramma mihi
traderetur, ac Reuerẽd' Aquicincti
Prælatus, Dominus VVarnerus de
D'aure (cuius ex ſorore nepotem
Franciſcum de VVerquignœul, no-
bilẽ adoleſcentẽ iure ciuili olim in-
ſtituerã) enmdẽ Nunciũ reuerſum,
meq́; ſimul ad prandium inuitaſſet,
occaſione ſermonis de Inſula, feci
mentionem carminis, vt amimad-
uerti, non ingratam. optimus enim
& humaniſſimus vir, de omnibus
optimè ſperabat, & feliciſſima eue-

 nire

nire desiderabat. Vos autem, Viri Amplissimi, hoc exiguum testimonium meæ obseruantiæ, multas ob causas singulis vestrûm debitæ; animo beneuolo suscipite.

Pars litterarum eximij nobilitate, ac eruditione Domini, Gulielmi Giffordij, Doctoris Theologi, & Ecclesiæ Sancti Petri Insulensis Decani, ad R. Vitum.

Ex lectione tuarum Historiarum magnam cepi voluptatem, & vehementer laudo labores, operamque vtiliter sumtam, ad multorum hominum commoditatem, & certarum rerum elucidationem, quas res temporum antiquitas iam fecerat obscuras. Macte virtute esto. atque nobis plura tuæ cognitæ eruditionis, tuæq; erga patriam approbatæ affectionis, argumenta ostende, Insulis 8. Iulij 1598.

Pars litterarum Humfredi Elij I. V. Doctoris, & Ordinarij Professoris in Academia Mussipontana, ad R. Vitum,

Oportet te necessariò in Historia scribenda pergere, cum tàm benè ceperis. quò propius accedes ad nostra tempora, eò vtilior, ac dulcior erit narratio; tuaque fama & apud eos, qui nūc viuunt, & apud posteros, erit tanto clarior. Mussiponti vigilia Pentecostes, 1598.

Adrianus Vitus Artium Doctor, & Lyta Iuris, Lectori S.

LATINVS Pacatus in Panegyri dicta Theodoſio, vetuſtatem vocat, amplificatricem veri, & oſtentatricem ſui; non tamen fabuloſam, neque mendacem. nam ita mutatrix veri, fictrixq; ſui, veneranda temporum antiquitas, contra ius faſq; diceretur. Tertius enim Honorius Pōtifex c. 13. de probationibus, affirmat, fines diœceſum per libros antiquos melius, quàm per teſtes aut famam probari. Hoc, ſi pro terminis locorum cognoſcendis obſeruatur; multò magis pro nominibus hominum, qui in illis locis vixerunt, agnoſcendis obſeruari debet. Itaq; ſicut loca inundationibus obruta, recuperantur: ſic virorum nomina, vel obliuione, vel pręteritione hiſtoricorum aliò tendentium perdita, ex veterum libris reſtituūtur. Cuius rei, Amice Lector, exemplum nuper vidiſti, in hiſtoria obeliſci Vaticani, quē Sixtus Quintus Pontifex trāſtulit. Nam ex annalium monimentis probatur Pheronius Seſoſtridis Regis Ægipti filius, longè ante belli Troiani tempora, multiſque ante Romam cōditam ſeculis, illum obeliſcum confeciſſe, quod nemo fere ſciuit, aut credere voluit, quamdiu obeliſcus ille in angulo tēpli Sancti Petri Romę latuit. Sic illorum 24. Regum Celtarum nomina, quæ ſunt adiecta Beroſo, & Manethoni,

latue-

latuerunt tanquam in sepulchris cõdita; donec Ferdinãdus,& Elisabeta Reges Hispaniæ, regno Beticæ potirentur. Quo tempore in lucem redierunt. quamquam Hunibaldus ille, qui floruit sub Clodouæo Rege Francorum, eosdem pro Regibus Celtarum agnouisse videatur. Quæ breuiter dicta sũt, vt si fortè opinareris, Berosum falsum, aut Hunibaldum ineptum, non idcirco turberis. cũ non ab eis, vt authoribus, horũ personæ accipiantur: non magis, quàm à Gaufrido Reges Britãniæ, sed ex illis Annalibus, vel Beroso adnexis, vel à Gaufrido latinè interpretatis. Licet Antonius Posseuinus lib. 16. Bibliothecæ selectę c. 18. inter Historicos Britãnorum, diligentissimam Gaufridi mentionẽ faciat. Certè Iulium Cęsarẽ deinceps, Cornelium Tacitum, Ammianũ Marcellinum, quorum fides in Historijs probè cognita est, Parens huc vsq; coniũxit cum Annalibus Britannorum certis, & antiquis, vt ex notis, probandi causa, positis, animaduertes. & quoniam intellexit, non placere quibusdam, quòd singulos libros diuersis personis nuncupauerit: tametsi fecit idem Ælius Spartianus, vitam Pescenij ad Diocletianũ; & vitam Antonini Getæ ad Constantinum: item Iulius Capitolinus, vitam Opilij Macrini ad Diocletianum, & vitam Clodij Albini ad Constantinum scribẽdo: & hodie pleriq; post solemnem principibus factam totius operis dedicationem, statim priuatos Mecœnates epistola diuersa salutant: tamen obsecundare horum voluntati, librosque singulares edere maluit.

HISTORIARVM BRITANNIÆ

Liber Sextvs.

REBVS pro sua voluntate compositis in Britannia, Constantius
primo flore ætatis, adhuc toto
corpore vigens, & illa præditus
alacritate, ac fortitudine, quam
bella plurima, & pręcipuè campi
Vindonis, 1. vt idonei testes, 1.
declarauerunt; cum ex Helena vxore Constantinum filium, cognomento Magnum suscepisset,
de Britannia cum exercitibus in Germaniam
transmisit: secumq́ue Flauiam Helenam, 2. & 2.
cum ea Britannos propemodum infinitos, à
quibus vrbs Bretta nomen accepisse creditur,
eduxit. His in locis diu commoratus, cum è
finibus Nemetum transire iam in Gallias constitueret, validam cohortem Prætoriam, velut
in specula reliquit, ad custodiam, defensionemq́ue
illorum populorum, quorum vrbs ex huiusmodi
militarium virorum multitudine, Speira Græcè
dici fertur. In Gallijs verò multas res præclarè
gerens Constantius, cum esset apud Lingonas
populos, 3. fortunæ varietatem vno, eodemq́ue 3.
die maximam expertus est. Nam Alamani irrumpunt magno impetu, Constantiumq́ue in fugam verterunt. Is ad vrbem propinquam fessus
admodum se contulit: sed vrbis portæ metu
hostium occlusæ sic erant, vt nisi fune demisso

per muros Constantius sublatus fuisset, hostes illum captiuum abduxissent. Igitur acceptus ita nunc in vrbem, milites suos, qui eò antè confugerant, hortatur, animisq; robur addit verbis, quibus vrget, Ne talem ignominiam sine iusta vindicta manere, diutius patiantur. deinde concione vocata, persuasit ciuibus, vt arma capiant, auxiliumq; tanto dedecori abolendo præstent. adeo coniuncti simul, & portis subito apertis erumpunt, hostes fugant, ac propè sexaginta millia ipsorum cædunt. Qua victoria liberatæ
4. Galliæ, attritæqúe Germaniæ 4. suas vires sic amiserunt, vt eas deinceps reparare, ne quidem vnquam Alamani conati fuerint. tam erat hæc victoria Lingonica, vel ipsius Imperatoris vulnere gloriosa. Postea verò Constantius cum Helena coniuge Romam proficiscitur. reuersusq; ex Italia, per Gallias, vrbes vbique instaurari, ac præcipuè litterarum scholas in oppido Augusto, non modò auditorum ruina, verùm etiam Rectoris, & Magistrorum morte collapsas, ex integro restitui iussit: Eumeniumq; Rhetorem ad publicum munus profitendi, scriptis ad eum litteris, humaniter, liberaliterq; vocans, Merentur, inquit, Galli, vt eorum liberis, quorum vita in Augusto oppido ingenuis artibus eruditur, consulere; ipsiqúe merentur adolescentes, qui consensu hilari meum Constantij, Cæsaris ex Italia reuertentis comitatum suscepêre, vt eorum indoli fauere cupiamus. Proinde quid his aliud loco præmij conferre debemus, quàm illud, quod nec fortuna dare, nec eis datum, eripere potest? vt huic Auditorio, quod interitu præceptoris orbatum esse videtur, te vel potissimum ex omnibus, præficere debeamus; cuius eloquentiam, morumq; grauitatem ex nostri actus admi-

miniſtratione, bene compertam habemus. Saluo igitur priuilegio tuæ dignitatis, hortamur Eumeni, vt profeſsionem oratoriam in te recipias: atque in ea ciuitate, quam non ignoras ad priſtinam gloriam nos reformare; tu mentes adoleſcentium, ad melioris vitæ ſtudium excolito. Neque putes hoc munere tuis honoribus antè partis derogari; cum honeſta profeſsio 5. potius ornet, quàm deſtruat omnem dignitatem. denique ſalarium etiam volumus te in ſexcentis millibus nummûm, ex iuribus Reipublicę conſequi; vt intelligas me tuis meritis precium quoque conſtituere. His litteris Eumenius, cognita voluntate Cæſaris, orationem de ſcholis inſtaurandis coram Præſide Galliæ faciens, Loci inſolentia tantùm, inquit, non dicendi nouitate perturbor. Siquidem id poſtulo, quod nemo audeat, contrà dicendo impedire, ſed omnes potius, quibus liberalitas Principum, quibus huius vrbis reſtitutio, quibus optimarum artium celebratio nota, & grata eſt, ſummo gaudio, fauoreq́ue ſuſcipiant: nimirum vt illæ Menianæ Scholæ, quondam opere pulcherrimo celebres, frequentiáque ſtudiorum illuſtres, reparentur; ſicut ædificia vrbis cetera, ipſaq́ue templa reſtaurantur. Adeo vt, quantum mihi trepidationis adfert iſte locus, qui eſt Iuſtitiæ ſedes, & ad agendum ornatiſsima, & ad dicendum ampliſſima; tantum lætitiæ ipſa dicendi cauſa ferre videatur. Cuinam, quæſo, veterum vnquam Principum tantæ curæ fuit, quantæ nunc eſt optimis his generis humani dominis, vt doctrinæ atque eloquentiæ ſtudia florerent? quos ego quidem nihil dubito, quantum ad votum, pietatemq́ue pertinet, liberorum noſtrorum parentes appellare. Qui Galliarum indolem nobiliſsimam

respicere dignati, suo potissimum iudicio præceptorem ei, moderatoremq́ tribuerunt: & inter varias Imperij curas, Reiq́ publicæ gubernandę summas occupationes, litterarum quoque delectum habuerunt. In quo nihil ego laudi meæ tribuo, sed incredibilem Constantij, nostri Principis erga iuuentutem Galliarum sollicitudinem, & indulgentiam, satis admirari nequeo. Salarium de sexcentis millibus nummûm, equidem quod ad honorem pertinet, accipio, & in accepti ratione perscribo: sed expensum referre patriæ, atque ad restitutionem huius operis, quoad vsus poposcerit, destinare cupio. Sic ergo tunc hæc schola instaurata fuit. De qua Constantinus Constantij filius, post in Africa rogatus, vt hæreticis de opinione Donati, ex Gallia iudices constitueret, qui Catholicorum, ipsorumq́ causam cognoscerent, Maternum ex Agrippina, & Rheticium ab Augustoduno euocauit. Maximianus Herculius, cuius priuignam Theodoram Constantius, vt suprà demonstrauimus, vxorem habuit, inter Occidentis prouincias obtinebat etiam Gallias, & vtramqúe Germaniam, homo seuerus, asper & immitis, eiusdem prouinciæ varijs tumultibus agitatus, in limitibus Germaniæ plurima mutabat. Legionum enim castra, & in plerisque locis pręsidia militum transponebat; multas vrbes, & colonias, sicuti Constantius, instaurabat; nouam quoq́ legionem conscribebat, deq́ suo cognomine, tertiam Herculiam appellabat. Quin & Thebæam legionem (quam ex Aegypto Diocletianus, Achilleo superato, miserat ad Maximianum
6. auxilij causa, contra Carausium, 6. (qui Britannias, vt suprà demonstrauimus, occupauerat) iste Maximianus propter Christianæ religionis
pro-

professionem, qua discessit à reliquis copijs, seseq; impediri Dijs sacrificare, liberè respondit, veluti rebellem, decimo quoquo milite morte sublato, crudelissimè dissipabat. Mauricius enim Dux huius Thebææ legionis, cum parte maiore bis decimati exercitus, ad Agaunum, non procul ab Octoduro Veragrorum, propè Rhodanum amnem occisus est. Alias verò cohortes præmissas, quæ iam per Rheni ripam vsque ad inferiorem Germaniam descenderant, item persequi morte iussit. E quibus Cassius, ac Florentius eiusdem legionis ductores, vnà cum suis, Bonnę: Gereon Comes, cum trecētis octodecim, Agrippinæ: Victor primicerius, cum trecentis triginta militibus, ad Vlpia castra, Traianamq; coloniam trucidati sunt. Horum ossa pòst, Helena Constantini mater, cum pax vbique, & libertas Christianis, ab eius filio, reliogissimo Principe quæsita foret, ipsa collegit ex paludibus, & in loculos, ędemq; sacram cōdidit, quę Ad Sanctos Martyres appellatur. Nouam autem suam legionem Maximianus, transmisit in Britanniam ad ostium Olenaci, vbi Ala prima Herculia in præsidio mansit. Nam ad Caronis ostium, Carausius pro victoria, triumphi arcum è quadrato lapide, 7. altum viginti quattuor cubitorum, & 7.
latum duodecim, erexerat. Quæ res Maximianum Rheni ripam obseruare fecit, ne quid noui motus a Germanis absente toto exercitu concitaretur, dum Constantius Cęsar Gessoriacum capit, & Britanniam Classibus inuadit. quo finito bello, ipse persequitur in Insula tam acerbè Christianos, vt ecclesias omnes subuerti, libros sacros comburi, electos Sacerdotes Dei, vnà cum populis fidelibus interfici, crudeliter iusserit. Eo tempore Albanus homo infidelis adhuc,

clericum Amphibalum, suos persecutores fugientem, hospitio excepit. quem dum orationibus continuis, vigilijsque diu ac noctu incumbere videret, subito diuina gratia tactus, exemplum fidei ac pietatis Amphibali secutus, salutaribusq; exhortationibus ipsius paulatim edoctus, idololatriã reliquit, & integro corde Christianus factus est. Amphibalus Christi confessor apud Albanum latère, dicebatur. Princeps, milites eum diligenter inquirere, statim iussit. mox Albanus pro hospite ac magistro, caracalla qua ille vestiebatur, ipse indutus, militibus se exhibuit, atque vinctus ad iudicem, ita perductus est. Iudex autem tunc aris adsistebat, dæmonibusq; hostias offerebat. Cum vidisset Albanum, ira motus, quod ille se vltrò, pro hospite, quem acceperat, periculo vitę obijceret, ad simulachra deorum eundem trahi iubens, Quia rebellem, inquit, celare, quàm militibus meis reddere maluisti, quæ debebantur ipsi supplicia, tu solues. At Albanus, qui se vltrò Christianum esse, militibus dixerat, nequaquam id, ad minas Principis, negat. sed accinctus militiæ spiritualis armis, palam se iussis parêre, Dijsque sacra facere, nolle pronunciat. Tum iudex, Cuius inquit, generis, aut familiæ vir es? Quid, inquit Albanus, hoc ad te pertinet, qua stirpe sim ego natus? Si vis audire veritatem religionis, scito me esse Christianum, officijsque Christianis operam dare. Quæro, inquit iudex, Quod est nomen tuum: Et ille, Albanus a parentibus, inquit, vocor. atque Deum verum, & viuum, qui creauit vniuersa, semper adoro, & colo. Sacrificia, quæ vos Dijs facitis, dæmonibus offeruntur, nec auxilia hominibus ferre, nec eisdem supplicantium vota complere possunt. At contrà, qui-

quicunque fert his simulachris sacrificia, pro mercede, pœnas inferni recipiet. Quibus verbis iudex ad furorem commotus, Albanum cædi præcipit, constantiamq́ue cordis eius, quam verbis non poterat, verberibus frangere conatur. cum eum vidit tormentis, superari, vel a cultu Christianæ religionis auocari non posse, capite plecti iubet. Eodem tépore paßsi mortem sunt Aaron, & Iulius vrbis Legionum ciues præstantißimi. & alij vtriusq́ue sexus diuersis in locis plurimi. quorum sepulchra, paßsionumq́ue loca Britanni diu pòst ardore quodam diuinæ charitatis, omnes inuisebant; 8. donec illa quoque, lamentabili 8.
Barbarorum sęuitia ipsis tollerentur. Alter enim Augustus, nempe Diocletianus eò vesaniæ prorupit, vt humanæ conditionis oblitus, se pro deo adorari voluerit. Quamuis enim ab ortu Solis ad Indos vsque, & ab occasu ad Oceanum Britãnicum, Imperij Romani fines tum extendebantur, attamen iste superbus Diocletianus, harum rerum magnitudine contentus esse noluit, sed honores diuinos Imperatoribus habendos esse præcepit. Cumq́ue Principes antè salutarentur, vt Consules, ipse primus adorari voluit perinde, ac si cælestis in eo maiestas appareret. Ideo cum suas manus viris nobilibus osculandas, ac plebeis sua genua, Cæsares antea præberent; confestimq́ue manibus eisdem, ad osculum oris, eosdem nobiles attollerent: iste nunc edicto publico sanciuit, vt omnes homines absque vlla differentia generis, in humum prostrati, suos pedes exoscularentur. 9. quibus idcirco calceos 9.
auro, gemmis, & margaritis ornatos adhibebat. neque contentus ijs insignibus, quibus antè vsi sunt Imperatores, iste contra veterem omnis ætatis consuetudinem, reperit ex ipso habitu

quandam venerationem, vti deus esse crederetur. Quibus rebus nihil opis ferente, illarum rerum conscio Asclepiodoto, neque Britannos fide Christi præditos, ipso ab eadem religione non alieno, contra tam apertam sacrosanctæ diuinitatis iniuriam, quidquam adiuuante, is a Coëlo Helenæ patre, vt suprà demonstrauimus interfectus est. Constantius autem ne quid simile Coëlo tentare, posset, homo fidei Christianæ studiosissimus, ei Helena coniunx tollitur, Constantinus filius abducitur. cuius ipse tamen extremam pueritiam litteris, moribus, ac re militari ornandam esse curauerat. Hic puer Galerio Maximiano traditur; a quo contra Sarmatas admodum feroces, hominumq; cædibus assuetos, cum exercitu adolescens mittitur. In qua quidem expeditione plus, quam vel eius ætas ferebat, vel anni permittebant, adhuc iuuenculus gessit. adeo præter omnium opinionem, virorumq; prudentium expectationem profligauit hostes, & cecidit, vt ipsum Sarmatarum Regem Ascaricum, vinctum catenis, ad Galerium perduxerit. qui tamen ea victoria minimè lætatus est. etenim omnibus modis adolescentem perdere quærebat. ideo illum, etiam cum bestia in theatro pugnare cohortatur. Constantinus gloriæ cupidus, id facit; in certamen descendit, ferámque immanem pertinacissimè vicit. quem spectatores omnes cum efferrent miris laudibus, Imperator subridens, maioribus adhuc periculis eum obijcere cogitabat. quod vbi percepisset Constantinus, insidijs talibus vitam suam peti, quamquam in vrbe Roma sub quadam specie religionis, obses teneretur; attamen fugam arripit. & ad fraudandum eos, qui persequebantur ipsum, vt reducerent, publicos equos,

qui-

quibus dispositis velociter abijt, quacumq; iter
ageret, confestim interfecit; quo posset ad pa-
trem citius, securiusq́ue in Britanniam perue-
nire. Constantius enim Constantini parens, &
Galerius iste Maximianus cognomento Armen-
tarius, prius ambo creati Cæsares, vt suprà de-
monstrauimus, in eaq; dignitate peractis annis
pluribus, simul Imperatores iam Augusti salu-
tabantur; quòd Diocletianus Iouius, & Maxi-
mianus Herculius imperio se sponte abdicassent.
Itaque nunc, licet Constantius Gallijs, Hispa-
nijs, Italiæ, & Africæ præesse debuisset; Galerius
verò Illyricis, Græciæ, ac Orienti; tamen adeo
natura fuit vir mitis, moribusq; semper mode-
stus, & diuitiarum maximus spretor, ita facilis,
amabilis, & ab omnibus dilectus Constantius;
vt administrationem Africę, Italięq; recusauerit,
quòd ab vno tantum imperij pondus non posse
sustineri diceret. Galerius igitur, postquam
Constantius Italiam, & Africam sibi reliquit,
duos ad id cooptauit, Seuerum, quem Italiæ &
Africæ præfecit; atque Maximinum ex sorore
nepotem, quem in oriente constituit. Iam in
Britannia Caledones, & Picthi de syluis, ac pa-
ludibus egressi, plurimiq; ex Hibernia proxima
irrumpentes, bella mouebant. cum Constantius
supremam expeditionem instituens, auxiliari-
busq; copijs Eroci Regis Alamanorum comi-
tatus, illò proficiscitur. vbi cum aliquandiu
morbo tentus ægrotaret, admonitus cœlesti
visu 10. fuit, vt primum Constantinum, quem 10.
habebat filium, sibi successorem faceret. quòd
is Romanum Imperium à tyrannis liberaturus,
militibusq́ue Dei laturus opem omnino foret.
quippe Constantius ex Theodora Maximiani
Herculij priuigna, secundum quoq; Constanti-

num filium susceperat. sed certior factus de magnis virtutibus, rebusque gestis huius primi Constantini filij sui ex Helena coniuge, maiorem de illo spem conceperat, eiq; facto Cæsari, regnum Galliarum, & Hispaniarum, Alpiumq; Cottiarum, testamento reliquit. Et cum vltima fata perurgerent hunc suum parentem Constantium, tunc oportunè Constantinus, qui ab vrbe Roma cum fidißimis quibusdam amicis, vt suprà demonstrauimus, in Britanniam fugerat, jam venit ad patrem morbo ferè absumptum Eboraci, vbi & ipse anno regni vndecimo sepultus est: & hic Constantinus, omnibus qui aderant, summopere id annitentibus, sed præcipuè illo eodem Eroco Alamanorum rege, feliciter imperium capit. Quo quidem tempore Britannicum exercitum Gratianus regebat. is, qui pater Valentiniani pòst Augusti fuit; & propterea dictus est cognomento Funarius, ii quòd funem circunferens venalem, nondum adultus, quinque militibus eundem funem magno studio rapere conantibus, nequaquam cesserit. Interea Romæ milites Prætoriani excitato tumultu, Maxentium Herculij filium, qui non procul ab Vrbe in villa publica morabatur, Augustum nuncupauerunt. Contra quem motum Prætorianorum atque Maxentij, Seuerus Cæsar à Galerio missus cum exercitu, Romam venit, vrbemq; obsidens, militum suorum scelere Rauennam fugiens, interfectus est. quam ob caussam opes Maxentio auctæ sunt, imperiumq; eius confirmatum esse videbatur. adeo vt eisdem militibus Prætorianis ipsum ad sæuitiam impellentibus, viros plerosque nobilitate, ac opibus claros occideret, eorum bona raperet, vectigalia noua excogitaret, pecuniásque modis

omni-

omnibus colligendo, vir inexorabilis, & orbe toto tyrannus infamis haberetur. Etenim captus amore nobilissimæ, castissimæq́ matronæ Sophroniæ, misit ad eam, suarum libidinum ministros, quos solos habebat, suos Aulicos, & cum quibus solis de Republica, homo impurus consulebat. Vir huius matronæ, qui erat Pręfectus vrbi Romæ, suam vxorem metu mortis a se abduci patiebatur. Illa, quæ fuit Christiana, tempus exornandi se petit. ingressa cubiculum perinde, ac si se ornaret, ipsa manus sibimet infert. Cum hęc mora ministris Maxentij longior esse videretur, in cubiculum irrumpunt, mortuam inueniunt; rem, vt tunc accidit, Principi referunt. Ipse nihil perterritus exemplo, tantum abest, vt horrore commotus, sic appetere plures fœminas desierit; vt, pro eo odio, quod habebat erga Christianos, magis animatus, & hac pernicie ad id genus facinora magis incensus esse videretur. A quo pulsi Roma, Italiáque tota plurimi nobiles, quorum opes abstulisset, suisqúe vsibus Maxentius applicuisset, ad Constantinum in Britanniam veniunt, 12. honorificèq́ accepti, ei tandem in Galliam proficisci versus Romam suaserunt. Neque enim adhuc immemor erat temperantiæ patris sui Constantij, qui cum potuisset Italiam totam regere imperio, tamen id facere noluerit. Igitur ad Galliam testamento patris sibi commendatam, profectus Constantinus, secum bonam partem Britannicæ Iuuentutis abduxit. Certè viros Principes, in quorum virtute, fide, constantiaq́ spes omnes suas positas rationésque rerum gerendarum præcipuè collocatas habebat, nunc in huius itineris expeditionem promptos, ac paratos reperit. pręterum tres Auunculos 12.

Helenæ matris suæ, Leoninum, Trahernum, & Marium, quos in vrbe Roma pòst, ad amplissimum Senatorum ordinem euexit. In Gallia cum esset, Maximianus Herculius Constantinos Imperatori adolescenti filiam nomine Faustam, matrimonio collocauit, vt Romana res antea diuersis Regentium moribus, fatisque iactata, perpetuis tandem Augustæ domus radicibus coalesceret, illiusque Imperium tam immortale fieret, quàm sempiterna foret soboles Imperatorum. Et ex hac concordi voluntate Principum intelligeretur quædam voluptas humani generis conseruandi; exemplumq́ omnibus populis ad matrimonia studiosius expetenda, & liberos diligentius educandos, tribueretur. Ita enim substituendis singulorum successionibus, accideret, vt non deinceps mutatoria per nouas familias communis salutis gubernacula traderentur; sed ęternitas Reipublicę, memoriáque diuturnitatis parentibus maneret. Ergo sicut Constantius Britannias tyrannorum seruitute liberauit, primáque iuuentute se totum transfudit in Constantinum; cuius in ore, vultum illius natura signauit; neque formam tantum, sed continentiam, fortitudinem, iustitiam, prudentiamq́ patris in filio repręsentauit: sic Constantinus, Britannias etiam nobiles illic oriendo
13. fecit, & nulla re magis continentiam patris æquare potuit, quàm quòd ab ipso pueritiæ fine, se matrimonij legibus illicò adstrinxisset, primóque adolescentiæ ingressu maritalem animum formans, nihil de vagis cupiditatibus, nihil de concessis ętati voluptatibus, in illud suum pectus Augustum admisisset; sed quasi nouum in natura rerum apparens, miraculum, Iuuenis Princeps, vxorius efficeretur. Vrbe Aquileia

cum

eum splendidè conuiuium in palatio celebraretur, Fausta puella iam decore venerabilis, sed adhuc impar oneri suo sustinet, atque offert Constantino etiam tunc puero, galeam auro, gemmísque radiantem, & pennis illius alitis pulchræ, nempe pauonis, in cono eminentem: vt quem vix vlla possent habitus ornamenta, saltem hoc sponsale munus pulchriorem faceret. Nam ista felicitate nuptiarum contigit, vt Maximianus Herculius, qui Constantium Constantini patrem; primus in Imperij possesionem per Theodoræ priuignæ nuptias induxit, idem Pater, idem socer, idem Imperator Constantinum filium etiam induceret. Qui quidem Constantinus pòst in Danubio pontem construxit, habitumq́ Regium gemmis, ac perpetuo diademate caput ornauit: princeps administrationi plurimarum rerum commodissimus, & calumnias seuerissimis legibus sedare, bonasq́ artes nutrire, ac præcipuè litterarum studia fouere cupiuit, legere ipse, scribere, meditari, legationes, & querimonias prouinciarum audire consueuit. Quóque magis obligatos milites sibi faceret, initio principatus constituit, vt agri, villæ, oppida, quæ ad emeritorum victum tribuebantur, ad eorundem militum heredes etiam transirent. Nam ex vetere Romanorum consuetudine, Tribunis, Præfectis, Comitibus, ac Ducibus, qui pro Imperio augendo labores bello sumserant, & consenuerant, agri certi dabantur, villæqúe certæ, vt necessaria suppeterent, quamdiu viuerent, ipsi duntaxat. sed has tunc appellatas Parochias, Constantinus voluit ad militum posteros quoque, tamquam felicia signa virtutis maiorum suorum, transferri. quibus veteranis militibus idem Princeps multa, & magna priuilegia con-

concesſit. quosq́ de cetero vulgo priuatus dilexit, hos nunc opibus cohoneſtauit, non dignitate Prætoria ſolum, vel Conſulari, vti priores Principes, nulla oneris inde ſequentis habita ratione fecerunt. Cum imperaſſet in Gallia tribus annis ſumma vbique laude Conſtantinus, interdum vxore Fauſta eum ad id impietatis impellente, dijs ſacra feciſſe fertur. quamquam enim erat ipſe non ſolùm armorum ſtudioſiſſimus, verùm etiam philoſophiæ, atque eloquentiæ peritus accuratè diſſerebat; tamen in opinionibus veterum a fide Chriſti diſsidentium, vxori nimia facilitate credebat. quam eo magis diligebat, quòd ſuam vitam à patris inſidijs ipsè conſeruaſſet. Pœnituerat enim Maximianum Herculium aſſenſiſſe Diocletiano collegæ in abdicatione Imperij. E Lucania igitur, quam ſedem priuatus ad conſeneſcendum in agris amœniſsimis elegerat, Romam aduolauit, ſimulans Maxentio filio ad ſuſtinenda Reipublicæ gubernacula ſe ſuppetias ferre; quem verè tamen Imperio deſtituere conabatur. quod vbi milites, iniquo animo accipere, vidit, eorum ſeditionem, & conuitia tulit, aſſerens, hoc figmento tantum experiri ſe voluiſſe, vtrum illum, quem creaſſent Imperatorem, ſeriò diligerent. qua voce tunc ſuppreſſo tumultu, ad Gallias inde profectus eſt, Conſtantino genero ſuo ex Fauſta, compoſito dolo conqueſturus, tamquàm a Maxentio filio Roma expulſus fuiſſet. moliebatur tamen occaſione reperta Conſtantinum interficere, imperioqúe ſaltem eius, ſic potiri. quibus inſidijs per Fauſtam Maximiani filiam, Maxentij ſororem, Conſtantiníque coniugem detectis marito, quem patri, fratriq́ hæc Imperatrix præferebat, Maximianus Herculius

Maſ-

Masſiliam profugit. nam ex ea nauigare rurſus ad filium arbitrabatur. ſed iuſſu Conſtantini captus ibidem, ſtrangulatuſq́ue eſt, vir ad omnem aſperitatem, ſæuitiamq́ue procliuus, infidus, & moribus incommodus, ciuilitatiſq́ue, quam vocant, penitus expers. qui poſtquam obtemperauerat Diocletiano in relinquendo Romano Imperio, priuatum viuendi ſtatum, ſicut ille fecit, iſte ſemper ſequi debebat. Dum hæc in Gallijs aguntur bona pars nobilium Romanorum per nuncios clam exorant Conſtantinum, vt ipſam vrbem Romam, caput Imperij, à tyrannide Maxentij liberaret. Sic accerſitus ſæpenumerò, ceſsit tandem precibus eorum; vixq́ parte quarta ſui exercitus contra centum millia hoſtium armatorum, Italiam petijt.
Tranſgreſſo iam Alpes Conſtantino, Seguſienſes, qui ſub ipſis Alpium iugis oppidum muro, ac ſitu munitiſsimum tenent, prima obſtinatione reſiſtere, portaſq́ue claudere cæperunt. ſed illicò ſuæ dementiæ pœnas luebant, cum ſibi oblatam a Conſtantino veniam recuſarent. neq́ enim vallo, foſſaque eorum oppidi obſeſsio inchoata eſt, nec agendis cuniculis, nec admouendis machinis, nec ariete incutiendo tentati quaſsíque ſunt muri; cum ſtatim iniectæ portis faces, ſtatim adhibitæ propugnaculis ſcalę, viam ingrediendi vi fecerunt, vrbemq́ penitus euerterunt. Inde digreſſum ad Taurinos pugna grauior Conſtantinũ expectat. nec eos Seguſienſium vaſtitas ſibi cauere monet: adeo ſemel animus prauitate veluti morbo quodã impeditus, delectum boni non habet. Cãpum latè iacentem tot, ac tanti milites oppleuerãt, vt qui videret inſtructos, fiduciam de victoria non improbaret. operimento ferri erant equi, atque homines pariter

riter obſepti. hæc quidem armorum oſtentatio milites Cõſtantini fecit ardentiores ad pugnam, quòd hoſtem inueniſſent, quem a ſe vinci deceret. Conſtantinus equites cataphractos, in quibus maximum pugnæ robur ſteterat, ipſe ſibi ſumit. his enim diſciplina pugnandi eſt, vt cum aciem arctauerint, impreſsionis tenorem ſeruent, vulnerumq́; immunes, quicquid eſt oppoſitum, illud ſine hæſitatione perrumpant. Imperator prudentiſsimus, qui omnes bellandi vias nouerat, id, quod tutiſsimum eſt, illudere; & id, quod erat difficillimum, ſuſtinere conatur. deducta ſuorum acie, reuocabile imperium in hoſtes effundit. Deinde quos ludificandos receperat, agminibus reductis includit. nihil proderat contrà tendere, cum ex induſtria Conſtantini cederent, flexumq́; ad inſequendum, ille ferreus armorum rigor non permitteret. Ita milites eius, hoſtes arte ſibi proditos clauis adoriuntur; quæ grauibus, ferratiſqúe nodis, iſtos vulneribus non patentes, cedendo defatigabant; atque maximè capitibus inflictæ, quos ictu perturbauerant, eoſdem hæ clauę ruere cogebant. tunc ire præcipites, labi recliues, vacillare ſemineces, aut moribundi ſedilibus equorum attineri, vel eorum clade permixta impliciti iacêre cęperunt. ad vnum omnibus interfectis, horrorem armorum ad victorię miraculum tranſtulerunt; quòd hi, qui vulnera pati non poſſe credebantur, ſine militum Conſtantini vulneribus, interiſſent. Quocirca poſt tantam, tamqúe grauem pugnam cum apud Brixiam reſtiturus quoque maneret equitatus, quidam acer & magnus, fuga, quàm viſu aſtutior, Conſtantini primo impetu pulſus, ad pręſidia maiora Veronam vſque contendit. Hęc ciuitas quum iam

iam multorum cladem accepiſſet, facta metu eſt paꝛumper cunctatior, neque tamen vlla ratione fidelior, muris ab impetu ſe vindicat. Atheſis fluuius aſper ſaxis, & gurgitibus verticoſus, impetuq́ꝫ ferox oppugnationem vrbis prohibebat; & omnem retrò regionem euehendis copijs tutam, defenſámque præſtabat. Id quod, ne diutius tamen Veronenſes adiuuaret, Conſtantinus in ſuperioribus locis, (quibus idem amnis leuior eſt, & cum adhuc ignari huius conſilij hoſtes eſſent,) parte ſui exercitus proiecta, eos ancipiti periculo clauſos, obſeſſóſque, peiora damna experiri armis coegit. quos inteſtina ſeditione perturbatos, tandémque erumpentes adeo cecîdit, vt ipſe dux etiam illorum, cum parte copiarum ad accerſenda vicinorum auxilia muris exceſſerit. Ruricius vir experientiſsimus belli, columénque ducum tyrannicorum, qui apud Brixiam plerique iam fracti fuerant, cum ſe Veronam proripuiſſet, ibidemq́ꝫ magna ſuorum clade reiectus nouos exercitus, ſpe iam laſſa, ſed mente veſana, collegiſſet; pugnæ quàm ſalutis auidior, præcipitante die bellum non detrectauit. Cui redeunti Conſtantinus minore cum exercitu congredi, quàm obſidionem intermittere maluit; ne reſpirare clauſis, aut effugere, aut tergo imminere, liceret. Primò quidem aciem inſtruxerat duplicem, mox præuiſo aduerſariorum numero, explicari ſtatim in frontem ordines, & extendi latius arma iuſsit. Cum omnia perſpexiſſet, vniuerſáque, vt oportebat, diſpoſuiſſet, ac ſummi Imperatoris officia compleuiſſet, ipſe denſiſsimis hoſtium turbis ſe Conſtantinus immiſcuit, *14.* atque fortiſsimè pugnauit. aliter, quàm Xerxes, qui nauale certamen ex edito monte ſpectauit. aliter quàm 14.

Augustus Cæsar, qui tanquam aliquid agens in prælio, apud Actium vicit: quorum neuter, aut periculo interesse, aut euentui rerum adesse voluit. At Constantinum cęsis, fugatisqúe hostibus, & eorum duce interfecto, comites, tribuniqúe sui præ gaudio lachrymantes, reuertentem incolumem exceperunt. pectus eius anhelum, manus cruentas, & quicquid de sanguine profundæ cædis hostium emerserat, amplexi sunt. ipse verò, noua quadam varietate naturæ, confusóque virtutum omnium temperamento, fuit & in prælijs ferocissimus, & parta ex bello securitate, mitissimus. denique ciuibus obsessis dato tempore pœnitendi, & Aquileiam de legatis eorum ac supplicibus recepit; & Mutinam, cunctósque quos obsidendo seruauerat, clementia prosecutus; omnibus, qui se illi dediderunt, ignouit; & vitam, quam ipsi desperauerant, reddidit; tantummodò iubens eos, arma deponenere, vt multo tutius victoris pietate tegerentur. Nihilo tamen secius, vt suæ pertinaciæ merita sentirent, Constantinus deditos corripi, vincirique, non ad supplicium, sed ad vitam, ne timore conscientię diffugerent, iussit. vinciri autem, geminis claustris ad manus aptatis, déque gladijs eorum conflatis, vt quos repugnantes, sui gladij non defendissent, hi nunc eos deditos seruarent. qui pulcherrimus erat hostium, armorumqúe triumphus, vt eos illius ferri quod contra ipsum gesserant, quotidiè pœniteret. Recuperata sic Italia Constantinus ad vrbem Romam accedit: cui Maxentius insederat, nihil ad tot nuncios suarum cladium ausus conari, vel extra parietes vsquam egredi. adeo semper aut prodigijs, aut sui metus præsagijs mouebatur. Literas enim calamitatum suarum indices,
suppri-

ſupprimebat. interdum quoque palam optabat, vt ad portus vſque veniretur. nec intellexit homo ignauus, maieſtatem illam vrbis, quæ pridem ad motus exercita, ſollicitaũe erat; iam flagitijs ipſius deformatam, è ſedibus pulſam, ad auxilia Conſtantini petenda tranſiſſe. Cuius inclyta virtus, & ſumma dignitas armorum, homini nefario Maxentio conſilium eripuerunt. Nam accepto nuntio de militibus Conſtantini propinquis Romę, iam antè biduũ emigrat palatio, & cum vxore, ac filio in domum priuatam ſponte concedit. & quamuis ad prælium armatus egrederetur, tamen excedendo palatio, iam ſemet Imperio, ipſe abdicaſſe videtur. Exercitum quidem ſuum educit, ſed aciem ſic inſtruit, vt nemo prorſus euadere mortem, nemo de loco motus referre pedem, ac prælium inſtaurare potuerit. cum a fronte, armis; a tergo, Tyberi flumine premeretur. in qua re, non ille neceſsitatem reſiſtendi, ſed propinquitatem refugiendi conſtituere ſuis militibus cogitauit. Sic intra vrbis Romæ mœnia ſe Maxentius cum exercitu continuit. qui cum nihil vnquam ſine reſponſis muliercularum geſſerit, de huius belli exitu Magam conſuluit. Illa Maxentio fore proſpera cuncta vaticinabatur, ſi prius infantibus cæſis, aduerſa ſibi Numina placaret. Ad quod faciendum ipſe diem ac horam ſtatuit, quando exercitum educturus, & cum hoſte manum conferturus eſſet. Qui ſacris nequiter peractis, rem pro conſilio Magæ adminiſtrat. nihilo tamen ſecius ſtrage magna ſuorum victus, ad pontem Miluium occubuit. nam ipſe ſuis Numinibus magicæ vanitatis actus in fugam, vnà cum equo in Tiberim deſiluit, dumqúe euadere conatur, imis arenis, limóque retentus, ac ſub-

mersus est. eiecto pòst ad ripam, caput illi recisum, spirabat adhuc sęuitiam ac libidines, & ante currum victoris Constantini pro spectaculo ferebatur. pari studio missum postea fuit idem caput, ad permulcendam Africam, vt quam ille viuus maximè afflixerat, nunc morte laceratus magno lętitię fremitu Maxentius expleret. Adeo sanè constat, huiusmodi vaticinantium oracula vana, fidē plerumq; fallere. proinde rationibus experimentísque præstat res omnes, consilioq; maturo aggredi. quamquam enim in rebus bellicis fortuna plurimum potest: tamen etiam virtute parari, augeríque regna videmus. Nam si certa de rebus futuris vaticinia starent, ipsa virtus pro nihilo foret. Equidem humana cuncta cœlitus gubernari, non negauerim, virúmque sapientem bono consilio posse, aduersa multa vitare: sed inconsultum, aut magicis artibus fidentem, prosperi successus rerum non sequuntur. Itaque Constantino sic, vt hactenus demonstrauimus, administranti bellum cum pru-
15. dentia iusta. 15. res omnis aliter, quàm Maxentio accidit. Nam cum ante conspectum vrbis Romæ hoc certamen aduersus Maxentium institueretur, Constantinus in aëre vidit Crucem suas legiones fulgentibus radijs, quasi sole, tegentem, & audiuit vocem, quæ diceret: Constantine, in hoc ligno vinces. quo die secutus diuinum re vera oraculum, prosperèque contra Maxentium pugnans, insignem, vt iam demonstrauimus, victoriam obtinuit. Helena mater eius, & mulier sancta, post hanc gloriosè partam victoriam, in somnis admonita, conquirendæ Crucis Christi studio, Hierosolymam proficiscitur. Ibi marmoream Veneris statuam: in loco crucis positam, ad tollendam passionis Christi memo-

memoriam post centum, & octoginta circiter annos, euertit. Simulachrum Adonidis a præsepi Christi; & simulachrum Iouis, à loco Resurrectionis eius, vbi consilio simili statuebantur, penitus remouit. Atque sic loco Crucis expurgato, altè defossæ Cruces, sunt erutæ tres; repertúsque seorsum ab alijs, est Titulus Crucis Domini Iesu. qui titulus cum non appareret, cuinam Cruci ex his tribus adfixus fuisset, eam dubitationem hominum, sustulit miraculum Dei. Nam Episcopus Hierosolymorum Macharius, factis antè precibus, fœminę cuidam, graui morbo laboranti singulas Cruces admouit, cui cum reliquæ duæ prius adhibitæ nihil profuissent, tertia Crux, tandem apposita, statim eamdem sanauit. Tunc Helena Cruce salutis humanæ sic inuenta, magnificentissimam Ecclesiam ibi struxit; in qua partem Crucis reliquit, argenteis thecis inclusam; & partem Constantino filio detulit. quæ gemmis, auróque distincta, Romæ fuit deinde reposita in Ecclesia Sanctæ Crucis, quàm ipse pòst in ædibus Sessorianis Constantinus extruxit. Clauos quoque quibus corpus Christi adfixum Cruci fuit, Helena secum ex Syria tulit, filiòque donauit. quorum vno, ille pro cono galeæ suæ vsus est. altero bellatorem equum communiuit. tertio in mare proiecto ad sedandos fluctus vndarum, grauissimam tempestatem auertisse fertur. Ex quo tempore Constantinus etiam legem tulit, Ne Crux ad supplicium faciendum alicui adhiberetur. ita res, quæ fuit hominibus antea ludibrio, ac dedecori, nunc in veneratione ac gloria haberi cœpit. præsertim cum Theodosius & Valentinianus Augusti, postea constituerint, Nemini licere, signum Christi Saluatoris, aut in

solo, aut in silice, vel in marmoribus, humi positis insculpere, vel pingere sic, vt pedibus hominum calcari possit. Huius tam piæ peregrinationis, ab eâque Crucis repertæ memores, adhuc ciues vrbis dolcestriæ, qua Regina Helena
16. in Britannia nascebatur, Crucem nodosam. 16. inter quattuor coronas positam, in clypeo suæ Reipublicæ, pro insignibus gerunt. Constantinus autem sic habita de Maxentio victoria, quem Prætorianos milites intellexerat, non sine consensu Senatus Imperatorem fecisse: Prætorianos, qui pro Maxentio contra se steterant, exauctorat. in Senatum, tres auunculos matris Helenæ, Leoninum, Trahernum, & Marium adsciscit. & ex omnibus prouincijs optimates viros curiæ suæ cooptat, vt Senatus dignitas non magis nomine, quàm re fieret illustrior, quum ex totius orbis flore constaret. deinde quattuor Præfectos Pretorio instituit, quibus suprema post Principem auctoritas esset. Orbem enim Romanæ ditionis vniuersum, in partes quattuor præcipuas, quas Græci Diœceses vocant, diuidit. quibus singulis vnum ex ijs Præfectis constituit, qui vices Imperatorum in prouincijs sibi creditis gererent. etenim vnum Africæ & Italiæ. alterum Hispaniæ, Gallijs, Britanniæ & Germanię præposuit. quorum prior Italiæ, alter Præfectus Prætorio Galliarum dicebatur. Prouincijs autem reliquis Cismarinis Prefectum tertium addixit, qui Præfectus Prætorio Illyriæ vocatus est. nam quartum Præfectum Prætorio Orientis, omnibus trans mare Romanis prouincijs constituit. At hæc noua Constantini Prefectorum Prætorio, & vt Vicarius Britanniarum sub potestate Prefecti Pretorio Galliarum contineretur, institutio, plurimum

gimum turbauit Britannos, qui se pari semper iure cum Gallis vixisse, nec eis vnquam subesse meminerunt. Itaque Dux Visseorum Octauius Eucta sumpsit arma in Romanos, qui Britannicas prouincias administrabant. Quibus rebus cognitis Trahernum auunculum Helenæ, vrbisque Romæ nunc Senatorem, vt supra demonstrauimus, cum tribus legionibus in Britanniam Constantinus mittit. Is nauibus appellens, vrbem Caërperim cepit. quo loco cum armatis hominibus plurimis Octauius fit ei obuius, initóque haud procul à Vintonia, prælio graui, victor euasit. adeo vt Trahernus ex pugna repetens naues, per mare in Albaniam contenderet, vbi deuastatis agris, ædificijs incensis, multa mala facit. quibus ad Octauium per nuncios relatis, illò festinans, Trahernum ad ea vsque loca persequitur, quæ Vestenaualia dicebantur. ibi versa vice rerum, Octauius prudenter vti victoria nesciens, fugere ipse cogebatur. Hanc fortunæ commutationem sedulò Trahernus amplectitur, nec antè cessat, quàm Octauium vi & armis, de summa rerum administranda deiecerit. Quocirca Noruegiam, auxilij habendi gratia transmittens, Octauius proficiscitur, sui vindictam populo, Comitique illius municipij, à quo naues soluerat, & vbi præ cæteris diligebatur, abiens commendauit. Interea Constantinus neque fessus prælijs, neque victorijs expletus, otio quietique se dedit, vt humana tamen natura fert; sed post annuam expeditionem contra Maxentium, statim bello auspicatus a Tyberi ad Rhenum, &, vt omen ex nomine conficiatur, ab Albula Thusco, ad Albim Germanicum, terminos imperij proferebat, victoriasque victorijs cumulabat. Rupe-

rat enim fidem gens leuis, & lubrica Francorum, qui Rheno institisse nuntiabantur: quibus illicò Constantinus obuius adfuit, & præsentia sua, ne transitum auderent, perterruit. Interim Trahernus in Britannia rem cum bona pace administrabat, donec ille Comes municipij Vestenaualium, cui Octauius, sui vindictam abiens commendauerat, vt suprà demonstrauimus, nunc militibus centum, alijsque hominibus, stipatus in valle quadam abdita delituerit, per quam Trahernus vrbe Lundonia egressus transire debebat. quem ibi nihil minus, quàm insidias cogitantem, impetu facto peremit. Quibus rebus cognitis Octauius, à Gunberto Rege Noruegiæ copias auxiliares petit, & in Britanniam anno quarto pòst, quàm inde recesserat, denuò redit, pristináque rerum administratione potitur. Quo nũtio accepto, Constantinus ad Britannos traiecit, quos cum vicisset; Helenæ matris prece Londinum vrbem obsepsit mœnibus, quæ suo ambitu tria circiter milliaria comprehendunt, & sex portis patent: ac vbi ad flumen Tamisis exeunt, ibi duo munimenta vrbis firmissima constituuntur, quorum alterum, Turris; alterum nomine, Castellum appellatur. A quo tempore floruit hæc vrbs tanta dignitate, vt Augusta dici, & monetariam officinam habere cœperit. in qua Constantinus nummos ad honorem Constantij patris sui, publicè signare fecit. quíque huic officinę sub Comite sacrarum largitionum præfuit, is, thesaurorum Augustensium Præpositus in Britannia dicebatur. Inde partes mundi alias animo complecti Constantinus cœpit, vt his, qui suę opis indigerent, subsidio maturè veniret. relictóque Britanniæ præfecto, Cle-

mente Maximo, 17. Leonini Filio, ac Traherni 17.
nepote, viro quidem forti ac strenuo, Mediolanum ipse proficiscitur, Constantiámque sororem sibi consanguineam, M. Iulio Licinio, quem Seuero mortuo Maximianus, propter egregiam rei militaris scientiam, Imperij consortem fecerat, nuptijs coniungit; ad quas celebrandas Diocletianum inuitat. Ille, se per senectutem venire posse negans; acceptisq; litteris minarum plenis quibus quasi Maxentij fautor habebatur, veritus vltimo vitæ tempore dedecus haud ferendum pati, bibisse venenum creditur. Ita Constantinus vtrique tam Diocletiano, quàm Maximiano, qui sibi, matriqúe fuerant iniusti, vir fatalis in fine vitæ, Imperio priuatæ, fuit. Et Licinius, primò quidem Illyrijs, deinceps Orienti præfectus, hostem se litterarum acerrimum ostendit. qui philosophos, & oratores adeo mirificè persequebatur, vt eos Reipublicæ pestem esse diceret, ac sub eorum nomine, neque Christianorum innocentiæ parceret; atque sępius a Constantino rogatus, vt ab horum iniurijs abstineret, non idcirco cessauerit. quam ob rem discordiæ inter ipsos ortæ sunt, meritóque iure Constantinus vires Gallicanas, & Italicas cõtra Licinium expertus est. & sicut auspicio fulgidę Crucis contra Maxentium pugnans, quasi Deo duce vicit, ac triumphauit; sic aduersus Licinium sępenumerò pręlium instituens, vidit quodam tempore ad Adrianopolim duos equites, qui legiones suorum hostium cædebant. quemadmodum veteres narrant Castorem, & Pollucem bis, hostes imperij Romani, bello Latino semel, & bello Macedonico rursus profligasse. In Pannonia primo congressu victus Licinius, ad Macedoniam fugit. ibi re-

parantem vires Constantinus ex improuiso adortus copiásque ipsius ad Thraciam dissipans, eumdem in Asiam fugauit. Cum sæpe belli fortunam Licinius tentauisset, naualibus, terrestribúsque prælijs tandem victus Nicomediæ, sui deditionem fecit. Sed antè, Constantia vxor eius ad Constantinum fratrem sibi consanguineum accessit, illumque pro imperio mariti rogauit. quod cum obtinere nequiret, deinde pro titulo tantum imperij rogat; & cum neque hoc impetrasset; tandem pro salute Licinij, vitáque sola precabatur. quo sermone, fratris animum flexit. Ita Licinius, qui sedecim annis præfuerat, ad Constantinum sine purpura, & absque insignibus imperij venire iussus, Thessalonicem mittitur, vt cum vxore priuatus, illic vitam ageret. Interim ad Senatum Imperator scripsit, vt de Licinio, quid esset agendum, constitueretur. Senatus rescripsit, vt milites decernerent. Quod vbi renunciatum erat, hi Licinium Sertas proficiscentem, interfecerunt. Adeo mira bellorum felicitate Constantinus, Imperij Romani totius administrationem consecutus; more ceterorum hominum insolens esse cœpit. Nam Faustam eius coniugem ferunt, sæpenumerò ad libidiné tentasse Valerium Crispum priuignum, quem Constantinus ex Mineruina, sibi prius, quàm nuptias cum Fausta contraheret, desponsa suscepisset, qui tam inhonestis amplexibus cum consentire nollet, ipsa sic rem ad maritum detulit, vt illum accusaret, quasi sibi vim inferre voluisset. Constantinus vxoris verbo temerè fidem præstat, & Crispũ interfici iubet, qui Polæ, oppido Istriæ sic occisus est. Sed aliquot annos pòst, comperta vera causa iniustæ accusationis Constantinus vxorem Faustam in balneas ardentes

dentes coniectam interemit. Quas ob res Helena mater ardore nimio sui nepotis, Constantinum increpat. nihilo tamen secius eadem optima mulier, & auia Helena, nunc ipsorum matre Fausta mortua, filios Constantini vti parens, nutriuit. Cuius reprehensio Constantini, tanto iustior in matre religiosa existimabatur, quòd is a Siluestro Pontifice in monte Soracte latitâte, ceterisqúe Christianis euitaretur. Constantinus ergo post mortem Crispo filio, Faustæq; vxori per se illatam, pro sui sceleris expiatione Flamines consulit. 18. qui cum respondissent, se non habere modum lustrationis pro 18.
facinore tam fœdo: persuasione hominis Christiani, nomine quidem Ægyptij, confugit ad Christianos, qui peccatorum omnium veram, certámque remissionem habere dicebantur. Cumqúe corpus eius inficeretur lepra, & iidem sacerdotes Capitolij, responderent eam posse curari balneo confecto ex puerorum sanguine; Constantinus ab hac noua sanguinis effusione perhorrescens, eorum consilia, religionémque totam suspectam habere cœpit. Quas eius cogitationes Deus admirabili viso iuuit. Nam ipsius Apostoli Petrus & Paulus, in quiete Constantino apparuerunt, eíque præceperunt, vt, si vellet ex lepra liberari, omissa impij balnei summa immanitate, Siluestrum in monte Soracte latitantem accerseret. a quo recreatus lauacro salutari, templa in omni ditione Imperij Romani more Christiano exædificaret, sublatísque inanium deorum simulachris, vero Deo cultum adhiberet. Constantinus monitis cœlestibus obtemperans, Siluestrum diligentissimè conquisitum vocat. A quo sanctorum Apostolorum imagines recognoscens, baptismo sanatur, & ad

tuendam

tuendam, propagandamqúe Christi religionem incitatur. nec id quidem aliter contigisse credendum est, cum Helena mater, quottidie ad Deum preces pro salute filij effunderet, tam ipsa per se, quàm per Antonium Ægyptium; cui litteris & nuncijs sæpenumerò se, ac filium commendabat. cuius Eremitæ tanta tunc erat fama sanctitatis, vt per litteras semet, eius orationibus ipse Constantinus Magnus ac Filij commendarent. neque vana spes erat harum precum. Nam quum aliquot annos Constantia Constantini filia laboraret vlcere non sanabili; medecinamqúe diligenter quæreret, nec adhuc tamen facta Christiana, veniret ad sepulchrum beatæ Agnetis, ibidémque obdormiscens audiret hanc vocem: Constantia constanter age; crede in Iesum Christum, qui te sanam faciet; ipsa pòst sanata, baptismum, vnà cum Constantia sorore Constantini, & vxore Licinij, vt suprà demonstrauimus; denique cum alijs plurimis ex familia Imperatoris, acceperunt, & inter Christianos habiti sunt. Huius rei causa, eidem Agneti nobili genere natę, virgini Romanæ Constantinus, templum ędificauit. Suadentéque Siluestro multas Ecclesias struxit, quas imaginibus sacris, donisque amplissimis, muneribúsque magnificentissimis ornauit. Quibus rebus ita constitutis, liberam facultatem dedit omnibus, vbique terrarum Christianis hominibus, publicè templa extruendi, quod a Principibus antea negatum fuit. Nec istud Constantinus publico tantum edicto permittere voluit. sed exemplo etiam suo Christianos ad ædificationem sacrorum locorum cohortabatur. Nam in Lateranensi Palatio Ecclesiam Saluatori Christo dedicauit; & ei continentem Basilicam,

nomine

nomine sancti Ioannis Baptistæ condidit illo loco, in quo baptissatus à Siluestro, lepráque mundatus fuerat. Post quod baptismi tempus, octauo die venit ipse cognomento, réque verè Magnus Imperator Constantinus, ad eam partem Vaticani, ad quam Christiani ex omnibus orbis terrarum regionibus confluunt, tanquam ad fidei petram, & ad Ecclesię fundamentum; locumqúe Principis Apostolorum Petri sepulchro consecratum, summa cum religione, pietatéque venerantur. Ibi deposito diademate suo, ac humi stratus Constantinus iacuit, vimqúe lachrymarum profudit. mox ligone, bidentéque sumpto terram eruit. inde sublatis duodecim cophinis terrę, honoris causa duodecim Apostolorum, & designato loco Basilicæ Principis Apostolorum, Ecclesiam ædificauit, quam Siluester Pontifex eo modo, quo Lateranensem antè consecrauerat, ritè dedicauit, & in ea primum altare lapideum chrimate delibutum, erexit. atque ex eo tempore sanciuit, Ne deinceps altaria, nisi ex lapide fierent. Attamen Ecclesiæ Lateranensis altare fuit è ligno erectum. nec id quidem est mirum. Nam cum a sancto Petro vsque ad Siluestrum, propter varias Christianorum persecutiones, certo loco Pontifices consistere non possent; quocumq; necessitas temporum eos conpulisset, siue in cryptas, siue in cœmeteria, siue in piorum ędes, super illo altari ligneo, ad similitudinem arcæ concauo, sacra faciebant. Quod altare, sanctus Siluester, pace per Constantinum reddita Ecclesiæ, honoris causa Principis Apostolorum Petri, qui dicitur in illo sacrificasse; reliquarumqúe Pontificum, qui vsque ad id tempus eo vsi fuerant, ad mysteria conficienda, in Latera-

Lateranensi templo primo collocauit, & sanciuit, Ne quis in eo prater Romanum Pontificem, deinceps Missam celebraret. Quibus prærogatiuis Petri cognitis, Constantinus habito cum Satrapis omnibus consilio, & ad id conuocato Senatu, populóque Romano, vtile iudicauit, vt, sicut in terris beatus Petrus, vicarius filij Dei cõstitutus esse videretur: ita & Pontifices etiam, qui sunt eius successores, obtinerent a se potestatem Principatus, eámque a suo Imperio concessam haberent. Quocirca Romanæ Ecclesiæ, ceterarum matri, ac sacratissimæ sedi Petri, potestatem gloriæ, dignitatémque tribuit. ipsúmque vigorem, atque honorificentiam imperij largitus, hanc Ecclesiam, tam super quattuor præcipuas sedes, quàm super omnes, in vniuerso terrarum orbe, Christi Dei Ecclesias, Principatum tenere iussit. Hoc amplius, vt Pontifex, qui pro tempore fuerit Ecclesiæ sacrosanctæ Romanę, ceterorum Princeps existeret, atque celsior cunctis totius mundi sacerdotibus, haberetur: eiusque iudicio omnia, quæ ad cultum Dei, fideiqúe Christianorum firmitatem procuranda fuerint, ordine constituerentur. & id quidem tam in Oriente, quàm in Occidente; tam in Septemtrione, quàm ad Meridiem; siue in Iudæa, & Græcia; siue in Asia & Thracia; siue in Aphrica, & Italia, vel in diuersis insulis. Idcircóque concedit Siluestro summo Pontifici, & omnibus Pontificibus eius successoribus, atque in præsenti tradit, Lateranense Palatium Imperij sui. tum diadema, videlicet coronam, quam vocant, capitis sui. & Phrygium simul, hoc est, mitram. nec non, & humerale, quod est lorum, quo circumdari collum Imperatoris solebat. denique clamydem etiam purpuream, & tunicam cocci-

coccineam; ac in vniuersum simul omnia indumenta Imperij Romani; sceptra, signa, ornamentáque; culminisque Imperij processionem, & omnem potestatis gloriam Siluestro contulit. Quæ potestas Imperij sicut officijs diuersis Cubiculariorum, Ostiariorum, Excubitorumqúe ornatur: ita Constantinus Ecclesiam quoque Romanam, Clericosqúe eiusdem, qui nunc appellantur Cardinales, more Senatus antiqui Romani, ad maiorem gloriam Dei decorari voluit; quò terrena, tanquam cœlestia, regna cohonestarentur. Ideo Romam, vrbem ipsam, omnésque Italiæ totius, & Occidentis prouincias, 19. regiones, loca, ciuitatésque Pontifici 19.
Siluestro Constantinus, reliquit, vt eius, suorúmque successorum, Pontificum Romanorum ditioni, potestatiqúe & Ecclesiæ Romanæ iuribus, tum pragmatica, tum Imperiali firmam constitutione permaneant. Ipse verò suum Imperium Constantinus, & omnem Romanorum potentiam, in Orientem transtulit; ac in regione Byzantinorum, loco vtili, frugiferoqùe vrbem Constantinopolim a se dictam constituit, & Nearomam quoque, quòd ibi Romanum Imperium nouè staret, appellauit, idqúe non sine felicibus auspicijs, cum in agro Byzantino Constantinus lumen super sua castra, etiam coruscans viderit. & hæc Noua Roma ductis ritè fossis, ante quintum diem Iduum mensis Maij, similitudine quadam veteris Romæ, quæ Vndecimo Calendas Maij, vt supra demonstrauimus, incepit, ipsamet condi quoque ceperit. Quibus rebus sic administratis, postquam immortali Deo sacra Constantinus, ritè persoluit, vrbem hanc suam, Marię virgini, sola est Deipara, consecratam, dedicauit. In quam ex Asia, Europa,
& Aphrica

& Aphrica tota, quidquid erat splendidi ornamenti, transfertur, Romanorúmque ciuium antiquorum familijs multis illò deductis, Constantinus fecit eam, esse vrbem liberam, quæ Seueri Pertinacis lege, antea iuribus Perinthiorum subiecta fuisset. Cumque sua mater Helena, quæ se totam religioni Christianæ dederat, iam octogenaria diem obiuisset, Constantinus in templo duodecim Apostolorum, quod in hac vrbe condiderat, & in quo sibi posterisqúe suis commune sepulchrum fecerat, eamdem summo cum honore sepeliuit. Nihilo tamen secius in vrbe Roma, cum inter duas lauros via Lauicana templum diuo Marcellino sacrum Constantinus extruxisset, in eo quoque loco Mausolæum insigne matri posuit, aliquamqúe partem corporis Helenæ sepulchro porphyritico inclusit. Præter quæ summæ pietatis opera magnifica, Constantinus Arrio Presbytero Alexandrino per Concilium Niceæ habitum cōdemnato, vnà cum sex alijs hęreticæ superstitionis auctoribus, exilium perpetuum indixit. Quo in Concilio totius orbis generali, cum libelli dati essent ei de contentionibus Episcoporum quorundam inter se, Constantinus quidem illos libellos accusationum, manu capit, sed eosdem statim in ignem coniecit; negans se velle cognoscere de causis eorum, quos iudicio, arbitrióque suo Deus ipse reseruasset. Denique sicut in toto terrarum orbe nullus fuit a Constantino locus Christianæ religioni destinatus, cui dona certa, vel aliquod certum vectigal non attribuerit: ita demolitus est cuncta templa idolorum, edictóque publico tripodes delphicas, è quibus dæmones oracula dabant, euerti iussit. Quæ quidem res immortali laude dignæ, famam Constantini, Helenęq; matris,

matris, omnia superiorum Imperatorum facta superare; insulamque Britanniam, quæ quasi parens nobilis ambos produxit, gloria cæteras prouincias excellere, fecerunt. Sed ætate iam senex Persis Mesopotamiam diripientibus, bellum indixit Constantinus, paratásque ad hoc copias, classe transuexit; cum Sotiropolim, quę antè Pythia dicebatur, ingressus, vt aquis calidis corpus ad vires conseruandas foueret, priusquam se ablueret, a medicis pharmacum accepit cui pharmaco ministri, ab eius affinibus pecunia corrupti, noxium aliquid commiscuerunt. Ille mali tanti nescius, intrepidè poculum bibit. paulò pòst in morbum incidit. quo grauius premente, in villam publicam Ancyronem propè Nicomediam ductus est. Interea Constantinus natu maior filius, qui copias omnes in Parthos, Antiochiæ cogebat, cúm de patris aduersa valetudine nuncium accepisset, Nicomediam citò venit, vt opera sua parens diligentius curaretur. Sed nihil ei medicorum fomenta profuerunt. nam ille, veneno intrinsecus absumente, cum annos triginta imperasset; mortuus est, Princeps rebus gerendis fortunatus, ac felix. quod ex eo prouenisse fertur, quoniam fidei Christianæ plurimum fauebat. Eius Regale funus à Nicomedia Constantinopolim, comitante filio Constantino splendidissimè ducitur, ibidémque cum sua matre Helena sepelitur. Orbem terrarum heredibus ita testamento diuisit, vt huic Constantino, Galliæ, Hispaniæ, & Alpes Cottiæ: Britanniæ, Orcades, Hibernia, & Thyle obuenerint. Constanti filio Italia, & Aphrica cum insulis. Illyricum, Macedonia, & Achaia; Peloponnesus, & Græcia. Constantio autem Oriens, & Thracia, cuius caput est

Constantinopolis. Hac Imperij diuisione non contentus Constantinus iste. Secundus, qui tunc in Gallia regnabat, ad suos fratres misit Oratores, qui partitionem nouam fieri peterent. quorum legatione, cùm nihil proficeret, post longas ea de re factas querimonias, benè confidens opibus Gallicanis, equitibusq́ue Hispanorum, & peditibus Alpinis, bellum ciuile contra ius, & fas, suis fratribus indicit, ac primum regiones, sibi propinquas, inuadit. Constans tunc erat in Dacia, & aduersus Getas, Sarmatasq́ue bellum gerebat. frater eius Constantinus iam ad Aquileiam peruenerat, in cuius agro ei obuij milites fiunt, & quidem a Constante missi, qui conatum ipsius repellerent. Sed cum ille viribus longè præstaret; quia tamen per summum nefas arma ceperat, Deo sic volente, congreditur specie quadam latrocinij, vir incautus, fœdeq́ temulentus; vt lapsus in insidias, quibus eius exercitus circumuentus erat, in ipso medio cæderetur. equus enim Principis, ictus vulnere, sessorem deiecit. cumq́ue sine purpura incognitus iaceret humi, obtruncatur; proijciturq́ue in fluuium, qui vocatur Alsa, neque multum ab Aquileia distat, postquam annos duos imperauisset. Constans post mortem fratris Constantini, alpibus omni conatu superatis, intrat Galliam, varióque euentu pugnans biennio, partem eiusdem sui fratris in Imperio Romano, Britanniámque in ea parte, vt suprà demonstrauimus, comprehensam adsecutus est. Præfuit aliquandiu rectè, ac vti bonum Principem decet. postea siue debilitate naturæ, siue suadentibus id amicis, ad delitias animum flexit. Ex quo tempore in leues articulorum ægritudines incidit, quæ morosum, difficilem, adeóque

austerum

austerum, Constantem reddiderunt, vt deinceps prouincialibus grauis, ac militibus illiberalis esse videretur. In exercitu tunc erat Magnentius, Britannis parentibus natus, 20. Comes 20.
ordinum Augustæ Vindelicorum, quæ vrbs est Germaniæ. Is auctoribus Chresto & Marcellino, vbi dies patrandi negotij certus placuit, conuiuium militibus facit: simulante Marcellino, se natalem filij celebrare. plerosque vocat ad cœnam. a mane ad vesperam, more gentis illius, conuiuium celebratur. a quo surgens, & cubiculum ingressus, quasi ad secreta ventris deponenda secessisset, capit habitum venerabilem, ac statim purpura indutus, multisque militibus cinctus Magnentius egressus est. Hi, qui non erant conscij tantę rei, tum tamen in casu præsenti, adsentiri cogebantur. abijt Magnentius cum omni turba in Prætorium, militibus donatiuum tribuit. ac vbicúmque positis custodibus, diligenter cauit, Nequis Constanti rem aperiret, aut eamdem vlli mortalium referret. Constans interim, dum morbi per omnes corporis artús vagantis tædia mitigare contendit, in quocunque loco erat, venationibus operam dabat, & ad syluas sæpè diuertebat. cum formosis vbique ludebat, & bacchabatur. Quare percussores ad eum missi, vt occiderent, Constantem venatione fessum, capere quietem cognouerunt. Ingressi tentorium, nihil tale cogitantem, interficere volebant. Sed Constans tunc fortè vigil, paricidas agnouit; & in propinquum tēplum fugere conatus, ibidem insignia Imperij deposuit, sed ab ipsis altaribus tractus, à Gaisone percussorum eorumdem præcipuo, apud Helenam, oppidum Pyrenæo monti proximum, & anno Imperij nono impiè cæsus fuit.

Tam ingratus erat Magnentius Constanti, suo quidem, non modò Principi, verum etiam conseruatori. Nam in Illyrijs orto tumultu milites Magnentium antea cum voluissent occidere, Constans Imperator, obiecto paludamento illum texit, ac seruauit. Hi, quos dixi, milites ex conuiuio coniurati, Magnentium salutāt Imperatorem. qui dolo sic factus Cæsar, litteras adhuc Constantis nomine scripsit, & sub illius signo mittit ad eos, qui vel vrbibus, vel cohortibus præerant, vt confestim ad Imperatorem venirent. quos bona fide diligenter properantes, in itinere iussit occidi, vt nemo superstes esset, qui sibi motum aliquem ciere posset. Cuius iam factio quoniam plurimum valere cœpit, etiam vrbs Roma in partes eius venit. Interim Constantius Iunior, Constantis frater, in Oriente contra Persas bellum gerens, aduersam fortunam expertus erat, cum Magnentius ingenti militum agmine comitatus, Italiam petit; atque diu commoratus Mediolani, consanguineum fratrem suum Decentium trans Alpes Cæsarem fecit, eumq́ue cum exercitu misit, vti Gallias tueretur. Adeo tota iam Italia, & Africa tota, partium Magnentij fuisse videbatur, vt Illyricorum quoque factio, inita cum duce Britannione, huic Imperatori nouo consentiret. Quibus rebus cognitis Magnentius factus audacior, legatos cum litteris ad Constantium mittit, quibus ab eo petit, vt Oriente, ac Thracijs contentus esse velit. At ille, respondet nihil. Sed Gallum patruelem, subitò creat Cæsarem, eumq́ue Constantiæ sorori suæ matrimonio prius iunctum, in Oriente relinquit. ipse fratris Constantis cædem vlturus ad Hesperios venit. Ne Roma tamen bello ciuili vexaretur, ad Magnen-

tium

tium nuncios mittit, qui dicerent, eum, ſi deponeret arma, ſibi Galliam habiturum. Magnentius imprudenter ſperans, Rem ſe poſſe vi vincere, non paruit huic oblationi a Principe factæ, ſed eius gratiam ſtultè recuſauit. Igitur ambo ſe totis viribus ad pugnandum accingunt. Magnentio priuſquam congrederetur armis, fœmina quędam maga ſuaſit, iugulare virginem, eiuſque cruorem miſcere vino, quod militibus potandum daret. qui mos ab ea obſeruabatur, quoties aliquid ſecretius ageretur. Ipſa, dum bibunt milites, interim carmina ſua peragit. His ſceleratis ſacris ſic perfectis, pugna valentibus vtrimque armis copiarum, ad Murſam incipit. & Conſtantius, licet magna hoſtium, ſuorumque militum ſtrage, vincit tamen, nam aduerſarij eius ad multam partem noctis cædebantur. & Magnentius equo dimiſſo, inſignibuſque Imperij depoſitis, in equitis habitu aufugit. Quem quidem equum ſuum hoc conſilio vacuum ipſe reliquit, vt ij, qui eumdem ſine ſeſſore currentem viderent, Magnentium eſſe mortuum exiſtimarent. Conſtantius victor, die ſequente tumulum conſcendit, ex quo planities tota conſpici poterat. quam cum repletam cadaueribus vidiſſet, ingemuit. Etenim cæſa plus, quàm quinquaginta quattuor millia pugnatorum hominum fuerunt. Exercitus Magnentij triginta millibus conſtabat, qui ferè omnes perierunt. exercitus Conſtantij, ſeptuaginta millia habebat. quorum viginti quattuor millia, virorum fortiſsimorum in eo prælio ceciderunt. Imperator occiſos ſepeliri, vulneratos curari, ſeruarique iubebat. ea pugna Murſenſi vires Imperij Romani penitus attritę fuerunt. Nam ij, qui cæſi ſunt, & numero, & robore ad externa

bella quæcunque satis supérque fuissent. Postea tamen, quam in locum tutum Magnentius se recepisset, reliquias exercitus ita miserè profligati, collegit, militéque nouo, dimicationis aleam iterum tentare cupiens, suppleuit. sed cum fortunam in ea re sibi minus propitiam experiretur, misit è Senatoribus vnum, virum natu grandem, iterum ad Constantium, eique nunc obtulit, locis omnibus, præterquam Galliæ, cedere. Constantius hunc hominem, non vti legatum, sed vt quendam speculatorem in sua castra venientum reiecit. Quibus rebus cognitis Magnentius Episcopos misit, qui dicerent, nihil ipsum omnino prouinciarum sibi velle retinere: sed a Constantio petere tantùm, vt sub eo, cum titulo Ducis militaret. quibus responsum est nihil. Hoc cum percepisset exercitus Magnentij, plerique milites, more vulgato ceterorum hominum ad Constantium victorem transierunt. Quare Magnentius sibi nunc dimicandum esse necessariò cum videret; exercitum, vti potuit, è copijs Gallicanis reparauit, dumqúe milites rursum ita colligeret, assuetum paricidam subitò Antiochiam mittit, multis pollicitationibus eum inducit, vt Gallum Cæsarem interficeret. Nam illo clam occiso Magnentius, Constãtium rebus Hesperiæ relictis, cogendum fore, propter Persas ad Orientem recedere, arbitrabatur. Cum percussor iste Antiochiam venisset, diuertit ad domum vetulę cuiusdam, habitantis propè fluuium Orontem, qui per eam vrbem labitur. Hic in cœna, post vina largiter hausta, rem cum paucis, quos inuitauerat, nihil suspicatus mulierem ætate confectam, velle suum consilium prodere, communicauit. At illa, se clàm è domo proripuit, & quod audierat, ad Gallum Cæsarem

Cæſarem retulit. Qui ſtatim comprehendi omnes, atque necari iuſsit quæſtionibus enim ordine ſuo agitati, negotium totum aperuerunt. Magnentius, quia tale conſilium fuerat irritum, rurſus prælium inire conſtituit. quo victus, Lugdunum aufugit. comites eius, vt victori Conſtantio grati eſſent, conſilium capiendi, Auguſtòque tradendi Magnentium, habuerunt. Sed ille, vbi ſe cuſtodiri ad eam rem cognouit, cum iam locus omnis fugę deeſſet, furorem ſimulauit. ac primum Deſiderio fratri ſuo vulnera intulit, ſed ea, quæ lethalia non fuerunt. pòſt interfecit amicos quoſdam, & ſe tandem in palatio Lugduni occidit ipſe, cum tres annos regnauiſſet, vir legendi ſtudio promptus, ſermonibus acer, ſed animo tumidus, quamquam natura nimis timidus fuiſſet. Ad hanc tamen naturalem ſibi formidinem, honeſta quadam ſpecie audaciæ occultandam, mirus artifex erat. Cuius frater Deſiderius, accedens ad Conſtantium, liberalitérque ab eo acceptus, veniam meruit. & poſtea Britannion, qui ab Illyrico exercitu Imperator Murſæ dictus eſt, &, vt ſuprà demonſtrauimus, a partibus Magnentij ſtabat, depoſita iam purpura, veſtéque Gallica indutus, Conſtantium ſuſpitionibus ex rumore collectis, nimis indulgentem, adiuit, eiqúe venienti factus obuius, pedibus Imperatoris obuolutus, veniam petijt, ac impetrauit. Quin imo Conſtantius, ducem, ætate ſenem, amplexus, vocauit eum Patrem, ſuæqúe cœnæ adhibuit, & ab illo multa de Magnentio cognouit. Geruntium autem factionis Magnentij comitem, prius alijs pœnis excarnificatum, perpetui exilij mœrore peremit. Quod a Conſtantio factum Paulus notarius ſummopere laudat, vir inter Principis adulato-

res eminens, & ortus in Hiſpania, qui cognomentum Catenæ habebat, quòd in complicandis negotijs, doliſqúe iungendis, dirus artifex eſſet. Is ergo mittitur in Britanniam, vt militares quoſdam viros, qui cum Magnentio conſpiraſſe dicebantur, ad Conſtantium perduceret. ibi fortunis eorum licentius abutebatur, pérque ſtrages, ac ruinas varias in eoſdem cum impetu ferebatur; ingenuorum hominum membra vinculis affligens, & quoſdam manicis obterens, crimina multa longè â veritate aliena confingebat. Per eum ingens facinus admittitur, quod ſempiternam notam Conſtantij temporibus inuſsit. Martinus pro Præfecto regens prouincias Britanniæ, grauiter ferebat has ærumnas virorum innocentium, ſæpéque ac diligenter obſecrabat, vt alienis â culpa hominibus parceretur. Cùm id a Paulo non impetraret, ſe propterea diſceſſurum de Inſula minabatur. ſaltem vt hoc metuens, iſte maleuolus criminum perquiſitor, tandem aliquando viros quieti deditos, in aperta pericula trahere ceſſaret. Sed euenit contrà. Paulus ſuum ſtudium per hoc diminui exiſtimans, ipſum Martinum Britanniarum Vicarium, ad communem vnà cum alijs ſortem periculorum ferendam, trahere conatur. Voluit enim eundem cum tribunis, & ceteris pluribus ad comitatum Imperatoris, vinctum perducere. Quo exitio vrgente percitus Martinus, Paulum ferro adoritur. & quia languente dextera lethaliter ipſum ferire non potuit, diſtrictum iam mucronem, in latus proprium impegit; deformiqúe genere mortis è vita, iuſtiſsimus magiſtratus exceſsit, dum ope ſua, multorum caſus miſerabiles leuare conabatur. Quibus rebus ita ſceleſtè perpetratis, iſte Paulus cruore perfuſus,

ad Principis castra reuertitur. multos catenis grauibus ferè coopertos, secum adducit. Quorum squalore, mæstitiáque deiectorum, aduentu, intendebantur eculei, carnifex vncos, & tormenta parabat. Sed ex ijs tamen plures proscripti, alij in exilium acti, denique gladijs criminum vltoribus, nonnulli consumpti sunt. nec enim quisquam sub Constantio aliquem absolutum esse faciè meminerat. Qui quidem Princeps in Britanniam postea transmisisse creditur, ibidémque vrbem instaurasse Vindonum tanta profectò felicitate, vt in eius terrarum solis, tria fausta semina proiecerit, Nequis vnquam in ea degens paupertatem experiretur. Certè nummi eo loco fuêre percusi nomine Constantini, fratris huius Constantij, habebántque in aueria parte, quoddam ædificium cum inscriptione: Prouidentię Cęsarum. & inter hanc vrbem Vindonum, atque Ventam Belgarum, quæ Vintonia nunc appellatur, via Consularis adhuc apparet. Ex Britannia Constantius Romam profecturus, vt de Magnentio triumpharet, Mediolani certior factus est de nimia Galli Cęsaris crudelitate, quem Barbatio Comes domesticorum, & Apodemius agens in rebus, fraude captum, & inopinum, carpento priuato impositum, ad Istriam duxerant; propè Polam oppidum, quo Crispum Constantini Magni filium, supra demonstrauimus, fuisse peremptum. Ibi cum Constantius eundem Gallum iussisset occidi, Apodemius harum rerum incentor, nondum exuto penitus Gallo, raptos eius calceos veloci equorum permutatione vehens, tanquam aliquis Præcursor index, Mediolanum venit; ingressusqúe Regiam, eosdem, veluti quædam spolia, ante pedes Constantij proiecit. Postea Constantius

tius alium patruelem, Claudium Iulianum, Galli fratrem, annos ferè tres & viginti natum, habita concione ad milites Cæsarem fecit. Qui missus in Galliam priusquam illò abiret, Helenam Constantij sororem matrimonio accipit ita, vti Gallus alteram eius sororem, Constantiam prius vxorem duxerat. Et quia periculum a Gallis imminebat, Calendis decẽbribus egressus Iulianus, cum exiguo militum supplemento, deducitur ab ipso Augusto per aliquot millia passuum, vsque ad locum duabus columnis insignem, qui Laumellum inter, ac Ticinum iacet, iterq; versus Taurinos Iulianus maturauit. Eusebius eunuchus, præpositus cubiculo Constantij fuit, cuius solius consilio ferè cuncta Princeps agebat. Iste genus totum Cõstantini Magni perdere conabatur. idcirco paucos milites abeunti Iuliano dedit, vt ab hostibus facilius occideretur. Quod illius propositum indicat ista potissimùm res, quoniam eidem apud Senonas obsesso, suppetiásque petenti, Eusebius nullum auxilium Iuliano misit. Sed euenit tamen secus, ac ipse cogitabat. Nam feliciter in Gallijs Iulianus, atque sæpius hostes profligabat, eósque vltra Rhenum fugere cogebat. multos captiuos è suis prælijs abduxit, Romanorumqúe ferè vndecim millia, qui iure belli seruiebant, ab Alamanis recuperauit. quorum quidem Alamanorum exercitum penè totum, iuxta Galliæ vrbem Argentoratum deleuit, inqúe loco hostili præter omnium opinionem multa præclara gessit. nisi quòd, dum Chamauis deuictis munimenta tria repararet ad ripas Mosæ fluminis; ex annona decem & septem dierum, quam milites in expeditionem suis ceruicibus vehebant, portionem subtractam Iulianus, in ijsdem castris condiderit,

diderit, benè ſperans id, quod erat ablatum poſſe de Chamauorum ſegetibus repleri. Sed longè res aliter tunc accidit. Frugibus enim eo loco nondum maturis, expenſiſqúe frumentis his, quæ ſecum milites portauerant, cum nuſquam victum reperirent; dum inediam extremam patiuntur, Iulianum probris inceſſunt, Aſianum, virumqúe fallacem, & Græculum, quòd eius gentis litteras accuratè ſciret, & omnino ſub ſpecie Sapientiæ, quòd Philoſophiam benè noſſet, Stolidum ijdem milites appellauerunt. Quibus rebus cognitis Iulianus poſtea, cum Alamanorum pagos aliquot bello tentaret, prius extruxit horrea, (quæ per hoſtes incenſa fuerant) vbi poſſet annona condi, à Britannis conſueta transferri. Sed Mediolano Romam profectus Conſtantius, cum ibi triumphaſſet, aſsiduis nuncijs perterrefactus eſt, qui dicerent, Sueuos Rhetias; & Quados, Valeriam; Sarmataſqúe Mœſiam ſuperiorem, & Pannoniam ſecundam populari. Ab vrbe digreſſus, per Tridentum, iter in Illyriam facit; vbi rebus conſtitutis, Sirmium abit. & inde tandem Conſtantinopolim proficiſcitur; vt Orienti proximus, acceptis apud Amidam cladibus remedium adferret, Saporiſqúe Regis Perſarum impetum cohiberet. Sed antè pro ſuo more conſueto, læſæ maieſtatis crimina perſequitur. Paulus Catena fuit peritus artium cruentarum laniſta, fabularumqúe crudelium ſuccentor. Hic ex innocentium carnificina quæſtum, fructumqúe captabat. Huius ex nutu ſalus omnium pendebat, verbáque malignè ab eo prolata, in rebus alijs, etiam ſerijs audiebantur. Hunc in Britanniam, vt ſuprà demonſtrauimus, ad capiendos Magnentię factionis homines Conſtantius miſerat; & nunc

& nunc similiter eumdem ire citò ad Orientem confestim admonet, dátque potestatem illi, vt instar ducis experientia rerum clari, causas pro arbitrio suo audiri faciat. quod negotium cum eo simul, committitur etiam Modesto, tunc per Orientem Comiti, sanè quidem viro ad hæc, & similia peridoneo. Nam Hermogenes Ponticus eo tempore Præfectus Prætorio, vir bonus & prudens, vt lenioris ingenij homo spernebatur. Quibus rebus per Illyriam, Orientémque gestis, cum iam decies Constantius, & Iulianus ter Consulatum administrarent, rupta quies in Britannijs per excursum Scotorum, Picthorumque fuit. loca vicina limitibus, vastabantur, & prouincias cladium præteritarum congerie fessas formido turbabat, cum Iulianus apud Parisios hyemem agens, distractusque in varias sollicitudines, transmarinis subsidio ire, vt antea
21. Constantium fecisse, 21. demonstrauimus, verebatur, ne Rectore vacuas, præsertim Alamanis tunc ad sæuitiam, & bella concitatis, Gallias relinqueret. Quocirca Lupicinum magistrum armorum, sane bellicosum, reique castrensis peritum virum, sed supercilia, vt cornua, erigentem, ad rationes in Britannia componendas mittit. de quo quidem viro, vtrum ex moribus suis auarus potius, an crudelis, esset appellandus, diu ambigebatur. Ille secum adsumpto auxilio velitum, Herulorum, Batauorum, Mœsicorumque sub finem hyemis Bononiam venit; quæsitisque nauigijs, & omni milite imposito, ventorum flatum secundum obseruat, & ad Rutupias ex aduerso sitas defertur; petitque Lundinum, vt inde suscepto pro rei qualitate consilio, ad belli procinctum ocyus festinaret. A Lundino ciuitas Visseorum haud longè

distat,

distat, vbi dux Octauius Euda tunc agebat; quem, vt suprà demonstrauimus, ab armis cessare Constantinus coegit. Hic senio confectus cum Principibus consilium init de Helena sua filia nuptijs collocanda; quæ quòd esset vnica, ius regni secum in matrimonio contrahendo adferret. Proinde quidam hortabantur eam alicui Romanorum principi tradendam, vt illa ratione Britanni firmiore pace fruerentur. Alij probabant id quidem, de extero Principe, non tamen, vt ad eum ius regni pertineret; quod ad Conanum Meriadocum, Octauij nepotem transferri debere iudicabant. Quæ dum variè verbis aguntur, Caradocus Dux Corinualliæ fuit auctor, vt ad huius filiæ nuptias Clemens Maximus Leonini filius, & Coëli Britannorum regis nepos, inuitaretur. Cuius mater erat Romana, déque nobili genere Cæsarum prognata. Huic enim Maximo, per originem patris, qui erat auunculus Helenæ, matris Constantini Magni, eundem, insulæ, dum abiret, præficientis, ad obtinendum Britanniæ regnum, quodammodo ius aliquod deberi, putabat. quibus nuptijs consecutis fore dicebat, vt omnes sub protectione Romanorum, perpetua, stabiliq́ pace gauderent. Hæc oratio placuit. Nuptię fiunt. Conanus irascitur, & ad bellum ciuile constituendum, in Albaniā discedit. ibi ex omni genere hominum, quos habere potuit, aduersus Maximum copias parat. Qui varijs prælijs postea diu ambo certauerunt, & sceleratis populationibus agrorum, cędibusq́ hominum grauiter vtrimque damna fecerunt, donec inita per amicos pace, ad annos quinque conquiescerent. Aliter se res habuit inter Constantium, & Iulianum, quorum æmulationem Florentius Præfectus Prætorio falsis,

falſis rumoribus perpetuò incendebat. Itaque Conſtantius Decentium tribunum mittit, qui protinus auxiliares Herulos, & Batauos, qui Petulantes, & Celtas; qui lectos ex alijs numeris trecentos milites, a Iuliano abſtraheret; hoc colore nimirum, vt in armis primo vere contra Parthos mouendis, ſibi præſtò adeſſe poſsint. His rebus acquieſcens Iulianus conticuit, arbitrióque Conſtantij tanquam potioris, omnia permittit. Florentium Præfectum, licet annonæ parandæ ſpecie profectum Viennam, tamen vt ſe militari turba potius eximeret, verè digreſſum; redire ad ſe Iulianus hortatur. Ille cum litteras Cæſaris ea de re accepiſſet obſtinatiſsimè, venire detrectat. & in ardore rerum terribilium, Præfectum Prætorio ab Imperatore vſquam debere diſiungi negat. Ergo inter moras abſentis in Britannia Lupicini, & inter motus tumentis Præfecti Florentij, auxilio conſiliorum deſtitutus Iulianus, verituſq́ue ſuſpicacem naturam Conſtantij, ne ſicut ſuum fratrem Gallum interfici iuſsit, ſic aliquando ſe quoque necari iuberet; ipſe iam cautior eſſe cœpit. & poſt ingentem ſuæ pugnæ victoriam, cum acerui magni peremptorum hoſtium iacerent, eorum corporibus in flumen proiectis, ipſe Iulianus concordi totius exercitus adſenſu vocatus eſt Imperator, & inde Auguſtus. Quod Auguſti nomen ijdem milites, qui Decentio tribuno erant traditi, vt ad Conſtantium abirent, dum per Pariſios tranſeunt, fortiter vnà cum alijs, etiam clamabant, licet Iulianus id nomen Auguſti pertinaciſsimè recuſaret. Qua ex re tumultus militum fiebat, ſtrictis enſibus cogentium, Iulianum cognomentum illud etiam Auguſti, tãquam â ſe benè meritum, accipere. quos

vt ſedaret Iulianus, eorum vi factæ conſentit, ſed diadema non reperiebatur. Milites ex mundo muliebri diadema facere volebant. Iulianus id vetuit. neque enim hoc, boni euentus augurium, eſſe dicebat. Quidam tribunus attulit coronam, non longè differentem a corona, quæ victoribus in Xyſto dari ſolet. Tum Comes ordinis Maurus, ſibi torquem detraxit (erat enim draconarius) & capiti Principis confidenter imponit. Nec aliter, vt tum accidit, Iulianus coronabatur, poſtea diademate micantibus gemmis exornato vſus eſt. Fœdus cum Alamanis ea conditione percuſsit, vt res ablatas reſtituerent. deinde ad Conſtantium viros graues, Pentadium magiſtrum officiorum, & Eutherium cubiculi præpoſitum miſit, vnà cum litteris, in quibus erat ſcriptus tantummodò Cæſaris titulus, & Milites, inquit, mei, ſæpè victores, quiqúe diu pugnando, de Republica benè meruerunt, vt aliqua præmia laborum, ſudoriſqúe diuturni, honeſtius petere poſſent, me licet reſiſtentem, appellauerunt Imperatorem. Illud enim non ignoras quidem, antiquæ conſuetudinis eſſe, non licere his, qui ſub ducibus, atque Cæſaribus militant, iure Romano præmia poſcere. ſed vt petant ab Imperatoribus, hoc eis licere. Quæ cauſa, quoniam in me, militibuſqúe meis iuſta cenſeri debet, libenter exoro te, qui communis es parens, vt æquo animo ad Imperij communionem me tecum accedere patiaris, ne fruſtrà ſuum ſanguinem milites effudiſſe videantur. Iulianus addebat in fine litterarum, ſe miſſurum ex Hiſpanijs curules, atque certatores equos: & ex Gallijs, adoleſcentes lectos, militéſque promptos. quod annuum Cæſaris tributum erat. Conſtantius cum accepit epi-

pit epistolam Iuliani, tunc erat Cæsareæ in Cappadocia: vltráque solitum morem excanduit. limis oculis eos, qui litteras tradiderunt, aspexit, vsque ad metum mortis firmiter intuetur. nihil ab ipsis percontatus, & nihil audire, quid dicerent, perpessus, a conspectu suo egredi iussit. Nihilo tamen secius ardenti dubitatione perculsus, verum in Persas, an contra Iulianum, acies militum, quibus fidebat, moueri iuberet: tandem flexus sententia quorumdam, vtilia persuadentium, expeditionem, vt primò instituerat, ad Orientem edixit, & legatos Iuliani dimittit; atque Leonam Quæstorem suum, in Gallias cum litteris vnà mittit; quibus litteris asserit, se rerum nouarum nihil adprobare, & Iulianum (si saluti suæ, proximorumqúe consulit) abstinere tumenti flatu, intráque Cęsaris potestatem, se continere præcipit. Et quo facilius hæc ita fore meminisset, magnis Imperij viribus fretus, in locum Florentij Pręfecti Pretorio Nebridium tunc Quęstorem eiusdem Cæsaris; & Felicem Notarium, tunc magistrum officiorum, effecit. Nam antequam sciretur quicquam huiusmodi rei nouæ, Constantius Gumoarium fecerat Magistrum armorum, successoremqúe Lupicini, qui vt suprà demonstrauimus, in Britanniam missus erat. Leonas Parisijs honorificè exceptus est. postquam in campum venit, & cum armata multitudine pro tribunali, velut concionaturus staret, litteras Imperatoris Constantij legit. Cum ventum est ad nomen Cæsaris, vt eo Iulianus contentus esse deberet, confestim omnis turba clamare cœpit, Iuliane Auguste, salue. Iuliane Auguste, dij te seruent. Iuliane Auguste, dij te sospitent. His acclamationibus militum auditis Leonas, sicut ei mandatum erat, beneficia

Impera-

Imperatoris Iuliano, vt ingrato homini obiecit. At ille contrà, Questus est etiam de Constantio, déque parentum suorum cæde, quam ipse fecerat: ac nominatim de morte sui fratris Galli Cæsaris, vltoré∫que deos inuocauit. Tunc ab exercitu suo iussit abire omnes, qui dicta, factáque Constantij probarent. Ne tamen ille militum ardor, & erga se conceptus amor frigeret, Iulianus litteras rursus ad Constantium mittit, ac ipse ad limites Germaniæ proficiscitur. vbi rebus ordinatis, Viennæ hyemem agere cõstituit. Iam enim Vienna discesserat Florentius Præfectus Prætorio, de quo suprà demonstrauimus, lentisqúe itineribus ad Constantium venerat: vtqúe semet ipsum nulli culpæ obnoxium esse declararet, Iulianum quasi multis criminibus perduellem accusabat. Cuius tamen post abitum, Iulianus, omnem rem familiarem intactam transferri tutò ad Orientem imperauit, vt publicè constaret, se Florentio, dum in Occidente præsens esset, pepercisse. illiusqúe loco ad Præfecturam Prętorij Nebridium adsumpsit, quemadmodum Constantius iusserat, & ipse de quolibet Præfecto Prętorij facere, litteris suis, antè promiserat. Magistrum autem officiorum, non Felicem, vt Constantius voluit, instituit. quoniam ipse priusquam ea de re mandatum habuit, Anatolium in ea dignitate constituerat; quem nihil tale merentem, postea destituere, ipsa honestatis ratio nõ patiebatur. Dum hæc ita fiebant, Lupicinus licet absens, agensqꝫ etiam tunc apud Britãnos, tamen vt homo superbæ mentis, ac turgidus valdè timebatur. de quo erat suspicio, si tantam, tamqꝫ magnam molitionem trans mare perlatam, rumoribus didicisset, eum inde materias rerum nouarum subitò excitaturum;

ideo Gaudentius notarius Bononiam mitittur solicitè obseruaturus, Ne quis Oceani fretum transire permitteretur. Qua quidem re sic vetita prudenter, Lupicinus domum reuersus antè, quam horum quicquã sciret, nullas pro imperio turbas in Britannia ciere potuit. Iulianus apud Viennam agens, consilijs in futurum capiendis, dies noctesq; impendebat; & quantum opes eius angustę patiebantur, altius semet ipse tollebat, sempérque ambigebat, vtrum prior incutiendi terroris gratia Constantium bello lacesseret, an modis omnibus eumdem in concordiam allice-ret. Quis enim tantos principes, tam coniunctos sanguine, pro tanto imperio, totius orbis terrarum, quale Romanum est, decertantes, sibi mutuò conciliare, pacis vllis conditionibus auderet! Ergo Iulianus existimat, Constantium mitigari non posse. nec ea opinnioe fallitur. Idcirco pacatis iam Gallis, incẽdebatur cupiditate, desiderioq; Constantium vltrò lacessendi, quòd per vaticinandi pręsagia quæ callebat; somnia-qúe multa, quæ vidisset, Constantium è vita protinus excessurum esse, credebat. Sed dum se contra ipsum parat, vxor eius Helena, quæ fuit soror Constantij, vt suprà demonstrauimus, moritur. Cuius corpus perferri Romam, & in suburbano sepeliri via Nomentana Iulianus iussit; quo loco soror eius Constantia Galli Cęsaris coniunx antè sepulta fuisset. Itaque nunc etiam ex hac parte liberior factus Iulianus; vt nullo penitus impediente posset omnes homines ad sui fauorem illicere, Christiano cultui religionis adhærere se fingebat, a quo tamen occultè iampridem desciuerat; arcanorum scilicet aruspicinæ, augurijsqúe intentus, & ceteris rebus, quas deorum plurium cultores facere solent. Attamen,

men, vt hæc interim cælarentur, quòd Iulianus in expeditione bellica sciret multos exercitus sui milites, esse Christianos, ipse iussit, vnumquemque deos colere, quos vellet. Nihilo tamen secius, Ne fortè militum horum Christianorum animos ab se alienaret, homo vafer, die Natali Christi Saluatoris, templum ingreditur, & ibidem rebus diuinis interfuit, ac vnà cum ceteris adorauit. Iterum eo feriarum die, quem Christiani mense Ianuario celebrantes, Epiphaniam dicunt, progressus in Ecclesiam eorum, solennitérque orato Deo, recessit. Quibus de rebus vt se quodammodo corrigere postea videretur, hac arte diuersos exercitus suos coniungere se velle dicebat. Nam incertus de militum fide, Bellonam deinceps ritu secretiore placauit; eósque concordiam, & fidem sibi mansuram, iureiurando spondere iussit. id quod omnes summa in religione fecerunt. Solus Nebridius Præfectus Prętorio designatus, vt suprà demonstrauimus, à Constantio, audacter iurisiurandi nexu contra Constantium se constringere recusauit. proinde iussus abire, quò libet, securus; ad suum larem innoxius in Thusciam recessit; & Germanianus vicem Nebridij tuetur: itidémque Magisterium armorum Neuitæ committitur, quòd Gumoarium, quem Constantius in locum Lupicini ad Britanniam proficiscentis, vt suprà dicebamus, substituerat, eumdem Iulianus, vt antiquum principis sui proditorem timeret. proinde Iouio Quæsturam; Mamertino Largitiones curandas dedit: & Dagalaiphum domesticis, aliósque militibus regendis ex arbitrio suo, quòd eorum fidem, meritáque norat, præfecit. Quocirca profecturus ad Istri fluminis ripas, cum venisset in locum,

vnde flumen nauigari posse didicit, ascensis lembis, quos fors fortuna plurimos dederat, per alueum occultè, quantum fieri potuit, ferebatur. Fama verò per omnes Illyricos celebrior erat, Iulianum multitudine Regum, numerosóque gentium exercitu per Gallias prostratis, & varijs rerum successibus tumidum, aduentare. Lucillianus Comes eo tempore rem castrensem per illas regiones administrabat. qui leuibus indicijs super Iuliani motu percitus, milites congregat, quos ex proprijs stationibus ratione celeritatis acciri sibi iubet. & apud Sirmium agens venturo Iuliano resistere cogitabat. At ille sicut fulgur, ad consilia sibi proposita destinataqúe festinans, cum a Sirmio Bononiam nono decimo milliario distantem venisset, obscura nocte protinus è naui, déque improuiso exiluit, Dagalaiphum cum hominibus expeditis statim mitit ad Lucillianum vocandum; & trahendum quoque, si reniteretur. Hic noctu quiescens, strepitúque turbulēto excitus, cum se ignotorum hominum multitudine circumseptum esse vidisset, facilè concepit negotium, nominisqúe Imperatorij metu præstrictus, licet inuitissimus, præceptis paruit. & Magister equitum paulò antè superbus ac ferox; nunc aliorum arbitrium sequitur, iumentóque repentino impositus, Principi vt captiuus ignobilis offertur. terrore mentem oppressam vix colligit. verùm cum adorandæ purpuræ copiam sibi datam animaduertisset, tandem recreatus, suíque securus, Incautè temerèqúe Imperator, cum paucis militibus, inquit, alienis partibus te commisisti. Cui amarè, subridens, Iulianus, hæc verba prudentia, inquit, serua Constantio. purpuram, quod est Maiestatis insigne, tibi non vt consiliario, sed, vt pauêre desinas,

nas, porrexi. deinde Lucilliano amoto nihil differendum, nec agendum segne ratus, vt erat in rebus trepidis audax, & confidentior Iulianus, ciuitatem tanquam sibi dedititiam petens, citis passibus incedebat. eumqúe suburbanis propinquantem, turba militaris, & omnis generis hominum cum lumine multo, & floribus, & votis faustis, Augustum, Dominumqúe appellans, in Regiam duxit. Quibus rebus fæliciter vbique gestis, elatus Iulianus, orationem acrem, qua Constantij vitia, & probra quædam in eum explanat, ad Senatum Romæ scripsit. Tum & Constantini Magni, vti moris, ac legum priscarum in Republica perturbatoris, memoriam diuexauit, eumqúe verbis apertis, quamquam iniustè, accusauit, quòd omnium primus homines peregrinos vsque ad fasces, & trabeas Consulares, euexerat. Quibus rebus cognitis, & quòd Iulianus Italiam, Illyricumqúe celeri cursu prętergressus, claustra Succorum, occuparet, ibidemqúe accita vndique auxilia præstolaretur, vt multitudine hominum armatorum Thracias peruaderet, Constantius mœrore tactus, vno solatio sustentabatur, quòd intestinos motus bellorum ipse semper superauerat. Quocirca ex rebus antè gestis, cognoscens Arbetionem, esse virum ad intestina bella sedanda faustum, fortunatumqúe, eumdem cum lancearijs, cateruisqúe militum expeditorum, pręire iubet. atque Gumoarium, quòd vti contemptus in Gallijs, Iuliano infestus erat, auxilijs in Succorum angustias venturis opponit. Proinde Constantius, dum festinat, & Antiochiam ad bellum, ciuile auidè, vti solebat ingreditur, cum ad suburbanum tertio lapide disiunctum a ciuitate venisset, ibi cadauer hominis interfecti, capite

 auulso

auulſo iacens vidit, territuſqúe mortis omine, Tharſum accedit. vbi leuiore febre tactus, itineriſqúe motu diſcrimen valetudinis excuti poſſe credens, per vias difficiles Mopſueſtiam, Ciliciæ ſtationem vltimam, ſub Tauri montis radicibus poſitam, venit, diéque ſecuto egredi conatus, grauitate morbi detentus eſt. Ac vltimum exitum vitæ ſuſpirans adeſſe deflebat, mentiſqûe adhuc integro ſenſu præditus, Iulianum ſuæ poteſtatis, quam annos decem, 22. ad-
22. miniſtrauerat, ſucceſſorem conſtituit. Princeps in primis diligens affectator doctrinarum. Sed cum a Rhetoricis propter obtuſum ingenium deſereretur, ad faciendos verſus tranſgrediens, nihil operæ precium egit. Certè fuit equitandi, iaculandiqúe, & maximè ſagittas peritè dirigendi, artiumqúe pedeſtris armaturæ vir ſcientiſsimus. Chriſtianam religionem abſolutam, & ſimplicem, ipſe ſuperſtitione hęretica contudit, dum in ea ſcrutanda perplexius, quàm in componenda grauius, verſaretur, & diſsidia plurima excitaret. Quæ quidem diſsidia Conſtantius iſte Iunior verborum concertatione ſic aluit, vt per Antiſtitum Synodos, quas Græci appellãt, ritum omnem religionis certum ſuum finem trahere oportuerit. Corpus eius defuncti pollinctum, conditúmque in loculis, Iuuianus Protector domeſticorum, cum Regia pompa Conſtantinopolim vſque proſequi, & propè neceſsitudines ipſius, parentéſque in ſepulchro Maiorum, quod, vt ſuprà demonſtrauimus, eſt in Baſilica duodecim Apoſtolorum, humare iuſſus eſt. Quòd Iuuiano quidem, vti rerum funebrium Conſtantij miniſtro, aduenturum Imperium portendebat. Certè pars aliqua corporis eiuſdem in Britanniam tranſportata, & vrbe Vindo-

Vindono; quam inftauraffe Conftantium fuprà demõftrauimus, fepulchro ad portam extructo, condita effe creditur. deinde mifsi fubitò funt Theolaiphus, & Aligildus, ad Iulianum legati, qui defunctum vita Conftantium effe, & quòd fuprema voce fucceſſorem in Imperio, Iulianum declarauerit, nunciarent. Quibus rebus cognitis Iulianus Imperium, quod fibi quodammodo ereptum videbatur, nunc præter fpem ordinario iure conceſſum, effe gaudebat. Breui pòft tẽpore Salluftio Pręfecto Pretorio, vti viro fido fummam queſtionum agendarum commifit. fed ei Mamertinum, Arbetionem, Agilonem, Neuitam, & Iouinum, Magiftrum equitum adiunxit. Qui fex tranfgrefsi Chalcedona, vehementius, quàm æquitas poftulabat, caufas cognouerunt. paucis quibufdam duntaxat, exceptis vbi rerum ipfa veritas, reos effe nocentifsimos oftendebat. Pallidium enim primum ex Magiftro officiorum in Britannos exterminauerunt. Apodemium ex agente in rebus, Paulumqúe cognomento Catenam, de quorum crudelitate fuprà demonftrauimus, viuos exuftos, morte, quæ fperari debuit, è medio fuftulerunt. Vrfuli verò Largitionum Comitis necem, ipfa profectò Iuftitia fleuiffe, atque Iulianum nunc Imperatorem, vt ingratũ arguiffe videtur. Cum enim adhuc Cęfar in partes occiduas mitteretur, ita fuit rerum omnium fumma necefsitate conftrictus, nullámque poteftatem militibus quicquid donandi habuit, vt fuus exercitus ad ciendos motus afperior efficeretur. Hic Vrfulus, tunc litteris ad eum, qui Thefauros Gallicanos tuebatur, mifsis, iufferat dari, quicquid Iulianus Cæfar pofceret. Quo nunc Vrfulo per hos turpiter fic extincto, cum Iulianus maledictis, execratio-

nibusq́ plurimorum se subiectum esse sentiret, absque sui conscientia hominem occisum esse, dicebat; tanquam si eumdem militaris ira deleuisset, ipse Princeps in hoc, quid fieri conueniret, parum intelligens, eo quòd Arbetionem semper ambiguum fide, semper tumidum moribus, suęqúe salutis semper, vti sciebat, aduersarium, istis tamē de morte quæstionibus pręficeret. At verò cum Iulianus quater, & Sallustius per Gallias pręfectus, ter Consulatum iniret, templum apud Hierosolimam instaurare magnis sumptibus, & eius rei negotium Alipio Antiochēsi, qui vicarius pro pręfectis Britannias curauerat, maturādum Iulianus dedit. Alypius huic rei fortiter gerendæ insistit, eumqúe Prouincię Rector adiuuat: sed globi flammarum metuendi, propè fundamenta erumpentes, ab opere incœpto cessare fecerunt. Hoc aliaq́ multa signa visa Iuliano, ne regnum Persidis bello aggrederetur, vetare putabantur, nisi a Constantio illud iustas ob causas iam inchoatum fuisset. Ipse Magicarum quoq́ rerum, quæ ibi docentur, studiosus; gemmarumqúe, quibus ea natio abundat, perqūam cupidus, non illibenter bellum istud est prosecutus. Neque enim, vt olim Iulius Cæsar erat, voluit his margaritis esse contentus Iulianus, quę in Britannici maris secessibus gigni, legiq́ solent; quasi dignitate sint dispares ad Imperij sui diadema, ornamentáque Regia, quibus ipse vtebatur cohonestandum. Itaque concione habita, Non hodiè primum, inquit, Persidis regna Romani penetrauerunt, nam vt Lucullum taceam, vel Pompeium, qui per Alanos, ad montes Caspios vsque peruenit: illud quidem certè, Ventidium Antonij legatum strages innumeras hic edidisse, constat. Traianus autem, & Seuerus victores ex Perside

Perside digreſsi, trophæa retulerunt. Hæc, vt antiquitatum peritus, vobis expoſui. quò nos ea ſimiliter, quæ poſteritas magnificè narret, relinquamus. Certè quidem abolenda nobis eſt, hæc moleſtiſsima natio, in cuius gladijs noſtræ propinquitatis cruor nondum exaruit. Supereſt igitur, vt omni poſthabita rapiendi auiditate, quæ peſsima Romanorum militum inſidiatrix ſæpe fuit, vnuſquiſque ſuo agmini benè cohæreat, ſignáque propria ſecuturus incedat, cum ad neceſsitatem congrediendi ventum fuerit. Equidem dolos, & inſidias hoſtium, nimis profectò callidorum, vereor. At rebus proſperè geſtis, ego vobis vniuerſis polliceor, me rationem rectè factorum, conſultorúmque vnicuiq; ſine virorum principum vlla prærogatiua, redditurum. Quocirca iam nunc animos erigite, deqúe rebus præteritis exiſtimate, Victoriam æquitati ſe ſemper adplicare. Hac oratione milites ad ſpem rerum proſperarum incitati, nihil ſibi periculoſum, arduumqúe, ſub Imperatore præſertim ſtrenuo ac diligenti, fore arbitrantur. Idqúe numeri armatorum, Gallicani maximè, fremitu lætiore monſtrabant. Poſt iſtam exercitus alacritatum, victoriámque ſecutam Pyriſaboræ, Iulianus nummos viritim centenos diſtribuit: cumqúe ſenſiſſet ea parcitate milites commotos, agere tumultum, prouocatus ad indignationem grauitate plenam, Vobis, inquit, Perſę rerum omnium copijs affluentes, pro præda nunc adſunt. Huius gentis opes ditare nos poſſunt, ſi animis in vnum ſpirantibus, fortiter omnes egerimus. Ex immenſis diuitijs Reſpublica Romana, mihi credite, facta eſt tandem egentiſsima, per eos, qui vt opes ſuas augerent, quiete a Barbaris auro redempta,
 Princi-

Principibus, redire domum, suaserunt. Mihi quidem neque sunt facultates; neque propinquitas generis, quamuis ortus sim nobilis, præter pectus omni metu liberum, suppetit. nec Imperatorem, bona cuncta ponentem in animi cultu, paupertatem honestam profiteri pudebit. Nam & Fabritij re familiari pauperes fuêre, sed locupletes gloria, populi Romani grauissima bella rexerunt. Hæc nobis omnia poterũt abundare, si vos imperterriti, Deo, méque (quantum humana ratio pâtitur) cautè rem ducente, mitius egeritis. At si resistitis, si pristinarum seditionum dedecora resumitis, pergite vos quidem: ego solus, vt Imperatorem decet, tantorum munerum cursu perfecto, moriar stando: & quam alioqui febricula leuis mihi eriperet animam, aspernabor. aut certè viuus discedam. Nec enim ita vixi, vt aliquãdo priuatus esse non possim. Huius orationis modestia milites læti, rerum meliorum fiduciam sibi sumunt, seséque Imperatori morem esse gesturos profitentur. Iulianus ergo Ctesiphonta peruenit: habitóque in tractu Maranga, graui prælio, maior Persarum, quàm Romanorum clades apparuit. pactísque trium dierum inducijs, dum sibi quisque medetur, séque cibo, ac somno benè reficit, Iulianus ad quietem solitam paulisper inclinans, quum depulso somno vti solebat, ad imitationem Iulij Cæsaris quædam sub pellibus scribentis, oblectaretur legendis sententijs cuiusdam Philosophi, vidit illam publici Genij speciem, quam in Gallijs, quando nomen Augusti sumeret, adspexit; sed nunc tristius per aulæa discedentem. Admonitúsque per aruspices, Ne quid postridiè bello tentaret; ac seriò rogatus, vt saltem aliquot horis profectionem differret, Iu-

lianus contra omnem vaticinandi ſcientiam, exorto iam die, caſtra promouit; ſibíque cauendi, prorſus immemor, ſemet in pugnam audacter effudit. Et ecce, haſta equeſtris, incerta, vnde torta; ſed ſubitò cute brachij eius adſtricta, coſtiſque perfoſsis, ſic in ima fibra iecoris hæſit, vt dum eam euellere dextra manu conatur, acuto vtrimque ferro neruos digitorum ſibi exciſos eſſe ſenſerit: eóque vulnere anno Imperij ſecundo moritur. Et Iuuianus ordinis domeſticorum primus, qui Conſtantij funus vt ſuprà demonſtrauimus, ducebat Conſtantinopolim, nunc Imperator eligitur. qui fœdus ad annos triginta cum Perſis init, pacèque Iuriſiurandi religionibus conſecrata, Procopium Notarium, & Memoridium tribunum militum, ad Illyriam, & Gallias mittit, qui Iuliani mortem, ſuámque ad Imperium electionem nunciarent. Lucillianum ſocerum ſuum, qui poſt depoſitum militiæ munus ſe conferens ad otium eo tempore, Sirmij vitam agebat, oblatis Magiſterij equitum, peditúmque codicillis, Mediolanum properare iuberent, vt res ancipites ibi confirmaret, ſeſéque ſiqui noui caſus exurgerent, diligenter opponeret. Quibus rebus, vti mandabantur peractis, reuerſi Procopius, & Memoridus, Iuuiano ad opidum Cappadociæ Tyanam occurrunt. Lucillianum cum Seniaucho, & Valentiniano tribunis, quos ſecum adduxerat, Mediolanum ingreſſos eſſe, narrant ſed effuſo curſu ſtatim petijſſe Rhemos, & a turbine militũ acerrimè cõcitato, Lucillianum, & Seniauchum occiſos Valentinianum enim, quò fugeret, ambigentem, Primitiuus hoſpes, ad tutum locum amandauerat: Hic Valentinianus erat Filius Gratiani cognomento, Funarij, quem Conſtantino

ſtantino Magno ad Imperium adſumpto ſuprà demonſtrauimus, exercitum Britannicum rexiſſe. Hic Iuuiano poſt paulum mortuo, nulla militum diſſentiente ſententia, Princeps electus eſt. Hic cœleſtis numinis aſpiratione declaratus in Brithynia Imperator, percontabatur, Quem ad Imperij conſortium adſumi oporteret? Cui Dagalaiphus equeſtris militiæ rector, Si tuos, inquit, amas; fratrem habes. ſi Rempublicam amas, cape conſortem alium, quem velis. Hoc fidente reſponſo, Valentinianus commotus eſt, ſed ea, quæ cogitabat, occultans, Nicomediam citis itineribus proficiſcitur, Valentem ſuum fratrem cum Tribunatus dignitate, ſtabulo imperij præfecit. Inde cum Conſtantinopolim, veniſſet, eumdem Valentem ex vniuerſorum ſententijs (nec enim refragari quiſquam audebat) Auguſtum pronunciauit. Iam per omnem Romanum orbem excitæ gentes ſæuiſsimæ, limites ſibi proximos inſultabant. Gallias, Rhetiáſque ſimul Alamani populabantur. Sarmatæ, & Quadi Pannonias. Picthi, Saxones, & Scoti, Attacottique, Britannos continuis ærumnis vexauerunt. Quibus rebus cognitis Auguſti fratres, inter ſe comites ſuos partiti ſunt. Valentinianus, cuius arbitrio res omnis gerebatur. Iouinum à Iuliano magiſtrum armorum per Gallias promotum; & Dagalaiphum, militiæ rectorem, a Iuuiano factum, accepit. A quo etiam promotos Victorem, & Lupicinum magiſtrum equitum, in oriente res adminiſtrantem, Valens ſibi ſumit. deinde milites quoque partiebantur; & Valentinianus Mediolanum, Valens Conſtantinopolim diſceſsit. Cum ambo fratres Conſulatum gererent, anno ſequente Gratianum, Valentiniani filium, adhuc priuatum, &

Daga-

Dagalaiphum, Consules declarauerunt. Valens quidem nepotem ex fratre Gratianum; & Valentinianus, Dagalaiphum; quem antè Parisijs ad conpescendos Germanos dimiserat, eiqúe post victoriam habitam redeunti Parisios, lætus occurrit, benèqúe merentem ita, Consulem designauit. At verò cum esset postea Valentinianus magnitudine morborum quassatus, animámque quodammodo extremam ageret, occultiore conuiuio Gallorum, qui aderant Principi, Rusticus Iulianus, Magister memoriæ ad imperium poscebatur. eiqúe statim neglecto, Seuerus Magister peditum, vt ad imperandum aptior, præfertur. Quibus rebus cognitis Valentinianus, parumper arte medicorum refectus, tametsi periculo mortis se vix liberatum esse videret, Gratianum filium tamen, adulta iam ętate proximum, insignibus Principatus ornare meditatur. paratisqúe ad eam rem omnibus necessarijs, & beneuolentia militum in primis adhibita, vt eumdem animis promptis acciperent; cum Ambianos Gratianus venisset, in campum progressus Valentinianus, ascendit tribunal, & splendore nobilium circundatus, dextera puerum adprehensum, Vestri fauoris indicium est, inquit, quo multis alijs viris claris potior equidem habitus, istud pietatis officium hodiè facere conor. vobis ego consiliorum socijs, vobis meorum votorum auspicibus, hoc opus aggredior, & omnia prospera Deo spondente; cuius auxilijs sempiternis Romana res inconcussa stabit. Accipite igitur placidis mentibus desiderium nostrum, & Gratianum meum adultum, & inter vestros liberos diu versatum, sicut amicitiæ commune pignus, diligite. Illum ego publicę tranquillitatis muniendæ causa, in Augu-

ſtum ſumere conſtituo: ſi cæleſtis numinis propitia, veſtræqúe maieſtatis prompta voluntas ad parentis amorem in ea re acceſſerit. Cuius mores, licet ætate nondum maturos, tamen vt mihi videri ſolet, animus humanitate, ſtudijsq́ue diſciplinarum expolitus, compenſabit. &, quòd ſummum primumqúe munus eſt, ille Rempublicam, vt paternam, auitámque domum amabit ſemper, ac diliget. Nondum Valentinianus orationem finierat, cum milites pro ſuo quiſque loco, Gratianum animo lęto Auguſtum declarauerint. Itaque Valentinianus corona, indumentiſqúe ſupremæ maieſtatis ornatum filium exoſculatus, Habes, inquit, Gratiane amictus nunc Auguſtos, meo, commilitonumq́ue arbitrio tibi delatos. Accingere pro rerum agendarum pondere, ſicut collega patris, ac patrui. Militibus armatis tuis proximus ſtare; próque his, quos regis, ſanguinem, ac vitam impendere; denique nihil a te alienum, quod ad Imperij Romani decus attinet, putare memento. Hæc pro tempore præcepiſſe ſufficit, cetera domi te monere non deſinam. Gratianus fulgore conſpicuus, diligenter ea, quæ pater dicebat, ſingulatim animaduertebat. quem flagrantior lux oculorum, vultuſqúe, ac reliqui corporis iucundiſsimus nitor, & egregia pectoris indoles Imperatorem cum lectiſsimis veterum Imperatoribus, comparandum eſſe demonſtrabant.

Quamquam in hoc negotio Valentinianus morem antiquitus inſtitutum excedebat, dum germanum fratrem Valentem, & Gratianum filium non Cęſares antea, ſed Auguſtos ſtatim nuncuparet. Qui profectus ab Ambianis, Treueróſque feſtinans, graui nuncio percellitur, dum Britannias conſpiratione barbarorum ad vltimam

inopiam vexatas; Nectaridium maritimi tractus Comitem, occisum; & Bulchobaudem ducem, hostium insidijs circumuentum esse cognoscit. Horrore motus, Seuerum etiam tunc domesticorum comitem illò misit, vt ipse, si sors ei casum optatum dedisset, hæc secius, quam oportuit gesta, corrigeret. Quo tamen paulo pòst reuocato, Iouinus in Britanniam profecturus omnes suos prouentus celeri gradu præmisit; subitóque adminicula validi exercitus petit. Id enim necessitates temporum vrgere, atque ab Imperatore flagitare, omnes vno ore confirmabant. Qua propter ob multa & metuenda, quæ rumores assidui ad Principis Aulam de eadem insula perferebant, electus est Theodosius, Theodosij pòst Augusti parens, & vir officijs Martijs felicissimè cognitus, vt in Britanniam properaret. Hic adscita sibi legionum, cohortiumqúe animosa pube, cum speciosa pręeunte fiducia, illuc tendebat. Eo tempore Picthi in duas gentes diuisi Deucalidonas, & Vecturiones; itidémque Attacotti bellicosa natio hominum, & Scotti per diuersa loca vagantes, multa populabantur. Gallicanos verò tractus Franci, 23. & 23.
ijsdem confines Saxones, quò quisq; potuit, terra, mariqúe irrumpere, prædis acerbis, incendijsqúe, & funeribus captiuorum hominum, cuncta violabant. Ad hęc mala tanta prohibenda Theodosius, si prosperior fortuna copiam ei dedisset, certè rerum agendarum dux efficacissimus, extrema terrarum orbis loca petit. Cum ad Bononię littus venisset, quod a spacio terrarum controuerso, reciproci maris angustijs distinguitur; inde lentius transmeato freto, Rutupias, stationem ex aduerso tranquillam, defertur. Quò eum secuti Bataui, & Heruli; Iouijqúe &

qúe & Victores, numeri militum viribus fidẽtes, cum venissent, Theodosius egressus, tendensqúe ad Lundonium, vetus opidum, quod posteri Augustam, vt suprà demonstrauimus, nominauerunt, in plures partes milites suos diuidit, & hostium omnia deuastantium manus vagantes adoritur, oneréque sarcinarum graues capit: ac properè fusis ijs, qui vinctos homines, pecoráque agebant, prædam excussit, quam Britanni tributarij perdiderant. Hac eisdem omni restituta, præter exiguam prædæ partem fessis militibus suis impensam, Theodosius Lundinum ciuitatem rerum difficultatibus immersam, & a se subitò, qua salus sperari potuit, recreatam, lætissimus in speciem ouantis intrat. Ibi successu rerum prospero ad audenda maiora elatus, futuri tamen ambiguus, sed tuta semper consilia scrutando, moratur. Plebem enim variarum gentium diffusam, immaniterqúe ferocientem, non nisi per occultiores dolos, pérque excursus improuisos, superari posse, Theodosius ex confessionibus captiuorum indicijsqúe transfugarum, intellexit. Quocirca propositis edictis, promissáque impunitate, desertores ad procinctum, & multos per loca diuersa, libero commeatu dispersos, conuocabat. Hoc monitu ducis, vt plerique redierunt, sic ipse Theodosius incentiuo percitus, anxijsqúe curis retentus, alium, Ciuilem nomine, qui Britannias pro Præfectis regeret, virum quidem acrioris ingenij, sed iusti, rectiq; tenacem, itidemq; Dulcitium sciẽtia rei militaris insignem ducẽ, ad se mitti poposcit. Interrea Valentinianus quęstionibus indulgens, Hymetium parte bonorum mulctat: tum, quòd per frumenti nundinationem minus, quam oportuerat, ad ærarium Principis eum misisse suspica-

ſuſpicaretur; tum etiam, quòd Amantium aruſpicem ob conſilia praua, quædam implenda, ad ſacrificandum vocaſſet. Id a ſe factum cum Amantius negaret, ſecretioribus chartis ab eius domo prolatis, apparuit commonitorium, Hymetij manu ſcriptum. quo is ab eo petebat, vt per obſecrata numina ritu ſacrorum ſolennium, Imperatorē erga ſe deliniret. Cuius ſcripti extima parte, quædam in Principem, vt auarum & truculentum oratio inuectiua legebatur. Valentinianus in hoc negotium inquiri nimio rigore iuſſit. Et quia Frontinus Amantij miniſter, conceptæ precationis conſutor eſſe dicebatur, virgis conciſus, atq; rem confeſſus, ad Britannos in exiliū ablegatur. Amantius poſtea rerum capitalium damnatus, interijt. Hymetius data ſibi copia rectius ad Imperatoris præſidium appellauit; cuius nominis perfugio tutus, eo tempore incolumis ſeruabatur. Sed huius cauſæ cognitionem Princeps Senatui dedit. Senatus cum iuſtitia librata rem cognoſcens, Hymetium ad Boas Dalmatiæ, in exilium mittit. Imperator, qui hominem morti addicere propoſuerat, iratus ſententia Senatus, eamdem nimis clementem eſſe dicebat. Theodoſius verò Dux inclyti nominis, vigorem animo collegit, & profectus ab Auguſta, (quàm veteres, vt ſuprà demonſtrauimus, appellauere Lundinium) cum militibus induſtria ſolerti comparatis, Britannorum fortunis, verſis, turbatiſqúe, maximam opem tulit. oportuna vbique ad inſidiandum Barbaris, loca præuenit. Militibus etiam gregarijs ſuis nihil imperat, cuius ipſe primas partes alacri mente non capeſſeret. Hoc genere pugnandi, cum omnia munia ſtrenui militis, & præclari ducis curas expleret, fuſis, fugatiſqúe

varijs gentibus, quas nutriente ſecuritate, quædam inſolentia res in Britannia Romanas aggredi faciebat, Theodoſius ciuitates, & caſtra in integrum reſtituit. quæ quidem ciuitates, per longi temporis quietem quodammodo fundatam, nunc multiplicibus damnis affectę fuerant. Hæc tam excellentia opera dum Theodoſius agit, dirum facinus euenit, quod in graue periculum erat erupturum, niſi inter ipſa principia conatus, extinctum fuiſſet. Valẽtinus quidam in Valeria Pãnonia natus, homo ſuperbi ſpiritus, ad Britannias ob graue crimen exul miſſus, vir quietis impatiens, quaſi beſtia malefica, ſic ad res pernicioſas, & nouas, tumore quodam in Theodoſium conſurgebat; quem nefandis cogitationibus ſuis reſiſtere poſſe ſolum videbat. Multa tamen clam, palámque circũſpiciens, ac ſuæ cupiditatis immenſæ flatu creſcente prouocatus, & pro ratione temporis mercedes, illas quidem rerum audẽdarum illecebras, pollicitus, tam exules, quàm milites in Britannia cõſtitutos ad ſuas partes ſollicitabat. Iámque facinorum effectu appropinquante Theodoſius, cum ea didiciſſet, vnde ſcire conuenerat, vti dux ad audendum alacrior, & ad vindictam ſcelerum cognitorum, corde celſo erectus, hunc Valentinum cum paucis, ei ſocietate coniunctis, Dulcitio duci pœna mortis plectendos dedidit. Ipſe verò ſcientia militari, qua cęteros ſuperabat, futura conijciens, de hominibus cõiuratis quęſtiones haberi prohibuit, ne ſparſa per huiuſmodi multos noua formidine, iam cõpoſiti prouinciarum turbines reſuſcitarẽtur. Tunc ad alia plura, neceſſariaq́ꝫ corrigenda ſe conuertens, & penitus omni periculo adempto, cum iam conſtaret, fortunam propitiã, nulla eius cœpta deſeruiſſe,

vrbes,

vrbes, & præsidiaria castra sic, vti diximus, instaurabat, ac vigilijs & prætenturis limites tuebatur: ita recuperatam prouinciam, quæ in ditionem hostium concesserat, pristino statui reddidit, vt & legittimum Rectorem haberet, & Valentia deinceps, ex arbitrio, nominéque Principis, vocaretur. Quibus rebus, feliciter administratis Theodosius ad comitatum Principis vocatus, prouincias, quasi gaudio tripudiantes reliquit. &, vt alter Furius Camillus, vel Papyrius Cursor, victorijs salutaribus, atque crebris, vir ad omnem æternitatem insignis, habebatur. Igitur omnium fauore deductus ad fretum vsque, leni vento mare transgressus, ad commilitium Principis venit. vbi cum gaudio, & laudibus acceptus, in locum Valentis Iouini, qui copias equorum tuebatur, successit, & in vrbe Roma decoratus equestris statuæ honore, cognomento Britannici Ducis, ab Amplissimo Senatorum ordine cohonestatur.

Interea Valentinianus magna vtiliáque animo concipiens, Rhenum omnem ab exordio Rhetiarum, ad Oceani fretum vsque, molibus vastis communiuerat. cumqúe per Gallias sæua rabies latronum scateret, præqúe cæteris hostibus Saxones, vt naturà repentini, timerentur: collectus in vnum globus impiorũ hominum, imitabatur officium Rationalis, ipsumqúe Iudicem. & vespertinis tenebris lugubre clamante præcone, ciuitatem ingressi, domum Primatis cuiusdam viri, tanquam proscripti, iussiqúe interfici, cum gladijs strictis obsederunt. Inde rapta supellectili pretiosa, quòd perculsi subito casu, familiares hebetésque sensibus facti, Dominum non defenderant, cæsis pluribus ante lucem, veloci gressu recesserunt. At cum repleti

multorum exuuijs, parandi dulcedine nihil prætermitterent, quo se, suósque opiparè tractarent, Imperatoris iussu omnes ad vnum intercepti, oppressiqúe interierunt, eorúmque parui liberi etiam tunc, ne ad exempla parentum subcrescerent, pari sorte delentur. Ergo cum Valentinianus, & Valens ter Consulatum agerent, multitudo Saxonum iterum erumpebat, Oceaniqúe difficultatibus permeatis, Romanum limitem intento gradu petebat, sępenumeróque Romanorum funeribus pasta esse dicebatur. Huius eruptionis vim primam Nannenus Comes ijsdem regionibus datus, laboréque bellorum diuturno vir expertus, sustinuit. Sed postquam cōgressus cum his, milites suos ruisse, atque se vulneratum, iam crebris eorū certaminibus imparem fore percepisset, Nannenus Imperatori significās, Quid oporteret agi de Saxonibus, id adeptus est, vt Seuerus peditum Magister, rebus dubijs opitulatum veniret. Qui secum milites ei rei sufficientes adducens, cum ad loca, in quibus Saxones erant, venisset, adeo distinctis ordinibus, etiam ante colluctationem, terruit eos, turbauitqúe, vt neque se quidem semel Saxones opponerent, sed fulgore signorum, Aquilarumqúe perterriti, veniam pacémque poscerent. Qua de re diu, varièqúe consilijs habitis, tandem id Reipublicæ conducere videbatur, vt pactis inducijs, multisqúe iuuenibus ad militiam idoneis, per eos traditis, Saxones sine impedimento discederent, ac, vnde venerant, eò reuerterentur. Quibus omni metu iam vacuis, reditumq́; parantibus Romani per pedites occultè missos, in abdita quadam valle, per quam Saxones pretereuntes leui negotio conficerentur, insidias struunt. At longè secus, quàm speraba-

ſperabatur, tum res accidit. Sonitu enim aduentantium, exciti quidam intempeſtiuè, ſubitoqúe viſi, dum ſe firmare cogitant, vlulantibus lugubre Saxonibus, in pedes vertuntur. Attamen mox congregati ſteterunt, extremáque fortuna vires, licet non integras, ſuggerente, pugnare cogebantur, multáque cæde perculſi, Romani concidiſſent omnes, niſi cuneus equitum cataphractorum, ad inferendum periculum Saxonibus tranſituris, pari modo in inſidijs locatus ex alio latere propè diuortium itineris, & nunc ſuorum clamore triſti commotus, actutum ſubueniſſet. Nam horum auxilio infeſtius concurſum eſt, pectoribuſqúe hinc inde firmatis, incumbentes Romani, clauſos Saxones eductis gladijs ita crudeliter obtruncabant, vt ne quidem vnus, aliorum cædibus ſupereſſe, atque ad proprios Lares redire, permitteretur. Quod eorum factum, omnis iuſtus, rerum arbiter, vt perfidum ac bonis moribus contrarium eſſe iudicabit: niſi fortè quis Politicè Philoſophando, non indigne ferat, 24. 24.
quòd multitudinem latronum, abeundi copia data, tandem ita crinibus comptam eſſe, viderit. Poſt hæc Valentinianus anxia ſollicitudine tenebatur, Quanam arte poſſet Alamanorum, eorumqúe regis Macriani faſtus frangere, quòd hi ſine fine, modòque, rem Romanam perpetuis motibus ſemper impedirent. Immanis enim natio iam inde a primis incunabulis diminuta varijs cladibus, ita ſæpius creſcit, ac ſi per ſęcula longa, bello ſemper intacta manſiſſet. Ergo poſt diuerſa conſilia, Imperator hoc probauit; In eorum perniciem Burgundios, bellicoſos homines, viribuſqúe turbæ immenſæ affluentes, idcircòque finitimis populis vniuerſis
 pertimeſ-

pertimeſcendos excitauit. Ad eorum reges frequenter ſcribebat, vt Alamanis tempore præſtituto ſuperuenirent, pollicitus ipſe quoque, cum Romanis agminibus tranſire Rhenum, pauidiſqúe, & armorum pondus inſperatum vitantibus, occurrere. Hæ litteræ Principis gratæ fuerunt; primò, quòd à priſcis temporibus Burgundij, ſe Romanam ſobolem eſſe ſciunt; deinde, quòd cum Alamanis ſalinarum, finiumqúe cauſa ſæpè iurgabant. Propterea miſerunt ſuos ſicut Valentinianus optabat. qui tamen antequam in vnum congregarentur; & priuſquam ad ripas Rheni progrederentur; cum neque Valentinianus, vt ſpoponderat, die ſtatuto veniſſet; nec aliquid ſuorum promiſſorum feciſſet; ad eius comitatum legatos miſerunt, qui ſibi redituris in patriam, adminicula ſaltem peterent, ne terga nuda hoſtibus exponerent. Quod per ambages ſibi negari, moráſque necti, cùm legati viderent, ſtatim indignabundi diſceſſerunt. & his rebus cognitis Burgundiorum Reges, tamquam ludibrio habiti, captiuis omnibus interfectis, domum redeunt. Hac occaſione, tempeſtiua quidem, Alamanos Burgundiorum metu diſperſos, Theodoſius nunc equitum Magiſter, vt ſuprà demonſtrauimus, per Rhetias aggreſſus, pluribus eorum cæſis, quoſcunque viuos potuit, valentéſque cepit, & ad Italiam, Principis iuſſu miſit, vbi fertilibus agris acceptis, facti tributarij, circa Padum eos colũt. Nihilo tamen ſecius id omnium primum, ac potiſsimum inter multiplices curas Valentiniani, agitabatur quomodo hunc Macrianum, quem diximus Regem Alamanorum, viribus in Romanos exſurgentem vel vi, vel inſidijs ſuperſtitem caperet. cumqúe per indicia trans-

trãsfugarum factus esset certior de loco, in quo nihil tale cogitans, Macrianus comprehendi poterat, Valentinianus tacitè Rhenum nauibus iunxit. eumdemqúe antegressus contra Mattiacas aquas Seuerus, qui pedestrem exercitum curabat, paucitate suorum militum territus stetit. Timebat enim ne fortè, resistere nequiens, irruente hostium mole premeretur. Itaque scurras illic casu quodam repertos, mancipiáque venalia ducentes cum vidisset, suspicatus eos celeri cursu id, quod cernerent, velle nunciare, cunctos direptis mercibus occidit. itinerumqúe peritus, vltrà pergebat. sed assiduè suis, vt incendijs, ac rapinis abstinerent, mandabat. nihil ab eis tamen impetrare hac in re potuit. Quocirca ignium crepitu, dissonisqúe clamoribus exciti, noctu satellites Macriani, suspicantur id esse, quod acciderat; & veloci carpento statim, impositum Regem, angusto quidem aditu, collibusqúe circumfractis, abdiderunt. Valentinianus neque sua, neque ducum culpa, sed intemperantia militum, quę sæpè rem Romanam grauibus dispendijs adflixit, hac gloria capiendi Macrianum defraudatus, quasi per furorem terris hostium ad quinquagesimum lapidem vsque combustis, mœstus admodum Treueros redijt. & in locum Macriani Bucinobãtibus, quæ contra Maguntiam posita gens est Alamana, regem Fraomarium constituit. Quem inde paulò post remouit, quoniam eumdem pagum excursus iste recens suorum militum penitus deuastauerat. & Fraomarium cum potestate tribuni militum in Britanniam transtulit, ibidémque numeris Alamanorum, & multitudine, & viribus ea tempestate florentissimis, præfecit. Britanni tot cateruas superfusorum quottidiè hominum ex-

terorum non ferentes, Clemente Maximo duce, quem Octauij filiam in matrimonium accepisse suprà demonstrauimus, quique nunc otio longo vim auri, argentique ingentem comparauerat, classibus in Gallias transmittunt. & primò quidem Armoricum regnum quod Franci tunc obtinebant, debellare cœperunt. At hi duce, Iubalto venerunt obuiam Maximo, & prælio infeliciter commisso, pro maiore parte fugerunt. licet ipse Iubaltus ea pugna ceciderit, & suorum hominum armatorum quindecim millia desiderarentur. Qua victoria factus elatior Maximus, Conano ad se vocato, (fuit is Meriadocus, Octauij nepos, qui pro regno, vt suprà demonstrauimus, in Britannia contendebat) ei nunc Maximus, Si vis inquit, Conane, regnum istud, quod iure belli cepimus, pro insulæ regno, quod expetebas, retinere; facio
25. te Principem Hæc erit altera Britannia. 25. Conanus vbi tellurem, segetum fertilem esse, ac flumina piscibus plena, syluisque nemora densa; & saltus vbique amœnos, habere venationem ferarum abundantem, vidisset; neque littoribus maris Oceani gratiorem, propioremque locum vllum inuenisset; earum regionum possessionem ingressus, Maximo se fidelem, ac in obsequio mansurum promittit. Qui, quoniam alter Britannorum exercituum dux erat, inde simul cum Maximo ad vrbem Rhedonum procedit, quam eodẽ modo in suam ditionem acceperunt. Nam audita sæuitia Britonum, cognitaque suorum clade, fugerunt ex vrbe viri, mulieribus tantùm, infantibusque relictis. Britones intrabãt, &, vt alibi masculis omnibus interfectis, fœminis solis parcebãt. Cum sic vniuersas prouincias ab omni penitus incola vacuas habe-

rent,

rent, vrbes ac opida militibus insulæ Britanniæ repleuerunt, & promontoria diuersis in locis ad mare proiectis munierunt. Quibus rebus ita constitutis, Maximus audacior factus, exercitum suum profusè donis afficit. & quoscunque posset, alienigenas, muneribus auri, argentiq́ue captare, diligenter id quidem facit. sæuitiam sibi naturalem, arte paulisper intermittens, blandimentis militaribus tantam breui tempore multitudinem hominum armatorum collegit, quantam sibi ad omnem ferè Galliam subiugandam sufficere posse credebat. Nihilo tamen secius, antequam pergeret vlterius, hoc Regnum Armoricum quod vi, & armis ceperat. Britannico populo habitandum esse iudicabat. Itaque fecit edictum de centum millibus hominū plebeiorum, in Britannia insula colligendis, qui ad ipsum transmitterentur. Item aliud, de triginta millibus fortissimorum militum, qui mansuri erant intra fines Armoricos, eósque ab hostium irruptione tuerentur. quibus Conanum Meriadocum præficit, vti & per vniuersas Armorici regni nationes eumdem Rectorem constituit. ipse cum ceteris commilitonibus suis ad vlteriorem Galliam profectus, initisq́ue cum eis, qui sibi resisterent, grauissimis prælijs, & victoria plerumq́ue potitus, ad Germaniam transit, suiq́ue Imperij apud Treueros sedem ponit. Iam enim Valentinianus Augustus Treueris reuersus in Gallias, ac inde pòst apud Bergentionem opidum Illyriæ, dum legatis Quadorum, qui latrocinia excusabant, nimium intentus, & audiendo, & respondendō, accenditur ira subita, vocem ipso sanguinis impetu amiserat, morbóque venis arescentibus, adhuc integer, sensu, annóque imperij vndecimo, vitam

morte commutauerat. eius filius Gratianus Imperator, etiam alterum ſuum fratrem, patris nomen ferentem, Valentinianum, adhuc puerum annorum quattuor, Auguſtum creauerat. Cumqúe iam Hunni, & Alani ſuperato Iſtro, qui limes erat, direptiſqúe ac incenſis aliquot vrbibus, Pannonias grauiter infeſtaſſent; & ex Antiochia Patruus ipſius Valens Imperator, properè accitus, tantam hoſtium peſtem auertere non potuerat, ſed ingenti clade victus, terga daret. & in fuga vulneratus, ex equo decideret, acceptuſqúe in vile tugurium, (vbi tamen ignorabatur, quòd is eſſet Imperator) igne per Alanos hoſtes iniecto, combuſtus foret: Gratianus ad tantas calamitates nihil opis eſſe videns in ſuo fratre Valentiniano, Theodoſium equitum magiſtrum, Reíquepublicæ fortiſsimum propugnatorem, vt ſuprà demonſtrauimus, etiam nunc per Orientem, Auguſtum declarat. id quod Clemens Maximus, huius Theodoſij
26. ęmulus 26. grauiſsimè tulit. idcircóq; a Treueris in Britanniam reuerſus, Britannico Romanorum exercitui, ſicut antè fecit prÿeſſe contendit. Interea Conanum, Armoricóſq; Britonas, Galli & Aquitani crebris irruptionibns ſæpiſsimè perturbabant. quibus reſiſtens Conanus, & cladẽ infert mutuã, & patriam ſibi commiſſam viriliter defendit. Ergo victor voluit commilitonibus quoque ſuis coniuges dare: de quibus hæredes naſcerentur, qui terras illas perpetuo iure poſsiderent. Et vt nullam cum Gallis commixtionem ſanguinis haberent, ex Britannia inſula mulieres, quæ ipſis maritarentur, venire iubet. Itaque nuncios illò mittit ad Dionotum Corinuallıæ Regem, qui Caradoco fratri ſuo iam mortuo ſucceſſerat, vt huius rei curam ipſe
ſuſciperet.

ſuſciperet. Erat enim ille, vir nobilis, ac præpotens, cui Maximus abiens inſulæ principatum commendauerat. Habebat verò Rex Dionotus filiam miræ pulchritudinis, cui nomen erat Vrſula. quam in primis Conanus ſuper omnia diligebat. Igitur Dionotus acceptis humaniter nnncijs Conani, mandatiſqúe eius parêre volens, nobilium filias, numero vndecim millia, per diuerſas prouincias collegit. déque ceteris ex infima gente procreatis, ſexaginta millia. quas omnes ad vrbem Lundoniam conuenire, nauéſque, quibus ad coniuges deſtinatos hæ transfretarent, ex varijs littoribus adduci iubet Quod a Rege Dionoto factum, licet in tanto fœminarum cœtu multis placuiſſet, pluribus tamen diſplicebat. quibus erga parentes, & patriam, maior erat affectus, quàm vt his derelictis, peregrè abirent. Neque deerant, vt ex pòſt facto apparuit, quæ caſtitatem nuptijs præferebant: quæqúe vitam alia qualibet ratione amittere, quàm hoc modo diuitias acquirere, malebant. Paratis claſsibus mulieres ingrediuntur naues, & per Tamiſim fluuium in maria alta diſcedunt. Cum vela vertiſſent nautæ verſus Armoricos tractus, in claſſem venti aſperi ſurrexerunt, breuiqúe ſpacio totam virginum ſocietatem diſsipauerunt. ſic ergo naues in mari periclitatæ, pro maiore parte ſubmerſæ ſunt. quæ manſerunt incolimes, tantumqúe maris periculum euaſerunt, in barbaros inciderunt, & virgines eis vectæ, de fumo, quod aiunt, in flammam dilapſæ, ab ignota, feráque gente trucidãtur. Quippe naues appellebant ad littus Germanicum, quod exercitus Gauni ac Melgę, nefãdorum piratarum, occupabat. Erat autem Gaunus Hunnorum, Melga Picthorum

Rex

Rex, quos ſibi Gratianus Imperator adſciuerat, & in Germaniam, maritimáque deinde loca miſerat, vt eos, qui ſtarent a partibus Maximi, modis omnibus diuexarent. Nam hac arte à rebus incœptis Maximum deturbare ſperabat. Hi cum Gratiano ſic fœdere facto, claſſéque comparata, cum ad Britanniam infeſtandam tenderent, in iſtas ad littus iactatas virginum naues incidunt, atque ſic in eaſdem Britannas virgines, vt in hoſtes graſſantur. quarum pulchritudine allecti cum eis laſciuire voluerũt. ſed puellę fortes in fide, conſtantéſque in honore pudicitiæ ſeruando, contra barbaros, ſibi vim inferentes, reſtiterunt; & ignominioſæ vitæ mortem glorioſam, hortatu Vrſulæ, ad vndecim vſque millia omnes prętulerunt. Mox enim iſtorum fœda libidine in furorem barbaricum commutata, quòd aliò properarent, ne longiore mora diſtinerentur, ſingulas crudeliſsimè trucidarunt, indéque ad Britanniam nauigarunt; quam hoc tempore militibus vacuam aggreſsi, facilè deuaſtauerunt. Maximus enim
28. contra Picthos, & Scotos bellum gerens, 28. eiſq; ſuperatis ouando rediens, in Britannijs, vbi natus erat, ab exercitu Britãnico quem regebat, Imperator appellatus eſt, indéque tranſmittens, & aduerſus Gratianum Auguſtum arma ſumens, in Galliam profectus erat. Sed his rebus cognitis, Gratianũ municipem, ante quam vlterius pergeret, in Britanniam cum duabus legionibus mittit, qui conſerto prælio, barbaros iſtos pleróſque acerrima nece proſtrauit, reliquóſque in Hiberniam fugere coëgit. Maximus autem ab infenſis Gratiano legionibus pro Auguſto exceptus, perſequitur illum, properantem in Italiam, & circumuentum dolo, fugientemqúe

temque Lugdunum, anno eius imperij octauo per manum Andregatij præfecti classium occidit. Nec contentus eo, Valentinianum Secundum, Gratiani fratrem, & Augustum Italia expulit, & ad Theodosium, qui res in Oriente administrabat, abire compulit, à quo ille liberaliter acceptus est. Quibus rebus ita perpetratis Maximus Treueros redit, Victorem filium suum, Cęsarem declarat. Synodóque Episcoporum ibi congregata, vbi Martinus Turonensis, Ambrosius Mediolanensis, & Ausonius Burdegalensis, antistites erant, homicidij grauiter monitus fuit. Nam Ambrosius, Imperatore Gratiano sic occiso, missus ad Maximum eius interfectorem, eidem criminis admissi pœnitentiam agere suasit, & id facere recusantem, a fidelium communione semouit.

Quocirca Theodosius, Rei Romanę defensor acerrimus, cum hunc, atque Gotthos, qui eamdem sub Valente labefactassent, diuersis prælijs vicisset, rogatúsque a Persis, pacem cum eis pepigisset; Maximum qui Gratianum interfecit, sibiq; Gallias vindicauit, apud Aquileium anno imperij eiusdem quinto penitus extinxit filium ipsius Victorem, Augustum factum, necauit. Nihilo tamen secius graue pondus auri, argentiq; ab hoc Clemente Maximo sublati, expensique, princeps optimus Theodosius restituebat. cum hodiè principes, qui tamen haberi volunt benigni, vix fundos nudos, prædiáque deformata, si bello capta sunt, restituere soleāt. Andregatius Maximi socius, & huius belli dux pręcipuus, de ipsius cæde certior factus, sese præcipitem in mare dedit. Secūdus autem Valentinianus ad regnum Occidentis, auxilio Theodosij restitutus, ab Italia profectus in

Gallias, dum Viennæ negligentius moraretur, fraude Arbogastis, Alanorum prçfecti, noctu strangulatus in cubiculo, subita morte obijsse credebatur. Sic interijt clara soboles Gratianorum vno quasi cursu principum, quattuor Augustorum; sicut antea Constantij, Chlori nobilissima progenies; multo citius, quàm par fuit, in orbe terrarum res humanas gubernare desinebat. Et Theodosius Honorio patre, Thermatiáque matre, natus in Hispania origineḿq; suam a principe Traiano deducens, Britannias iterum Imperio Romano, per Maximi mortem consociauit.

LIBRI SEXTI
A CONSTANTIO AD THEODOSIVM
Notæ.

1. CAMPI VINDONIS. Quia sermones Panegyrici multi sunt, Constantio, & Constantino dicti, quorum, nomina authorum ,, incerta fiunt opinionibus varijs Beati Rhenani, Francisci Balduini, Stephani Pighij, ceterorumque, ne in re ipsa erremus, faciam more veterum Iureconsultorum, vt a primis verbis, sicut edicta Prætorum, recitentur. Panegyris ergo, quæ incipit. Facerem, sic ad Constantinum Constantij filium: Sacrum istud palatium, inquit, non candidatus imperij, sed designatus intrasti, confestimque te, illi paterni lares successorem legitimum viderunt. neque enim erat dubium, quin ei competeret hereditas, quem primum Imperatori filium fata tribuissent. Te enim tantũ ille Cõstantius Imperator in terris, primo ætatis suæ flore generauit, toto adhuc corpore vigens, illa prædıtus alacritate, ac fortitudine, quam bella plurima, & pręcipuè campi Vindonis idonei testes declararunt. Et paulò pòst: Quid commemorem, inquit, Lingonicam victoriam, & Imperatoris ipsius vulnere gloriosam? quid Vindonis campos hostium strage completos, sed adhuc osibus opertos. Constantium autem cognomento Chloron lib. 5. Nota 26. dixi, & ita Gręcè a virente colore nominatum esse, scribit Huttichius in veterum Imperatorum imaginibus, quas Sambucus quem Patauij benè noueram, exornauit. Itaque rectè commemoratur primus ætatis flos, totumque corpus vigens, ac fortitudo Constantij. nam iste color viridis, est indicium fortitudinis animosæ, vt lib. 2. Nota. 12. dicebam. Sed qui

qui sint, campi Vindonis, difficilior est explicatio. nisi quòd dicantur adhuc ossibus esse operti; vt inde credamus hanc fuisse vltimam Constantij victoriam. de qua sic pòst: Suprema illa expeditio, inquit, non Britannica trophæa expetiuit, sed dijs iam vocantibus Constantium, ad intimum terrarum limen, is accessit. Neque enim ille tot, tantisque rebus gestis, non dico Caledonum, aliorumque Picthonum siluas & paludes, sed nec Hyberniam proximam, nec Thylen vltimam, nec ipsas, si quę sunt; Fortunatorum insulas acquirere dignatur, sed iturus ad deos, genitorem illum deorum Oceanum, ignea cœli refouentem astra prospexit, vt fruiturus exinde luce perpetua, iã illic diem penè continuum videret. Contra quos Caledonas, & Picthos Erocus Alamanorum Rex, auxilij gratiâ Constantium in Britannias comitabatur. Quos & ad Septemtrionis limitem agri Segontiacorum excurrisse credendum est; vbi Vindonum ciuitas est, a Britannis dicta Caër Segonti, sicut Nennius in vrbium catalogo declarat. nos hodiè vt lib. 5. Notã. 21. demonstraui, Silecestriam appellamus. vbi prospere superatis hostibus Constantius, Eboracum abiens moritur cum regnasset vndecim annos, vt lib. 5. Nota. 29. dicebam. & Constantinus, adnitentibus cunctis, qui aderant, sed pręcipuè Eroco, imperium capit, vt lib. 4. Notá. 57. demonstraui.

2 FLAVIAM Helenam. de Helena, vt natione Britanna, dixi lib. 5. Nota. 26. Neq; mouet, me, quod Nicephorus Callistus contrà sentiens, Ecclesiasticæ historię lib. 7. cap 18. Persæ, inquit, Varacho duce Romanam ditionem vastarunt. ad quem Varachum per fœdera placandum, Imperatores, qui tum rerum potiebantur, Constantem Roma legatum miserunt, vt cum eo pacem componeret, & annua ei dona, redimendi belli gratia, polliceretur. Is ab occidente versus Orientem nauigans, ad locum Drepanum propè Nicomediam applicat. ibi desiderium concubitus habuit. quod hospes eius cognoscens, & magnificentia,
splen-

ſplendoreque cohortis ipſius permotus, filiam ſuam venuſta forma, & ætatis flore iam nubilem puellam, Conſtanti offert. qui cum ea rem habens, mercedem concubitus peplum intextum purpura filiæ donat. eaque nocte commotus mirifica viſione, quòd in tabernaculo ſuo intueretur præter naturã, Solem orientem ab occidentis Oceano; hortatus eſt hoſpitem, vt filiam, quę inſigne quoddam κειμήλιον vtero gereret, deinceps impollutam diligentius adſeruaret, & quod ex ea natum eſſet, accuratius educaret. Ceterum obita rectè legatione ſua, Conſtans alio itinere Romam reuerſus, vnà cum Gallerio creatus eſt Cæſar: nec ita longè pòſt, vterque fit Auguſtus. Proinde cum alij Oratores mitterentur ad Parthos, qui & ipſi Direpanum diuerterunt, infantulus Conſtantis, ex hoſpitis filia Helena primogenitus, ludebat pueri ludum, & a quodam legatorum comite offenſus admodum ſuccenſuit ei, & illius obiurgationes indigniſsimè tulit. Ibi tunc mater, Conſtantis hunc eſſe puerum, indicauit. & id eſſe verum, peplum purpura exornatum proferendo, quaſi ſigno confirmauit. prætereque quòd ipſa facies, indoleſque pueri generoſa, filium illius eſſe ſatis oſtendebant. Quibus rebus ex legatorum iſtorum ſermone cognitis, puerum vnà cum matre, Conſtans Romam comitatu regio adduci curauit. veritus autẽ ibi, ne quid abſurdi contingeret illis a Theodora vxore ſua per zelotypiam, Conſtantinum filium ad Diocletianum Nicomediam miſit. Qui benignè ſuſceptus, in palatio cum Imperatore vixit. & inter domeſticos ſcholarum adſcitus, Gręcas diſciplinas didicit, ſimulque Chriſtianiſsimum complexus eſt. Hæc enim Nicephorus tot erroribus ferè, quot verbis narrat; pręter indecora perſonarum, & rerum infinita, quæ profert. adeo vt de Conſtantio, vix crediſſem eum loqui, niſi capite præcedente, illum cognomento Procerum, & Chlorum appellaſſet. Nam Conſtans, quem nominat, homo libidinoſus, & lu-

xuriæ deditus fuit. Conſtantius autem vir caſtiſsimus, & temperatiſsimus. Atque ſi fuiſſet incontinentia ſuperatus, more virorum Principum, alio libidinis adminiſtro, quæ hoſpite vſus eſſet; vel hoſpes aliam, quę filiam abtuliſſet. Nec ille ſplendor cohortis Conſtantij potuit inducere patrem, vt filiam proſtitueret. nec illud hoſpitij ius ſanctum, quo Romani, vtebantur, a legato populi Romani, tam impunè violari potuit. nam ſi Theodora, tunc Drepaui fuiſſet, eáque quid deliquiſſet; ab ipſo legato, eius marito, vindicta exigeretur; vt Vlpianus l. 4. de officio Proconſulis ac Legati demonſtrat. Adeo primum eſt omnium in legato, præcipuumque præceptum obſeruandum, caſtè viuere; vt Conradus Brunus Iureconſultus lib. 2. de legationibus c. 11. declarat. adeo Vopiſcus Aurelianum, qui tunc imperauit ſolus, vt Nota. 13. dicetur, cuilibet militi præcepiſſe ſcribit, vt in hoſpitijs caſtè ſe gerat. Tum illud a Romana maieſtate fuit alienum, mandare ſcilicet Varacho duci, pecuniá annuam redimendi belli gratia, promittere, quod ne Viriato quidem Luſitano vnquam facere Romana voluerunt, & cum pacti vectigal eſſent Brenno vrbē poſsidenti, ſtatim eius rei eos pænituiſſe, lib. 3. demonſtraui; ſicut & hoc a Conſtantij liberalitate, longè remotū erat, dare peplum pro mercede libidinis; cum Thais illa Terentiana tantillo contenta vix fuiſſet, denique quot vilia commemorantur? alios Oratores in eodem hoſpitio, tanquam in quodam πανδοχίῳ diuertiſſe. comites eorum, Conſtantinum infantulum obiurgaſſe. matrem Helenam illos monuiſſe, quantus iſte puer eſſet? famuliſque oſtendiſſe peplum iſtud, ſcilicet, vt ipſi crederent; & ſic filium obiurgare ceſſarent. quem in domo Diocletiani fidem Chriſti didiciſſe, miror Nicephorum affirmare: Conſtantinumque, φωσφόρον orientem ab occidentis Oceano, nominare, cum ipſe Drepanum in Oriente conſtituat. Ad quæ cuncta tam abſurda vitanda, in libro excuſo typis Ioannis Oporini, quem

ni, quem Basileæ conueni, ponitur ista nota in margine, de Helena Constantini matre, variant historici. eam Græci suæ nationi arrogant. sed Latini, Britonum regis filiam fuisse scribunt. Quippe pater Constantini Constantius, Galliæ & Britanniæ imperauit. Quę nota non nominat Britãnos scriptores, tanquam hi vellent Helenam sibi attribuere, licet illis de Constantino, sicut Locris de Zaleuco credendũ esse Cicero diceret, supra libro 4. Nota. 7. relatus: sed ea Nota. marginis Gręcos ait, suæ genti eamdem arrogare. dicit verò Latinos scriptores affirmare, illam esse Britãnam. quod ex antiquis Imperatorum Romanorum numismatis probat Adolphus Occo Flauia Helena, inquit, prima vxor Constantij, Coëli Angliæ Regis filia, mulier sanctissima, & Christiana facta, Constantino filio nondum baptizato, eumdem ad Christi religionem pertrahere conata, obijt octogenaria, sepulta Constantinopoli; a quo filio & consecrata, & Augusta fuit appellata. qui & nummos aureos sub eius effigie procudit. Sed Onuphrius prænomen Flauiæ, & cognomentum Augustæ tribuit Helenæ, quanquam repudiatæ, atque prius, quàm Constantius eius maritus, esset Augustus. idque forsitam propter honorem filij sui Constantini magni, qui & Flauius dicebatur, & Augustus Romanorum Imperator erat. Quo magis admirarer Bedam lib. I. c. 8. scribere, Constantium reliquisse Imperatorem Galliarum, hunc suum filium Constantinum ex Helena cõcubina natum: nisi quòd Polydorus Vergilius lib. 2. Anglicę historiæ diceret, Helenam Coëli reguli filiam miræ pulchritudinis puellam, duxisse in matrimonium Constantium; nec ijs assentiendum esse, qui tradunt Helenam eiusdem concubinam fuisse, de qua Constantinum suscepisset sed vtriusque tam Constantini, quàm Helenę patriam idem Italus homo scribit esse Britanniam. Nec Onuphrius Mineruinam Constantini concubinam (quam vocat ipse, licet id Cardinalis Baronius rectè neget) appellat Flauiam, quanquam ei natus ex ea fuerit, Fla-

uius Valerius Crispus Cæsar. Sed Helenam Constantini matrem vocat Flauiam, quod esset legitima coniunx, patris eius Flauij Valerij Constantij. licet ab Anglo Theologo Beda dicebatur concubina iure thori, vt Angli vxorem, lecti sociam vocant; & Hieronymus in epistola ad Nepotianum vxores Dauidis vocet concubinas, quas sacra scriptura commemorat. nam iure ciuili vereor, ne rectè dicatur concubina. cum Marcianus l. 3. de concubinis scribat, ingenuam quidem posse in concubinatu esse, quæ obscuro loco nata est: qualis Helena, Regis filia, Cæsaris vxor, Imperatoris mater non erat. Mater autem principis sic, vti coniunx eiusdem, gaudet honore, tituloque Regio. Nam & Martia Britanna vxor prima Seueri, dum esset adhuc priuatus, quanquàm verè non fuit Augusta, tamen a marito pòst Augusto, statuis cohonestata, & propter Antonini Caracallæ Augusti filij honorem, Augusta dicebatur, vt lib. 4. Nota. 69. explicabam. Quod non animaduertens Antonius Augustinus lib. 4. emendationum c. 8. Seuerum Imperatorem scribit ex Phœnissa vxore suscepisse Antoninum cognomento Caracallam. Quæ fortassis eadem obliuio fuit Onuphrij quoque, dum vxorem primam Seueri Marciam nominat, sine vlla mentione Augustæ. Iuliamque secundam eius vxorum, vocat Augustam, & ex ea Bassianum, & Getam filios ambos natos esse scribit. Nam idem Huttichius istius Martię ponit effigiem cum inscriptione tali: *Marcia Otacilia Seuera Augusta*. Quæ forsitan inscriptio fuit adhibita statuę ipsius. nam de nummis Adolphus Occo negans, Ex Martia vxore nullos, quòd sciam, inquit, liberos Seuerus tulit. quanquam sunt qui maiorem filium Bassianum eam genuisse asserăt, sed ex Herodiano, & nummis doctiores, Iulia procreatum volunt; quę mortuo Seuero nupsit filio Bassiano. At verò quòd Herodianus lib. 4. inducit, Iuliam ambobus loquentem sic: Terram, & mare filij diuiditis, matrem quorum diuidetis? non alio, quàm matris nomine, respondet Ælius Spar-

Spartiamur dicenda fuit, quæ fratres consanguineos dissidentes conciliare volebat. Igitur ex eodem Ælio Spartiano de nuptijs his scribente particulariter, & ex professo (vt nos loquimur) constat, Iuliam fuisse nouercam Bassiani,& huncillius priuignum: eamdemq; Iuliam fuisse naturalē matrem Getæ; ipsumq; eius proprium filium. Quod Beneuenutus a Rembaldis ante ducetos annos in suo libro Augustali confirmans, Bassianus Papinianum magnum Iurisconsultum, inquit, trucidari fecit, quia reprehendebat eum, quòd in vxorem duxerat, Iuliam nouercam suam. Huic enim autori nimis horrendum esse videbatur, vt ipsa mater vterum filio, quem eo gessit, aperiret. Sed quia de his dixi lib 5. Nota.16. nunc addi potest cognomētum Caracallæ, quod habuit Bassianus, esse datum ex veste Britannica, quam habuit a Marcia matre Britanna. quo genere vestis vsus est Amphibalus, & ab eo sumptum, portauit Albanus, ante Iudicem comparens, & pro Amphibalo hospite se morti offerens, vt Beda lib. 1.c.7. scribit. quam Caracallam, fuisse vestem discissam, & ex multis partibus consutam Dio refert, magnum tamen decorum eandem induenti conciliasse, quòd ad talos vsque demissa esset, ac fugę foret impedimento. quale genus vestimenti Spartianus ait Antoninum Bassianum donasse populo, & quia nunquam antea eiusmodi vestis apud Romanos in vsu fuisset, ipsum a rei nouitate Caracallam appellari. Neq; mouere debet, quòd hanc caracallam, Gallicā vestem esse nōnulli dicāt, sic enim illi loquūtur, ac Pius Antonius Bartolinus de ordine Imperatorum scribēs, Helenam dixit natione Gallicam esse, id est, vallicā insulæ, non autem continentis, Galliæ, vt lib. 5. Nota. 10. demonstraui. sic etiam Onuphrius vtroq; nomine Galeriū, & Valeriū, Cōstantij collegam in Imperio, vocat.

3 APVD Lingonas populos. Ab his Lingonicam victoriam Panegyricus orator Nota. 1. vocat; eamque Pomponius Lætus in vita Diocletiani recenset. Porro Britannorum migrationem cum Helena lib. 1.

Nota.25.ſignificaui. Sed quoniam ex eadem migratione cum Conſtantio accidit vrbes duas Germaniæ nomen accipere, vt ait Adolphus Mekerchus c.30. de veteri pronunciatione linguæ Græcæ, præſtat ipſum audire. Ennius auctore Feſto, inquit, multitudinem hominum vocauit ſpiram. & Græcis σπεῖρα, cateruam, manipulum, exercitum, cohortemque Prætoriam ſignificat. Inde Spira vrbs Nementum, ſic dicta eſt, quod in eam vrbem Conſtantius, a quo vel condita, vel ornata eſt, cohortem prætoriam, velut in ſpeculam, ad cuſtodiam, & defenſionem totius prouinciæ collocauit. Quum enim in locis Spiræ vicinis diu commoratum cum exercitu Conſtantium, eſſe conſtet, neque abſurdum eſt, neque alienum ab Hiſtorica veritate, Spiram a Græcis cohortibus adeptam eſſe nomen. quemadmodum Latiburgum, quod ſedes eſt Epiſcopi Vormatienſis, a caſtris Latinis. Heidelshemium ab Helena Conſtantij coniuge, & magni Conſtantini matre; Brettam ἀπὸ τῶν Βρετανῶν, ſiue a Britannis, qui cum Helena Conſtantium ſecuti ſunt.

4 ATTRITAE Germaniæ. Conſtantius defuncto Diocletiano (inquit Carion lib. 2. Chronicon) annos quattuor imperauit. Galliarum & Germaniæ regiones ſibi ſubiectas habuit, & eas pacatas reddidit, Francos, & Alemanos vicit. nam in hunc modum Germania diuiſa eſt, vt Franci, eam ſibi partem vſurpent, quæ circa Rhenum ſita eſt; & Alemani dicti ſint Germani ſuperiores. ſed vnde ſic appellentur ipſe non addit. proinde *ab ala mana*, id eſt, copia bona militum; nomine facto per Romanos, dici poſſe videntur. quod vix proprijs ſedibus vſquam habitarent, ſed in tentorijs, quæ Marcellinus lib. 27. Alamanica vocat; & Vlpianus l. 2. de his, qui notantur infamia, Exercitum, inquit non vnam cohortem, neque vnam alam dicimus: ſed numeros multos militum. eumque exercitui præeſſe, qui legiones cum ſuis auxilijs ab Impera-

tore commiſſas adminiſtrat. Pars igitur exercitus eſt ala. quæ ſi tam copioſa fuit, vt milites eius numerari vix poſſent, caſtrorum nomen induebat. ſic enim a veteribus ala Flauiana, id eſt, caſtra Flauij, dicta eſt, vrbs Vienna totius Auſtriæ nunc clariſſima. Certè Agathius ex Aſinio Quadrato probat, Alamanos eſſe multitudinem collectitiam diuerſorum hominum: quæ ſit in caſtris ad pugnandum eo modo parata, quo ſunt aues expanſis alis paratæ ad volandum. quod ipſa verbi ſcriptione Græci approbare videntur, ſicut antiqui Latini, dum ἀλαμανικος per alpha, non per ἔψιλον in ſecunda ſyllaba depingunt. Nam quod Linius ad procœmium Inſtitutionum, Germaniæ partem ſcribit eam eſſe, Alemaniam, quę nominetur a Lemano lacu, iuxta quem habitare dicuntur Alemani: hoc non eſt probabile, cum ille lacus ſit Allobrogum, qui non vocantur Alamani. Quocirca licet Gemma Phryſius de orbis diuiſione c. 3. lacus Lemani accolas dicat Alemanos eſſe, regionemque eorum Alemaniam; id Mynſingerus ad eaſdem Iuris ciuilis Inſtitutiones non eſſe verum putat. nam ex eo fieret, vt Alamani eſſent ijdem, qui Galli. Equidem in panegyri, quæ dicta Conſtantio, incipit, *Si mihi*, reperio ſitum totius Alamaniæ penitus eſſe deſcriptum, *a Ponte Rheni vſque ad Danubij tranſitum*. Ex quo perſpicuum fit, neque Rhenanum optimè arbitrari, Alemanos, ex ſermone patrio Germanorum vocari, tanquam Græcę ὁλοάνδρυς, id eſt, totos viros; tametſi verum fuerit, ipſos viribus corporis fortes, naturaque vaſtos eſſe. quæ res fecit Alciatum lib. 10. parergôn iuris c. 20. ei opinioni non reluctari. certè communis vſus loquendi quattuor ſyllabis; non vt hęc etymologia requirit, tribus tantum, Almannos protulit. nec ipſi Germani ſe vocant ſua lingua, vt animaduerti Almannos, ſed Tudeſcos. Romani potius, eos ſic appellauerunt, a multitudine bona, qua confluere

 ſolebant.

ſolebant. nam vt Varro ſcribit lib. 5. de lingua latina, bonum antiqui, dicebant manum; quo ſenſu bonas animas defunctorum, manes vocant, vt ad l. 61. decem virorum Nota. 124. demonſtraui. profectò ſocij Latini nominis, hodiè vulgares Itali, per aphæreſim primæ litteræ, duabusq; dictionibus, more Latino vtentes, la magna, patriam Alamanorum vocant. quos imitatur Gemma Phryſius c. 5. Germaniam, cognomine Magnam appellans. quæ ſunt multa ſit de Alamanis. nam oratione. 3. Nota. 12. demonſtraui, nomen Germanorum, a Germanis fratribus ortũ habere.

5 HONESTA Profeſſio. Middendorpius iſtam rem totam ordine ſic narrat lib. 2. Academiarum orbis, vt ego recenſui. Gratianus quoque Imperator, qui diſcipulus Auſonij fuit, ſingulis vrbibus, quæ Metropoles ſunt, cõſtituit electionem fieri nobilium profeſſorum, quibus annonæ liberaliter præberentur. Nobiles autem profeſſores vocat, Grammaticos, & Rhetores, ſicut idem Auſonius in ſua commemoratione Profeſſorum Burdigalenſiũ oſtendit. In quam Elias Vinetus commentatus, Profiteri eſt, inquit, artem aliquam tractare, in eiusque ſtudio totum eſſe, ac eamdem publicè docere: vnde Profeſſores appellati ſunt, magiſtri, doctoresque diſciplinarum. De cuius rei dignitate Cicero in oratione contra Lucium Piſonem, Philoſophia, inquit, virtutis, officij, & benè viuendi cõtinet diſciplinam, quam qui profitetur, grauiſſimam mihi ſuſtinere perſonam videtur. Quocirca Suetonius in opere ſuo de Grammaticis, Lucius Otacilius rhetoricam, inquit, profeſſus, Cneum Pompeium Magnum docuit. Et Iulius Capitolinus in vita Pertinacis, puer litteris elementarijs, inquit, & calculo imbutus, datur etiam Græco Grammatico, atque inde Sulpitio Apollinari. poſt quem idem Pertinax grammaticem profeſſus eſt. Quæ cum ita ſint, Iuriſperiti profeſſionem exercentes maiorem, nempe maioris diſciplinæ legum, ampliori dignitate cenſentur. Itaque Valentinianus Auguſtus titulo Codicis de Pro-

de Profeſſoribus, conſtituit, vt hi, cum ad annos viginti, obſeruatione iugi, ac ſedulo docendi labore peruenerint,& ex lege meruerint comitiuam; tũc eis, qui ſunt ex vicaria dignitate, connumerentur. Quibus ex rebus apparet, Conſtantium verè dicere, quod honeſtà profeſſio augeat, non minuat dignitatem. ideoque ſcholas Auguſtoduni, hoc eſt, Auguſti opidi reſtaurat. nam Gallicè dunum, ſignificat Latinè oppidum, vt oratione. 4. Nota. 5. demonſtraui. & Cornelius Tacitus lib. 3. veteres Gallos Auguſtoduni, quæ nobiliſſima Heduorum vrbs erat, ſtudijs liberalibus operam dediſſe ſcribit. Sed quoniam Eumenius in oratione ſua hanc, Batauicæ cuiuſdam rebellionis latrocinio, euerſam eſſe dixit, Stephanus Pighius in Hercule Prodicio, putat eamdem eſſe ciuitatem Cliuenſium, qui ſunt Batauis viciniores, quàm Hedui. Cleui quoque opidi Antoninum meminiſſe dicit. Sed Lipſius ad Tacitum notat, eum deceptum eſſe, per errorem lectionis Batauicæ, pro Bagaudicæ. quippe, Pomponius Lætus in vita Diocletiani ſcribit, Maximianum tumultus in Gallijs, quos Amandus, & Ælianus excitauerant ſub ſpecie tyrannidis, cum tota familia Bagaudarum (hoc enim nomine turba ruſticorum ſe appellauit) compreſſiſſe mira celeritate, ſtatimque deleuiſſe. Cleuum autem Antonini lib. 4. Nota. 42. dixi Claudioceſtriam Britanniæ, & Cambdenus in Dobunis affirmat eſſe vrbẽ, cuius Epiſcopus Cluuienſis inter Britannorum prę́ſules antiquitus numeratur; & Traiectus ille, cuius etiam Antoninus meminit, è regione Abonis, vbi æſtuarium Sabrinæ homines traijcere ſolebant, Auſtecliuus olim vocabatur. vltra verò Sabrinam in vrbe legionum fuit Academia, ſiluis & aquis, quibus Muſæ gaudent, amœniſſima, viriſque doctis refertiſſima; quod Legionenſe ſtudium Britanniæ antiquiſſimum, ipſiſque Athenis ſitu loci ſimillimum, Caius eſſe credit. non auſim tamen Eumenium Rhetoris nepotem, ibi profeſſum eſſe, dicere, licet Bonoſus Rhetoris filius, in Britanna

tannia natus fierit, vt libro. 5. ſupra demonſtrauimus. Illud quidem dolendum eſt, quod Suetonius de Orbilio ſcripſit, Eum diu profeſſum in patria, quinquageſimo demum anno Romam tranſiſſe, Conſule Cicerone, maioreque fama, quam emolumento docuiſſe. Nam ideo Pertinax veritus hoc idem poſſe ſibi contingere, cum in ſua Profeſſione (inquit Capitolinus) minus queſtus acciperet, per Lollianum Auitum Conſularem virum, patronumque ſui patris dignitatem ducendi ordinis petijt, & præfectus cohortis in Syriam deinde profectus eſt. tandemque ad ſummum Imperij Romani culmen aſcendit.

6 CONTRA Carauſium. Interim dum Herculius in Gallijs tumultus reprimeret, amiſſa Britannia ſimul cum Batauia fuit, duce Cariſio, inquit Pighius, rebelle Romano, ſed inſigni archipirata, cum Francis, atque Saxonibus colludente: quem Germani Batauiq; ſua lingua Carauſium tunc nuncupabant. Quod in Ægęo mari ſemel contigit, vt quæ opertis fluctibus vagabatur, inquit Eumenius, repentè inſula Delos exiſteret, eius nunc ſimile facis Conſtanti in inſulis ad humanos cultus quaſi renaſcentibus, euenire. niſi forte non grauior Britanniam ruina depreſſerat, quam ſi perfuſo tegeretur Oceano, quæ profundiſſimo Pœnorum gurgitè liberata, ad conſpectum Romanę lucis emerſit. quo loco Pighius, legit Pictonum gurgitem. Cambdenus tamen in Britannis Armoricanis, ex veruſto codice Humfredi, ducis Gloceſtriæ, qui nunc eſt in bibliotheca Gulielmi Cecilij Baronis Burghlæi, Angliæque Theſaurarij, legit pænarum gurgitem. & intelligit de calamitatibus & pœnis, quibus Britannia ſub Carauſio affecta fuit. Idemque in Hibernia, Menapij promontorium ad Lybonorum, inquit, tenuerunt, vbi nunc eſt Comitatus V Veshfordiæ. quos aduenisse de Menapijs inter Belgas, gente maritima, nomen indicat. verùm à ex his; vel illis Carauſius iſte fuerit, qui aſſumpta purpura Britanniam contra Diocletianum occupauit, alij dixerint. Nam illum Menapiæ

napiæ ciuem vocat Aurelius victor, & ego lib. 5. Nota. 28. atque vrbs Menapia, quæ ciues habeat, non in Belgica, ſed in Hibernia a Geographis ſtatuitur. Carauſium verò non tantummodo Britannum, vt lib. 1. Nota. 11. demonſtrauimus, ſed vnum ex. 12. Britanniæ Imperatoribus (quos ipſe facit) Humfredus affirmat. Seuerum enim primum; Baſſianum Caracallam, ſecundum; Bonoſum, tertium; Carauſium, quartum; Allectum, quintum; Conſtantium, ſextum, Conſtantinum, ſeptimum; Magnentium octauum; Maximum, nonum. Hic inquit, Helenæ conſobrinus, vir quidem ſtrenuus, & probus, & Auguſto dignus erat, niſi patriam iuuentute ſpoliaſſet, dum exercitum in Gratianum, quem vicit, educeret. Qui etiam ex, Helena vxore, ac Eudæ filia, Victorem ſuſcepit filiũ, ex quo habemus Octauij ducis Viſſeorum cognomẽ Eudam, & eius filiam, quæ nupſit Maximo, Helenam vocari, quod neque Gaufridus lib. 2. c. 3. nec Onuphrius exponit. inde Marcum, Britanniæ Imperatorem decimum; & Gratianum municipem (ſic enim Gaufridus c. 4. appellat) vndecimum. atque poſt hos, Britannici ſanguinis vltimus, inquit, Imperator Ambroſius Aurelius, a Panuinio numeratur. quem tamen & Aurelianum & virum modeſtum Beda lib. 1. c. 16. vocat, qui ſolus fortè dux Romanæ gentis ſuperfuerat, occiſis in Britannia parentibus, regium nomen, & inſigne ferentibus. De quo, illum genere Romanum eſſe quidam putant. & rectè, quantum ad maternum genus attinet. Nam ex genere paterno Britannus erat; filius Conſtantini regis, eo nomine Tertij Britannorum; vt Gaufridus c. 5. demonſtrat. etenim, vt ait Vlpianus l. 1. ad municipalem, tunc maternæ originis aliquis eſt municeps, cum eius origo materna priuilegio cenſetur. Ilienſibus enim cõceſſum eſt, vt qui matre Ilienſi eſt, ſit eorum municeps. & Ponticis ex beneficio Põpeij Magni, hoc idem tributum eſt, vt qui Pontica matre natus eſſet, Ponticus eſſet. Sed ex Pighio nunc auditur, Carauſiuum eſſe Romanũ, vel eumdem Cariſium,

sium, nomine quidem Romano appellari. Sanè illum Eutropius lib. 9. Romanæ historię Carausium, & Aurelius victor Carausionem, sicut Pomponius Lætus contractè, magisque Britannicè, vt ait Huiusredus, Crausionem nominat. typis excusus Gaufridus Carasium, sed manuscriptus Carausium, cum Eutropio vocat, quos sequor. Reliqua Pighij de martyrum ossibus per Helenam collectis, quemadmodum historiæ prouinciales Sancteusium enarrant, amplector.

7. ARCVM è quadrato lapide. Ad Oleni, siue vt nunc nominant, ad Eleni ostium, est burgus, quem Olenacum lib. 5. Nota. 20. dixi. hic ala prima Herculea in præsidio erat. Et ad Caronis ostium, quæ Coria dicitur Ptolomæo, ãtiqua substructio visitur è quadrato lapide, viginti quatuor cubitorum altitudine. ac duodecim latitudine, quam Nennius ait erectã fuisse a Carausio in arcum triumphalẽ, & eamdẽ structuram, murũ appellans, Contra barbaros, inquit, murũ inter Cludi, & Caruni ostia reædificauit Carausius, & septẽ castellis muniuit, domumq; rotũdam politis lapidibus super ripam fluminis Caruni, & fornicẽ triũphalem in victoriæ memoriã cõstruxit. licet Georgius Buchananus id fuisse Termini tẽplũ existimauerit, his versibus:

Roma securigeris prætendit mœnia Scotis,
Hic spe progressus posita, Carronis ad vndam,
Terminus Ausonij signat diuortia regni.

8 OMNES inuisebant. De his primis Britannię martyribus dixi li. 5. Nota. 29. quorum nunc (inquit Gaufridus lib. 2. c. 2.) sepulturæ, ac passionum loca, non minimum diuinæ charitatis ardorem, intuẽtium mentibus incuterent, si non lugubri barbarorum aduentu, deuotio ciuibus adempta fuisset. venerabilis Beda tamen lib. 1. c. 7. tunc Iudex tanta miraculorum nouitate perculsus (inquit) cessari mox a persecutione præcepit, honoremq; incepit referre cędi sanctorũ, per quã opinabatur eos prius a deuotione fidei Christianæ posse cessare. Passus est autem beatus Albanus die decimo

decimo Calẽdarum Iuliarum iuxta ciuitatem Verolamium; vbi postea, redeunte temporum Christianorum serenitate, mirandi operis Ecclesia, eiusque martyrio condigna, extruebatur. In quo loco vsque ad hanc diem (ait Beda) curatio infirmorum, & operatio frequentium virtutum fieri non desinit. Peregrinatio autem religionis ergò, fiebat antiquitus etiam ad vrbem Legionum, vbi Iulius, & Aaron nobilissimi martyres, vt lib. 5. Nota. 13. demonstrauimus sepulti, iacent.

9 PEDES exoscularentur. Pomponius Lætus de magnitudine Imperij Romani disserens, hanc Diocletiani superbiam intolerabilem, opinionemque diuinitatis affectatam recenset; quam ante ipsum Caius Caligula cupiebat. Idemque Lętus pòst, de Nemesi dea disputãs, Diocletiano, inquit, neque honor triumphi, neque ætas imbellis, sed metus rerum humanarum, quæ aut rarissimè, aut numquã consistunt, Imperium deponere suasit. in quo animus eius veram philosophiam imitatus est, quòd affirmaret tunc illuxisse sibi diem, atque tunc se habuisse principium vitæ, cum sic esset magnis molestijs liberatus. Philosophi enim asserunt, dominatum appetere, non esse sapientis hominis. Nam ille sibi vixisse testari potest, qui priuatus, sine rerum publicarum cura, tum ocio studioso, tum rei rusticæ, sicut Diocletianus, indulsit felicissimè. Is etiam summopere in eo studuit, vt liberalitatis, & clementiæ cognomen assequeretur. vnde mihi videtur (ait pomponius) ille Iouius appellatus. Nam qui iuuat, largitur, & parcit. Ius verò a quo abest clementia, veteres crucem appellauerunt. In quibus verbis Pomponius obliuiscitur sui, dum laudat philosophos Epicureos, qui suadebant; vnumquemque sibi viuere, nec ad rempublicam administrandam accedere. quo sensu poëta dixit:

Crede mihi, benè vixit. & intra
Fortunam debet quisque manere suam,

Vt Erasm' adagio λάθε βιώσας, id est, latito viuẽdo,
demon-

demonſtrat. quod eſt, ſic vitã inſtituere, vt nemo te vixiſſe ſciat. Nam quod Lætus Diocletianum clementẽ, & Iouium a iuuando dictum eſſe arbitratur, non adeo probabile eſt his, qui eius acta in imperio conſiderant, & ineptè Maximianus eius collega tamquã obtemperando, vt filius Diocletiani, ſe vocaſſet Herculium, niſi Diocletianus ipſe per ſuperbiam ſe nominaſſet Iouem, quaſi magnum aliquem inter homines Deum, vt lib. 5. declaraui. vbi Nota. 5. ſimilem inſaniam Commodi Cæſaris oſtendi, quem Senatus per irriſionem, & Herculem, & Deum appellari voluit. Nam iſta pedum exoſculatio, quam ſibi Diocletianus adhibuit, nulli mortalium conuenit; niſi quatenus ipſum repreſentet Deum. cuius a morte ſurgentis pedes, Apoſtoli oſculabantur, & eius vicario Pontifici Romano ſimilem honorem Catholici Chriſtiani exhibent: quem Romanum Pontificem Britanni adhuc verbo Latino antiquo Popam, hoc eſt, miniſtrum ſacrificij, vt idem Pomponius interpretatur, ſingulariter appellant. Nam ceteros olim Epiſcopos fuiſſe dictos Papas, in epiſtolis veterum animaduertimus. & Hopperus lib. 2. de iuris arte ſcribit, id vocabulum a Gręcis eſſe ſumptum, apud quos pueri ſuis parentibus, & omnibus natu grandioribus, illa voce πάππα, blandiuntur, qua Nauſica vſus eſt, apud Homerum. Calceus autem dextri pedis Romano Pontifici, tegitur holeſerico rubro cum aurea cruce, quam vt miniſter Chriſti exhibet. Ita ſpecioſus fit pes Sacerdotis Dei, virtute multa (vt ſcribitur) Euangelizãtis; cui, quantum ad ſaluandas animas pertinet, obedientia ſumma debetur. Hoc officij genus die. 11. Ianuarij, anno 1577. equidem præſtiti, Antonio Poſſeuino me deducente ad Gregorium. 13. qui ſummus Pontifex de gente Anglorum, quos diligebat, multa mecum Italicè, ac libenter, ad veſperam vſque loquebatur.

10. ADMONITVS cœleſti viſu. Idem Pomponius in vita Conſtantini, de hac cœleſti monitione loquitur:

loquitur: non tamen ex Nicephoro; qui supra Nota. 2. de visione per quietē Cōstantij narrat, insigne lumē ex Helena, donariumq; mundo nasciturū sed vt arbitror, ex Zonara, qui lib. 2. annalium in Diocletiano, fertur, inquit, Constantio ægrotanti, mœstoque ob ceterorum filiorum ineptam indolem, Angelus adstitisse, qui iuberet vt Constantino relinqueret imperium. tum de Constantini adolescentia, quòd Galerius in pugna Sarmatica mandauerit ei, vt barbarorum ducem armis insignem aggrederetur. Constantinum verò paruisse, eumque correptum, viuentem ad Galerium portasse. deinde Leonem belluam immanem iussisse subsistere: Constantinum autem id quoque certamen, quamuis non siue periculo obijsse. Quæ suspecta videri possent, nisi quia Nicephorus de viso Cōstantij antequā iste filius magnus nasceretur, commemoraret, atque Nazarius in oratione loqueretur de ferocissimis Regibus Acarico & Comite captis a Constantino in ipsis imperij cunabulis, tanquā ab Hercule infantulo geminis draconibus necatis; confestimque subiungeret de Frācis ipsis, præter cæteros truces, probabiliter Sarmatas, quos primò vicerit Constantinus. De Leone quod Zonaras scripsit, dubitatur etiā, poterat alia ferè bestia fuisse, cum qua luctatus Constantinus periculum vitæ subierit, adolescēs audax, vt infra Nota. 14. dicetur. De Constantio autem, quòd vndecim annos regnauerit, suprà dixi lib. 5. Nota. 29. idē Gaufridus lib. 2. c. 3. idem Huttichius in imaginibus Cæsarem, & idem Pomponius affirmant. Licet Eutropius lib. 10. scribat, eundem obijsse Eborari anno principatus decimo tertio. quod Onuphrius intelligit de toto tempore, quo Cæsar etiam cum Galerio Maximiano imperauit. Nam qui legent in quibusdam codicibus pro Maximiano, Maximianum, admonendi sunt, inquit Pomponius, errorem esse, aut a librarijs, aut ex lapidibus acceptum. Constat enim simul imperasse Maximianum, & Constantium: deinde Maximinum, & Seuerum a Galerio Maximiano acceptos, quòd

quod eius Collega Constantius, Italiam, & Africam regere recusasset vt ait Eutropius. Sed cum Allectum bello victum interfecisset Asclepiodotus, ipseque nunc regnaret, contra eum, vt ait Zirixæus surrexit Coëlus, a quo Coëlcestria dicitur, atque eius loco regnauit. Tunc Romani Constantium ad recuperandam Britanniam miserunt. quo veniente Coëlus rex pacem iniens cum Romanis, dedit ei Helenam filiam suam vnicam, simulq; regnum cum eadem concessit, ex qua ipse Constantinum Magnum genuit. quanquam verò historici consentiunt in loco mortis Cōstantij, tamen de sepultura eius non adeo inter ipsos cōuenit. Ad portum Segontiorum vrbs est, quæ Nennio Caër Custeni, id est, vt Latinus interpres vertit, vrbs Constantini Imperatoris dicitur. Qua in vrbe, Matheus Vestemonasteriensis scribit, inuētum fuisse corpus Constantij, patris Constantini, anno post mille ducentos octuagesimo tertio: & illud corpus iussu Eduardi Regis Anglorum primi, honorificè locatum in Ecclesia nouæ vrbis, quam eo tempore de ruinis huius veteris eduxit, & Caërnaruon appellauit. De cuius rei fide Cambdenus in Ordouicibus dubitat. & in Brigantibus, Anno post Seueri obitum plus minus centesimo, inquit, Constantius cognomento Chlorus, Imperator omnibus virtutibus, & Christiana pietate insignis, Eboracum, ad intimum terrarum limen accessit, & in ea vrbe diē obijt, Atque per Apotheosim relatus est in diuos, vt ex antiquis nummis apparet. Nobis retulerunt fide digni, ait Cambdenus, cum ædes Monachorum diruerentur, in crypto porticu ædiculæ, qua Constantium situm fuisse opinio erat, lampadem repertam esse ardentem. veteres enim auro in liquorem pinguedinis, per artem soluto, diutissimè, ac per sæcula multa, ignem in sepulchris arsurum conseruasse Lazius scribit. Hac in vrbe etiam ex priore coniuge Helena Constantinum Constantius suscepit. Hac in vrbe Constantinus patris spiritum excepit, statimq; in Imperatorem leuato purpuram ei milites,

lites, vt in panegyri, *Facerem*, dicitur, vtilitati publicæ magis, quàm ipſius affectibus ſeruientes, iniecere lachrymanti. neq; enim fas erat diutius fleri principem conſecratum. ardoremque illum exercitus Conſtantinum depoſcentis fugere conatus ipſe, fertur equum calcaribus incitaſſe, quum per egreſſus primos copiam ſui feciſſet. quod idem orator adoleſcentiæ quidem errore factum eſſe aſſerens, ò fortunata, inquit, & nũc omnibus terris beatior Britannia, quæ Conſtantinum Cæſarem prima vidiſti? meritò te omnibus cœli, ac ſoli bonis natura donauit. in qua nec rigor eſt nimiæ hyemis, nec ardor æſtatis. in qua ſegetum tanta fœcunditas, vt muneribus vtriuſque, & Cereris, & Liberi ſufficiat. in qua ſunt nemora ſine immanibus beſtijs, terra ſine ſerpentibus noxijs; & è contrario pecorum mitium innumerabilis multitudo, lacte diſtenta, & onuſta velleribus. Certè, quod propter vitam diligitur, longiſſimi ſunt dies, & nullæ ſine aliqua luce noctes, dum illa littorum extrema planicies non attollit vmbras, noctisq; metam cœli ac ſiderum tranſit aſpectus; vt ſol ipſe, qui videtur occidere ceteris, ibi præterire videatur. Ita Cambdenus intelligit Panegyricum loqui de Conſtantio mortuo, conſecrato, & ſepulto Eboraci; deque Conſtantino ibi nato, & Imperatore facto. quod eſt vero ſimilius. aliter enim ineptè in os Conſtantini tam longam laudem Britannicæ terræ protuliſſet orator, atque, Cõſtãtius pater fruſtrà in tabernaculo ſuo, vt ex Nicephoro ſupra demonſtrauimus, talem φωσφόρον ex occidentis Oceano, in quo eſt Britannia, naſci vidiſſet.

11 COGNOMENTO Funarius. Marcellinus lib. 30. rationem huius cognomenti ponit. & quòd Britannicum exercitum Gratianus regeret, cum Conſtantinus Eboraci fieret Imperator, ſupra lib. 5. Nota. 27. demonſtraui. & de nebuloſi maris errore Nota. 28. breuiter expoſui; quod è Panegyri, *Si mihi*, melius intelligetur ſic. Statim Conſtantius Cæſar Gallias ve-

niẽdo vicit. siquidem illa celeritate, qua omnes ortus, atque aduentus sui nuntios præuerit, oppressam Gesorigiam, censibusq; & muris pertinacem, cepit. atque illis fretis portus ademit. omnem etenim sinum portus, quem statis vicibus æstus alternat, defixis in aditu trabibus ingestisque saxis, inuium nauibus Constantius reddidit, atque ipsam loci naturam admirabili ratione superauit, quum mare frustrà reciprocum, prohibitis fuga, quasi illudere videretur; tamq; quod nullo vsu iuuaret inclusos, & quasi redire desijsset. Xerxes Persarum rex potentissimus, pedicas aureas in profundum iecit, dicens se Neptunum alligare, qui fluctibus ferociret. Sed Constantius Cęsar vtebatur consilio, nec elemento aquæ maris insultabat. Itaque statim atque obsidionem soluerat, primus æstus eadem claustra rupit. totaque illa, quoad vsus fuit, inuicta fluctibus acies arborum, veluti signo dato, peractaque statione, dilapsa est. Adeo vt nemo dubitauerit, portum illum, qui piratæ, ne suis opem ferret, occlusus fuisset, Constantio ad victoriam, sponte paruisse. Sanè quidem non sicut Britanniæ nomen vnum, ita mediocris iacturæ per Carausium erat Reipub. Romanæ; si perdita mansisset terra, tanto frugum vbere, tanto lęta numero pascuorum, tot riuis metallorum fluens, tanto immensa circuitu; vt Cęsar ille, cum Romanorum primus intrasset, alium se orbem terrarum reperisse scriberet; eam arbitratus esse tantæ magnitudinis, vt non circumfusa Oceano, sed ipsum Oceanum complexa videretur. Sed enim illa ætate Iulij Cæsaris nec Britannia vllis erat ad naualem bellum armata nauigijs: & Romana res iam inde â Punicis, Asiaticisque bellis, etiam recenti exercitata Piratico, & postea Mythridatico, non magis terrestri, quàm nauali vsu vigebat. Ad hoc, natio tunc etiam rudis, & soli Britanni, Picthis modò, & Hybernis assueta, hostibus adhuc seminudis, facilè Romanis armis, signisque cesserunt; propè vt hoc vno Cæsar in illa expeditione gloriari debuerit, quòd Oceanum nauigasset. At

ſet. At iſto nefario latrocinio, abducta primum à fugiente Pirata, claſſe, quę olim Gallias tuebatur, ædificatis prætereà plurimis in Romanum modum nauibus; occupata legione Romana, interclusis aliquot peregrinorum militum cuneis, cõtractis ad delectum mercatoribus Gallicanis, ſollicitatis per ſpolia ipſarum prouinciarum, non mediocribus copijs barbarorum, malam belli molem coaluiſſe conſtat, quam diuturna ſceleris impunitas adeò inflarat, vt iam communis pœnę timore depoſito, Archipiratam Carauſium, ſatelles Allectus occideret. Cum Conſtantius Geſoriacenſi littore relicto, & in Oceanum, quamuis feruidum, vectus, cunctantibus adhuc Ducibus, & cœlo, & mari turbidis, vltrò ſignum nauigationis daret, die pluuio vela facit, ventumque, quia directus non erat, obliquũ captat, magna felicitatis opinione; quæ ipſum non fefellit. Siquidem ad tempus oportunum nebulæ tantæ ſe miſcuerũt dorſo maris, vt inimica claſſis Allecti cum in Britannia purpuram vſurparet, (ſic enim Cambdenus in Britannicis inſulis declarat) quæ apud Vectam Inſulã in ſpeculis, & inſidijs collocata, Romanorum aduentum prętolabatur, ignorãtibus omnino hoſtibus præteriretur. Romaniique beneficio nebulæ præteruecti, ſtatim atque Britanniæ littus inuaſerunt, vniuerſis nauibus, ne quod præſidiũ fugæ reſeruaretur, ignes iniecerunt. adeoq; feliciter pugnauerũt, vt nemo ferè Romanus occiderit, Imperio vincente Romano per M. Aurelium Aſclepiodotũ, (vt intelligit Cambdenus in Trinobãtibus) qui Allectum iam tertio anno purpurã in Britãnia vſurpatũ prælio deleuit, & omnes illos campos atq; colles corporibus hoſtium texit. inter quos ipſe Allectus vexillarius latrocinij, cultu illo, quẽ viuus violauerat, ſponte depoſito, & vix vnius velaminis indicio, repertus eſt: qui vicina ſibi morte dixerat, Interfectum, ſe nolle agnoſci. enimverò Conſtantius tanta deorum immortalium conſenſu addicta ſibi victoria, ſed præcipuè interfectione Francorum, lætatus eſt. & illi quoque milites eius qui per errorem nebu-

nebulosi maris abiuncti à ceteris, ad oppidum Londinense per Tamisim peruenerant, quicquid ex mercenaria illa multitudine barbarorum prælio superfuerat, quum direpta ciuitate fugam capessere cogitarent, passim tota vrbe confecerunt; & non solùm Prouincialibus Britannis in cæde hostium dederunt salutem, sed etiam in spectaculo voluptatem; victoria triumphorum innumerabilium, qua Britanniæ restitutæ, qua gentes Francorum penitus excisæ, qua multis prçterea gentibus in coniuratione illius sceleris deprehensis, necessitas imposita est obsequendi; denique & ipsa maria ad perpetuam quietem purgata sunt. qua Constantius, alium se orbem terrarum peperisse, & Romanæ potentiæ gloriam restituendo naualem, elementum aquæ maris Oceani, maius omnibus terris, Imperio addidisse dicebat. qua victoria, non Britannia solum seruitute est liberata, sed securitas restituta omnibus nationibus, quæ maritimo vsu tantum in bello periculi adire poterant, quantum in pace commodi consequuntur. Nunc enim secura est, vt de latere Gallico taceā (inquit Panegyricus orator) quauis penè conspicuis littoribus Hispania: nūc Italia, nunc Africa, nunc omnes vsque ad Mçotidas paludes gentes, perpetuis curis vacant; & gratulātur, quòd tanta vis illa nauticæ rebellionis in suis vestigijs conciderit. atq; ipsam Britanniam, quæ sedem tam diuturno sceleri præbuisset, hanc victoriam sola sui restitutione sensisse constat. Meritò igitur statim, atque ad littus illud, exoptatus olim vindex, & liberator appulerat Constantius, obuius sese maiestati eius triumphus effudit, exultantesque gaudio Britanni, cum coniugibus ac liberis obtulerunt; non ipsum modò, quem vt cœlo delapsum intuebantur, sed etiam nauis illius, quæ ipsum aduexerat, vela, remigiaque venerantes, paratique eum ingredientem stratis corporibus sentire. Nec mirum, si post tot annorum miserrimam captiuitatem, post violatas coniuges, post liberorum turpe seruitium, tandem liberi, tandemque Romani, tandem vera im-

perij luce recreati, tanto gaudio ferebantur. Quæ tam multa ex Panegyri dicta Constantio retuli, vt omnes intelligant hunc, & Gratianum, (per quos duæ maximę familiæ Constantini, scilicet ac Valentiniani ortæ sunt, & fidem Christi publicè in orbe terrarum liberam fecerunt) in Britannia eodem ferè tempore, magna cum beneuolentia populi, rem ciuilem, ac militarem administrasse. Nam Adolphus Occo in numismatis, Carausius, inquit, ingenio manuque promptus, ac rei militaris peritissimus, a Maximiano iussus occidi, sumpta purpura intrauit Britanniam, vbi frustrà cum illo bella cœpta sunt, septimo tandem anno ab Alecto socio interemptus, Vrbis Conditę anno 1044. Iouio. 5. & Herculeo. 4. Augustis Consulibus. quę supputatio in fastis Contij dissidet. nam annus ille 44. supra mille, ab vrbe condita, Consules habuit Afranium Annibalianum, & Asclepiodotum: & annus sequens Diocletianum 5. & Maximianum. 4. Consules. Adeo vt Carausius ceperit suum motum anno Imperij Maximiani primo; & per Allectum fuerit occisus Asclepiodoto Consule, qui defunctus fortè Consultatu (si fuit idem) mittitur contra hunc Allectum, Consulibus Dioclerianno & Maximiano. & post ipsum, propter ingentis periculi metum de hac successione rebellium, submittitur Constantius, fidissimus, fortissimusque rerum Romanarum propugnator, & postea nobilissimus Cæsar, & vnà cum Maximiano altero Cæsare Consul factus est anno vrbis 46. is post Christum natum supra ducentos nonagesimus quartus est. Quę secundum Contium supputatio est anterior vno lustro, quam nostra lib. 5. Nota. 29. idque propter reformatam à Cardinali Baronio Chronologiam annorum, nempe duorum, quibus Carum cum filijs imperasse ferunt; & trium, quos post exordium Imperij Diocletiani ponunt. qui constituit, vt â prima die sui Imperij, sequentes anni numerarentur. perseuerauit idem vsus apud nonnullos vsque ad tempora Iustiniani, factumque est, vt & Christiani etiam non aliquo

honore illius Principis sed vsu quodam communi ad tempora peruestiganda, à prima die Imperij Diocletiani annos enumerarent. & nos deinceps in recensendis Principibus sequemur.

12 IN Britanniam veniunt. Gaufridus lib. 2. c. 5. Cum Constantinus solio regni potitus esset, inquit, maximam morum probitatem intra paucos annos habere, Leonis feritatem ostendere, iustitiam in populo tenere, latronum rapacitatem hebetare, tyrannorum sæuitiam conculcare, ac pacem vbique renouare cœpit. Ea tempestate erat Romæ tyrannus Maxentius, qui viros probos bonis exuere conabatur. Propter ipsius igitur sæuitiam exterminati nobiles ad Constantinum in Britanniam fugiebant, & honorificè, ab eo suscepti, cum tales multi cōfluxissent, ad concipiendum odium contra Maxentium incitauerunt, sæpissimèque sic alloquuti: Quousque tandem, inquiunt, calamitatem, exiliumque nostrum pateris Constantine? quid nos in natale solum restituere differs? solus tu es, qui Maxentio expulso, quod amisimus, reddere potes. Obsecramus te, redde possessiones, redde coniuges, redde liberos nostros nobis. Romam cum exercitu fortitudine militum robusto, copiaque auri & argenti diuite, venito. Quibus excitatus Constantinus adiuit Romam, eamque recepit, ac postea totius mundi Monarchiam obtinuit. Conduxerat autem secum tres Auunculos Helenę Leoninum, Trahernum, & Marium, quos in Senatorum ordinem promouit. Hæc sunt omnia, quæ Britanni de Constantino nuda, & simplici fide, ac sine verborum iactantia vlla scripserunt; cetera sunt ab historicis Romanis, Græcisque prolata copiosius. neque satis assequitur quis causam, propter quam authores Panegyrici, semper de insula Britannia loquantur in os Constantio patri, Constantinoque filio, nisi quòd ille ibi vxorem, iste ibi ex ea vxore natus, patriam consequeretur.

13 ILLIC oriendo. Hæc sumuntur ex Panegyri *Dixerint*. Liberauit ille Constantius Britannias, inquit,

quit, ſeruitute: tu Conſtantine Britannias etiam nobiles, illic oriendo feciſti. vbi liber meus impreſſus Duaci a Baltazare Bellero typographo diligente, habet notam in margine, quòd hæc ideo ſic pronũciata ſunt, quoniam in Britannia Conſtantinus natus fuit. eamq; interpretationem verborum tam apertã, manifeſtamq; dicit eſſe Cardinalis Baronius, vt eis refragari, ſit extremę dementiæ. Licet alius Rhetor in Panegyri, *Si mihi*, relatus ſupra Nota. 11. ortus Conſtantij, vocet aduentus eiuſdem, adeo vt illic oriri, poſſet videri dictum, pro, illic aduenisse ad Imperium: niſi paulo poſt iſte Rhetor, videretur negaſſe Conſtantinum, in Britannia creatum Imperatorem, propterea quòd Cæſaris nomine contentus eſſet, donec Fauſtam, Maximiani Herculij filiam, duceret vxorem, ſic enim Quum tibi pater Conſtantius Imperium, inquit, reliquiſſet, Cæſaris tamen appellatione contentus expectare maluiſti, vt idem Maximianus te Conſtantine declararet Imperatorem, qui illum declarauit Auguſtum. Siquidem ipſum imperium hoc fore pulchrius iudicabas, ſi id non hereditarium ex ſucceſſione cepiſſes, ſed virtutibus tuis debitum â ſummo Imperatore meruiſſes. Proinde Humfredus Lhuidus ante annos triginta fragmentum Britannicę deſcriptionis edens: Cùm Britannia Conſtantinum Magnum, inquit, non ſolum fortiſſimum, & fœliciſſimum Ducem, ſed etiam, quod eſt maius, optimum virum, & Chriſtiani nominis primum Imperatorem, â matre Helena Britanna edoctum, reliquo mundo communicauit: quantum huic Britanniæ ob hunc virum in ſuis viſceribus genitum, debent & Gallia, & Italia tyrannis liberata? quantum Chriſtiana religio? certè noruntomnes, præter vnum Polydorum, & ſuum præceptorem, Gulielmum Paruum, cuius liber nuper in lucem editus â Britannicæ gloriæ obtrectatoribus; eſt indignus, qui lucem videret. Quia verò Gallus quidam nuper; & maioris nominis antiquus author Grecus, Conſtantinum Dyrrachij natum affirmant, in medium adducam, inquit Humfredus.

verba sermonis Panegyrici coram ipso Constantino recitata: ô fortunata, inquit, & nunc omnibus terris beatior Britannia, quæ Constantinum Cæsarem prima vidisti. & cetera, quæ superius Nota. 10. recensentur: Ita quidem exclamatio de solo Britannico, pertinere videtur ad natale solum Constantini, vt apparet ex his paulo pòst sequentibus verbis: Dij boni, quid hoc est inquit, quòd semper ex aliquo supremo fine mundi, noua Deûm numina vniuerso orbi colenda descendunt? Sic Mercurius a Nilo, sic Liber ab Indis, Deos se gentibus ostendêre præsentes. Sacratiora profectò sunt mediterraneis, loca vicina cœlo, & inde propiꝰ â Dijs mittitur Imperator, vbi terra finitur. Quæ verba de Constantini patria intelligenda esse, demonstrat exemplum Mercurij, nimirum illius quarti. quem Cicero lib. 3 de natura deorum scribit, Nilo patre natũ, nec Ægyptios audere illũ nominare. Nam alioquin inanis fuisset illa vehemẽtia oratoris, in pręsentia tanti Principis, de beata, deq; nobilitata Britãnia exclamantis, propter initia sola Imperij ibidem facta. cùm per mortẽ Septimij Seueri, sicut Constãtij in vrbe Eboraco iam antea contingentẽ, duo filij eius, Antoninus, & Geta simul imperare cœperunt, nec vllus tamen scriptor hanc ab causam, insulam beatã nominauerit. non herculè magis, quàm Ambianos fèlices quòd apud eos Gratianus â Patre Valentiniano Imperator creatus esset. Sed antiquum authorem Gręcum, quem vocat Humfredus, credo Nicephorum esse, cuius testimonium, ex circumstantijs, friuolum fuisse, superius Nota. 2. demonstraui. Quis enim scribit Constantium ad Persas in oriente missum legatũ? in Dalmatia, in Hispania, in Gallia, in Britannia fuisse cõmemorant omnes, & lib. 5. declaraui. Certè magna Humfredi obliuio est etiam, quòd eum putet antiquum esse, qui sub Andronico Maiore, & Michaele filio eius, Andronicoque Minore, Michaelis huius filio, Palæologis, Imperatoribus Constantinopolitanis, duntaxat ante annos plus minus trecentos vixerit; suumque opus historiæ Ecclesiasticæ illi

gæ illi Andronico Maiori, filio Michaelis Maioris, qui Latinos ex Imperio Constantinopolitano eiecit, ipse dedicauerit, sicut adnotatio manifesta, libris eius pręfixa demonstrat. Itaque Cardinalis Baronius hanc rem diligenter exprimens, Nicephorum vocat recentiorem, aliosq; Græcos, recentes auctores, qui commentitiæ historiæ fidem præstiterũt, & eiusmodi fabulam, quòd Helena fuerit Bithyna genere, concinnauerunt. Insuper addit, æquius esse dicere, Helenam fuisse Britannam, quàm Bithynam, quum ipsam certum sit, peperisse in Britannia Cõstantinum, idque tempore Aureliani Imperatoris, âquo missus est Cõstantius Claudij Imperatoris recenti memoria clarus, cum exercitu in Britanniam, vt populum illum sæpius tumultuari solitum, in officio, ac fide Aureliani contineret. cuius Imperatoris anno quinto, ex Eusebij sententia, Constantinus natus fuit, ipso Aureliano secundùm, & Iulio Capitolino Consulibus. Multo igitur antiquior Nicephoro, est Gregorius Magnus Pontifex, qui Edilbertum regem Anglorum, quasi Constantini magni successorem appellat, vt lib. 2. Nota. 20. demonstraui: non facturus id quidem, nisi Constantinus ibi natus, regnauisset. Quippe Beda lib. 1. c. 8. scribit, ex Eutropio, quòd Constantinus in Britannia creatus Imperator, Patri successerit in regnum. & c. 32. ex Gregorio ad Edilbertum, quòd ipse Deus, nomen eius posteris redderet gloriosius, si honorem Dei quęrat, & seruet in gentibus. Sic enim Constantinus, quondam, pijssimus Imperator Romanã Rempublicam inquit â peruersis idolorum cultibus reuocans omnipotenti Deo, Domino nostro Iesu Christo secum subdidit, Et nunc vestra gloria cognitionem vnius Dei nuper accipiens, ita Regibus, ac Populis sibimet subiectis infundere festinet, vt antiquos gentis suę Reges, laudibus ac meritis superet. Cui consequenter Gregorius. 13. Pontifex, dum amplificaret Collegium Anglicum Romę, iussit Ecclesiæ Anglicanæ trophæa, quæ sunt passiones martyrum, depingi. Hæ imagines

nes Nicolai Circiniani opera pictæ, Pontificisque eiusdem auctoritate typis excusæ, folio, 7. sic habent: Constantinus in Anglia natus, ibique Imperator creatus, visa cruce de cœlo, audit, *In hoc signo Vinces.* & Maxentio superato Romam liberat. Cui elogio videtur acquiescendum. Nam &, ex imagine picta in palatio Aquileiensi, Panegyricus nuptialis, sponsalia Constantini cum Fausta demonstrat.

14 TVRBIS se Constantinus immiscuit. Hæc sumuntur ex Panegyri, *Vnde mihi,* & frigidè laudãtur propter quandam Constantini audaciam, egregiè sic exprobatam ei: Laudare me Imperator existimas cuncta, quæ in illo prælio feceris? Ego verò iterum queror. Nam antè conquestus erat, vix quarta parte exercitus contra centum millia armatorũ hostium, Alpes transgressum esse Constantinum: queritur autem nunc sic expostulando: Cur ipse pugnasti? cur te densissimis hostium globis miscuisti? cur in pericula tanta salutem Reipub. misisti? An nescire nos putas, quòd dum nimio rapereris ardore, in media hostium tela deueneris? & nisi viam tibi cædibus aperuisses, spem totius generis humani, & vota deceperas? Quid tibi est, cum inferiore fortuna? Illos pugnare fas est, quibus suo cuiusque fato, aut vincendum, aut cadendum est. tu, cuius ex vita omnium fata pendent, ad vllum discrimen accedas? inter tot tela, gladiosque versêre? quis exigit hoc a te? aut quis pati possit, vt in te quicquam belli casibus liceat? deceat te Imperator hostem ferire. immo non deceat laborare. Ignaua, inquies, sunt hæc, sed tuta. grauiorque metus est tui periculi, quàm lætitia tuæ victoriæ. Hæc ego non dicerem, neque ab alijs dicta memorarem, nisi beneficio tuæ lenitatis, tutior esset nostra in verbis, quàm tua in armis audacia. Nazarius ante profectionem hunc in Italiam, commemorans Bructeros, Clamasos, Eruscos, Vangionas, Alamanos, Tubantes Hi bellicum strepunt, inquit, & ipsis vocabulis horrorem adhibent. Hi omnes sigillatim, deinde pariter armati, conspiratione

ſpiratione fœderatæ ſocietatis exarſerant. tu tamen Conſtantine cum tantam belli molem videres, nihil magis timuiſti, quàm ne timereris. Adis barbaros, & diſſimulato principis habitu, quàm proximè poteras, cum duobus accedis. Nunquam excelſior eſt Principatus, quàm cum ſe officio publico ſubmittit. Facis verba, ſpem illorum agitas, & verſas; crudelitatem negas eſſe præſentem. ô verè cæca barbaria, quæ in illo vultu, ſigna Principis non videris; quem ne ſic quidem ſenſeris, quum intra iactum teli ſecurus ſui ſtaret? poteſtne dubitare, Conſtantinum eſſe, qui hoc poterat, non timere? ipſumque per omnia ſubnixum Deo, vadere? Reſtat alia Conſtantini audacia in Panegyri *Facerem*. Non fortuita hominum conſenſio, inquit orator, non repentinus aliquis fauoris euentus, te Conſtantine, Principem fecit: Imperium naſcendo meruiſti. quod quidem mihi Deorum immortalium munus, & primum, & maximum eſſe videtur, In lucem ſtatim felicem venire; & ea, quæ alij vix totius vitę laboribus conſequuntur, iam domi parta ſuſcipere. quamuis etiam magna ſit, & admiranda felicitas, quæ ſtipendijs in ordinem meritis, & militiæ gradibus emenſis, ad faſtigium iſtud maieſtatis aſcendit, & ſolis radicibus nixa virtutis, ad tantum potentiæ robur inualuit. Quod quidem etiam tu, quantum per ætatem licuit, conſecutus es. & quamuis te ſuper omnes acquirendæ gloriæ moras fortuna poſuiſſet, creſcere tamen militando voluiſti, & adeundis periculis belli, ac manu cum hoſtibus etiam ſingulari certamine conferenda, notiorem te gentibus reddidiſti; quum nobilior eſſe non poſſes. Magnum eſt, inquam, ab ſe prouectum ad maxima peruenire: lõgè tamẽ aliud eſt, niti per ardua, & iuga montium. magnũ eſt, petere plano; aliud, ipſa ortus ſui ſublimitate fultum, tenere verticem fortunæ, ac ea quæ ſumma ſunt, nõ ſperare, ſed habere.

15 CVM prudentia iuſta. Ex eadem Panegyri, *Vnde mihi*: Hæc omnia quum cogitares, ſcires, videres, Imperator, neç te paterna grauitas, nec tua natura

(inquit

(inquit orator) te temerarium esse pateretur, dic quæso, quid in consilio, nisi diuinum numen habuisti? An illa te ratio ducebat? Sua enim cuique prudentia, Deus est; quòd in tam dispari contentione non poterat melior causa non superare; & innumerabiles licet ille Maxentius copias pro se objceret; pro te tamen iustitia pugnaret. Vt enim omittam illa, quæ non decet comparari, quòd erat ille Maximiani suppositus partus, tu Constantij Pij Filius: ille despectissimæ prauitatis, tu (quod sufficit dicere) tantus ac talis; vt hæc omittam, te, Constantine, paterna pietas, illum (vt falso generi non inuideamus) impietas: te clementia, illum crudelitas; te pudicitia sola dicata coniugio, illum libido stupris omnibus contaminata: te diuina præcepta, illum superstitiosa maleficia sequebantur. Ex qua comparatione reprobatur illa Constantini Natiuitas de concubina, vel hospitis filia, extra matrimonium cognita, vt superius Nota. 2. demonstrauimus. etenim filius Constantij Pij non diceretur. cum, vt ait Vlpianus l. 6. de his, qui sui iuris sunt, filium definiamus eum, qui ex viro, & eius vxore nascitur. Item intelligimus carmen, Iuuenalis qui de rebus benè agendis Satyra. 10. scripsit:

Nullum numen abest, Si sit Prudentia, sed te
Nos, Fortuna, Deam facimus, cœloque locamus.

16 CRVCEM nodosam. Cambdenus in Trinobantibus hoc narrat. Deque Helena Constantinum pariente profert istud Alexandri Nechami carmen.

Effulsit, sydusque dedit Colcestria vitæ.
Sydus, erat Constantinus, quem Roma colebat.

Nihilo tamen secius ex sanctissimis Ecclesiæ Patribus, inquit, Helenam stabulariam fuisse: Drepaniique natam in Bithynia ex Nicephoro probat cuius quidē Nicephori opinionem fregimus Nota. 2. superius. Nec is ex sanctissimis Ecclesiæ Patribus est, sed Ioānes Crispinus in suo Chronico scribit, Sanctum Ambrosium, in oratione funebri de obitu Theodosij, dicere, Hele-

niam fuisse ancillam stabulariam, cum tamen Ambrosius hoc non affirmet sed, *Stabulariam primò fuisse asserunt*, inquit, & sic cognitam Constantio seniori, qui postea regnum adeptus est. nusquam dixit ancillam stabuli. neque memini, quibus in terris fæminæ sint stabulariæ. Ioannes Rioches Brito lib. 1. compendij historiarum Ecclesiasticarum c. 42. A Romanis, inquit, Constantius mittitur contra rebelles Hispanos; quos cum subiugasset, missus etiam fuit in Britāniam, quæ nūc Anglia dicitur, vbi cum pace cunctis dispositis, moritur Rex Coëlus, relicta vnica decora maximè, prudentissimaque filia, nomine Helena. quæ timore Constantij a nutrice absconditur, sub habitu plebeio, apud quendam ruralem. vnde a beato Ambrosio dicitur stabularia. Constantius agnita eius gratia, primò eamdem, vt Concubinam, ad tempus suscepit. sed postmodum sentiens esse filiam Regis, desponsauit eam, in vxorem, & ex ipsa genuit Constantinum Magnum. Qua narratione bonus author iste declarat, vnde sit ortus rumor, quòd Helena esset stabularia: de quo rumore tantum per verbum, *Asserunt*, Ambrosius loquitur. quale quid de Adelstano Rege Anglorum ex rustica puella nato supra lib. 1. Nota.33: dictum est, similiter ex populi voce. sed ego considerans Ambrosium deinceps alludere ad nomen bonæ stabulariæ, non puto recedendum ab officio Comitis stabuli, quod Coëlus pater Helenæ, vt lib. 5. Nota. 26. demonstrauimus, habebat. qui Constabularius, Primipilusq; vocatur a Gyraldo, & Cambdeno in Demetis. Nam ad hanc Primipili dignitatem ob fortia facta, Scæuam Britannum, vt lib. 4. N. 27. dixi, Cæsar euexit. Quæ quanta sit, Ludouicus Viues in dialogo de Regia, exprimens, Ille inquit, est Magister equitum, quem vulgo Comitem stabilem appellant; nomine ex aula Græca sumpto, vbi magnus Comestabulus cognominabatur, sicut Præfectus maris, Admiralis. Nam in sua interpretatione ad eumdem dialogum, Petrus Motta, Sicut a Romanis, magister

equi-

equitum creabatur, inquit, qui comes esset Dictatori: ita apud Hispanos, qui secundus a Rege est, cui vexillum Regni maximũ committitur, Comes stabilis appellatur: cuius veluti cum rege societas, in edictis publicis, atque solemnibus declaratur, his verbis: Iubet Rex, atque eius Comes stabilis, elegantiori nomine, quàm apud Græcos Comestabulus; quem Raphaël Volaterranus ait, esse caput togatorum Francorum. Ecce, dum quęritur elegantia Latini sermonis, ex stabilitate societatis cum Rege; amittitur veritas stabuli, quo equitum magister vtebatur: Equi enim, a quibus equites nomen habent, non societate regis, sed stabulo regni censentur. Itaque Marcellinus lib. 26. Cum Valentinianus percontaretur, inquit, quemnam oporteret ad Imperij consortium adsumi, Dagalaiphus equestris militiæ rector, fidenter respondit, Si tuos amas, habes fratrem si rempublicam, quære, quem vestigas. Quo dicto asperatus ille Nicomediam itineribus citis ingreditur, Valentem fratrem, stabulo suo cum tribunatus dignitate præfecit. Inde cum venisset Cõstantinopolim, Valentem, Augustũ pronunciauit. ac lib. 30. Cum Valentinianum, inquit Marcellinus, oblatus equus non susciperet, subtristem ex viso nocturno de luctu vxoris, (quasi præsagio mortis suæ;) sed anteriores pedes præter morem, idem equus erigeret in sublime, dexteram stratoris abscindi iussit, quæ insilientem eum iumento consueto pulserat. innocensque Iuuenis perisset, nisi Tribunus stabuli Cerealis, dirum nefas cum sui periculo distulisset. Quibus ex verbis Marcellini, satis apparet magna dignitas Tribuni stabuli. quanto maior ergo, Comitis stabuli? & hoc modo filiam Comitis stabuli, veteres vulgò Helenam, cum honore, stabulariam vocabant. Bona stabularia Helena (inquit Sanctus Ambrosius) Hierosolymam festinauit, & scrutata est locum Dominicæ passionis; tamque diligenter pręsepe Domini requisiuit. Bona stabularia, quę stabularium non ignorauit illum, qui vulnera curauit hominis, à latronibus vulne-

vulnerati. Præſtat igitur huius matris natale ſolum ſic expedire, vt antè Nota. 13. fecimus, eius filij Conſtantini, videlicet, teſtimonio imaginum Collegij Anglorum Romani, folio. 8. ſic; Sancta Helena, Coëli Regis Angliæ filia, Conſtantini Imperatoris mater, Hieroſolymis Chriſti crucem effodi iubet. E tribus inuentis Crucibus, Machario Epiſcopo ſuadente, quæ vera Chriſti ſit, curationis miraculo dignoſcitur.

17 BRITANNIAE præfecto Clemente Maximo. hanc Octauij Eudę rebellionem Gaufridus incipit narrare lib. 2. c. 3. & perficit c. 4. vbi Veſtenaualia liber typis excuſus habet, pro nauibus locis in occidente; manuſcriptus, & Stoueus, Veſtmarlandiam vocant. per quam inſulæ partem non ſoluitur naualibus ad Noruegiam, niſi fortè propter amicitiam Comitis illius municipij, qui valdè beneuolus Octauio abſenti fuit, vt eius cauſa Trahernum occideret. Iſte Maximus Conſtantini conſanguineus, & Coëli regis nepos, ex Imperatorum genere prognatus dabat ſpem fore, vt ex nuptijs ſuis, firma, ſtabilique pace Romani Britannos protegerent. quem Cambdenus in Cantio Clementem nominat, & Rhutupijs ſub Comite littoris Saxonici Præpoſitum fuiſſe credit, Legionis Secundæ Auguſtæ, quę a Claudio Imperatore traducta ex Germania, plurimos annos Iſcæ Sylurum in Vallia conſederat, & Rutupias tranſlata fuit, cum Saxones piratæ ſublatis commercijs, maria bello intercluderent, & Britannica littora crebris latrocinijs infeſtarent. Præfectum autem ijs militibus Maximum a Conſtantino Principe, cùm ie Britannia in Galliam proficiſceretur, Polydorus virgilius lib. 3. demonſtrat. quod cōſentit cum ſecundo eius exitu de Britannia. nec enim cauſa videtur cur Britannos ſibi domeſticos vinceret Conſtantius, niſi quòd huic Octauio, Duci Viſſeorum rebelli adhęſerint, & Trahernum occidiſſent. Nam Euſebius lib. 1. de vita Conſtantini c. 19. Reliquas orbis partes ante oculos proponens, inquit, tandem traiecit Conſtantius ad Britannos, Occa-

Oceani littoribus vndique conclusos. Quos cum vicisset, alias mundi partes animo complecti cepit, vt his, qui opis eius indigerent, subsidio maturè veniret. Certè Ausonius Maximo infestus, quòd Imperatorem Gratianum discipulum suum occidisset, in libro de claris vrbibus, ac nominatim de Aquileia, vbi Theodosius Maximum postea occidit, ipsum ob hanc, quam dixi, Præposituram. Rhutupinum latronem appellans,

Maximus armigeri, inquit, quōdam sub nomine lixæ,
Felix, quæ tanti spectatrix læta triumphi,
Punisti Ausonio Rhutupinum Marte latronem.

Sic enim malo, *Punisti*, quàm *Fudisti* legere. quia Maximus morte punitus est, vt moribus contrarius Belino Deo loci, de quo lib. 3. Nota. 7. demonstraui.

18 FLAMINES consulit. Vitia Constantini varij, authores variè scribunt. Pomponius Lętus in vita, eius hanc Faustę Coniugis cum Crispo priuigno intemperantiam, & ex credulitate, Constantini crudelitatem, in vtroque occidendo refert. Et Zosimus Comes lib. 2. Post necem illatam, inquit Crispo filio, & Faustæ vxori, Constantinus vt se his facinoribus expiaret, ad idolorum sacerdotes, Flamines accersit, lustrationes commissorum exposcens. Illis autem respondentibus, non esse traditum modum lustrationis, qui tam fœda piacula eluere possit, ad Christianos confugit, suasione cuiusdam nomine Ægyptij, pollicentis apud Christianos reperiri omnium peccatorum veram, certamque expiationem. cuius etiam consilio cuncta fecit; præceptisque, quę Ægyptius offerebat, parendo diuinationem suspectam habere cœpit, & ea de causa Senatui, Populoque Romano redditus est infensissimus. atque ideo proculcata Deorum religione, profectus est in Orientem, & nouæ construendæ Ciuitatis initium fecit. Hæc Zosimus, quem licet Ethnicum historicum, & multa insigniter mentitum esse, vt in Christianos texeret calumnias, dicat Cardinalis

Baro-

Baronius ad Romanum Martyrologium die. 22. Augusti, tamen hac in re iterum atque iterum examinata, & ex Constantini rescriptis, certissimisque vetustatis monumentis accuratè discussa, idem approbat. Quod autem pertinet ad Constantini lepram, licet eadem tum actis Siluestri, tum etiam Romanæ Synodi testimonio confirmetur, scimus tamen, inquit Baronius, complures viros eruditos multum dubitare, cum audiunt, consilio sacerdotum Capitolij, sanguine puerorum balneum præparandum fuisse ad curandum Constantini lepram. At in primis, quis miretur, Constantinum lepræ morbo laborasse, cum & Constantiam eius filiam eadem tabe affectam, eius acta certa, veraque testentur? Sanè quidem vbi morbus iste erat frequentior in Ægypto, regias personas eo etiam tangi consueuisse, atque ex humano sanguine confecto balneo morbum elephantiacum curare solitos esse, Plinius lib. 26. c. 1. demonstrat. Polidorus Vergil. lib. 2. scribit. Sæpe accidere, vt longa vita sit homini malè Constantinum enim benè de Christiana religione meritum, postremò Arrianum dogma, Hieronymo teste, non declinauisse. sed lib. 2. Chronographiæ Pontacus, Constantinum, inquit, senem Hieronymus, idque ab Arianis fuisse baptisatum tradit; deceptus autem est vicinia nominis, & falsò rumore. sibi enim in angulo terræ posito (vt loquitur) multa potuisse ignota esse fatetur, in libro de viris illustribus. Itaque quod de Constantino filio dicebatur, id traduxit ad patrem. Ille enim in extrema ętate fuit rebaptizatus, &, vt ait Damasus, ab Eusebio Nicomediensi Arriano. Quali rumore falso videtur Ambrosius fuisse deceptus, tam in vocando Helenam stabulariam, quam in credendo Constantinum fuisse senem, cum baptisaretur. dicit enim in eadem oratione funebri, licet Constantino baptismatis gratia in vltimis cōstituto, peccata omnia dimiserit, tamen quòd primus Imperatorum credidit, & post se fidei hæreditatem principibus reliquit, magni meriti locum reperit. cuius temporibus comple-

tum est illud prophetæ Zachariæ c.14. In illo die, quod super frenum equi est, omnipotenti Domino sanctum erit. Quod illa sanctæ memoriæ Helena mater eius, infuso sibi sancto spiritu reuelauit. Itaque aperit Hierosolymis humum, tria patibula confusa reperit, quæ ruina contexerat. Sed obliterari non potuit Christi triumphus. ex inuento propè titulo, salutaris ipsa crux patuit. Inde quęsiuit clauos quibus crucifixus est Dominus, & inuenit. De vno clauo frænos fieri pręcepit, de altero diadema intexuit, vnum ad decorem, alterum ad deuotionem vertit. Itaq; misit filio suo Constantino diadema gemmis insignitum; quas innexas ferro crucis, pretiosior gemma diuinæ redemptionis connecteret. Misit & frænũ, mater anxia pro filio, cui regnum orbis Romani cesserat. & vtroq; Cõstantinus vsus est, & fidẽ ad posteros reges transmisit. Quibus ab Ambrosio dictis consentiens Alexander ab Alexandris lib. 6. genialium dierum c. 4. Mirum, inquit, de Diocletiano proditur, qui spõte deposito imperio, primus sine imperio, populi iussu, patribus auctoribus, cœlestes honores, & apotheosim meruit. Et de Cõstantino Maximo, qui diuersarũ religionũ assensu, ab ethnicis inter diuos, & a Christianis inter sanctos relat⁹ fuit.

19 OCCIDENTIS Prouincias. Onuphrius lib. 1. Romanorum Principum, Constantinus Iunior, inquit, imperauit in Occidente, videlicet Gallia, Hispania, Britannia & Germania. quibus verbis Occidentis imperium, quod appellant, constare monstrat præcipuè regnis his quattuor. istasque prouincias occidentis, quæ in donatione Constantini ex altera parte respondent prouincijs Italiæ totius, hodiè liberas, nec Ecclesiæ Romanæ iuribus, ditioni, potestatique subiectas esse videmus. Quod qualiter acciderit, Boëtius Epo lib. 2. quęstionum de iurisdictione Ecclesiasticorum temporali, ac donatione Constantini quęstione.3. demonstrat. Obedientiam, vel subiectionem, nempe contra summum Pontificẽ nullo modo pręscribi posse, quoad subiectionẽ in spiritualibus, cum sit iuris diuini.

Sed

Sed obedientiam contra ſupremum principem ſecularem, vel etiam ſpiritualem, id eſt, Pontificem, quoad ſubiectionē in temporalibus, præſcribi poſſe, ſic videlicet, vt pręſcribens fiat ipſe ſummū inter ſuos caput, cui debeatur obediētia, quemadmodum de tribus his Regibus, Hiſpanię, Fráciæ, & Anglię ſentiunt legū interpretes. Per irruptionem verò Gottorū, Vandalorum, Hunorum, Longobardorum, Francorū, Burgundionum, Normanorum, Anglorum, ſimiliumq; gentium tunc Ethnicarum, vehementer imminutū fuiſſe Imperium Romanum; cum alibi, tum per vniuerſas penè regiones Occidētis, quæ Pontifici ceſſerant ex hac donatione Cōſtantini; ſicq; iure belli factas fuiſſe hoſtis victoris, & per cōſequens Pōtifici, & Eccleſiæ Romanæ, quemadmodū & Imperio Romano deceſſiſſe, perijſſeque; donec tādem ex noua Principum, partim illorū ad Chriſti fidem tandem conuerſorū, partim aliorū piorum liberalitate, res nonnullę per Cōſtantinum olim donatæ, reſtituerentur. Sic enim Polydorus Vergilius lib. 4. Inas a Cerdicio vndecimus rex occiduorū Saxonum, inquit, Regnum ſuum Romano Pontifici vectigale fecit, ſingulis argēteis nummis, quos denarios vocant, in ſingulas domos impoſitis. Fecit idem eius exemplo ductus, Offa rex Merciorum, qui non multo poſt id tempus regnauit, anno circiter plus ſeptingentis quadrageſimo. Poſtea vectigal hoc auxit Etheliuolphus, qui totius ferè inſulæ imperium obtinuit. denique omnis Anglia pietatis, & religionis cauſa, vectigal iſtud domeſticatim collatum, Romano Pontifici pendebat, & illi nummi argentei, vulgo vocabantur, denarij diui Petri; quos Pontificius Quæſtor, quem non inſcienter Angli collectorem nuncupant, exegit. Nos hanc quæſturam olim, inquit Vergilius de ſe, per aliquot annos geſſimus, & eius muneris obeundi gratia, primùm in Angliam venimus, verumenimvero Franciſcus Hotomannus in diſputatione de Feudis c. 8. refert ex Æneа Syluio, Conſtantini donationem nunquam factam eſſe, ac fuiſſe Carolum, quam ex vi-

ctoria Longhobardorum, Romanam Ecclesiam ditauit. Sed Nicolaus Sanderus lib. 7. de visibili monarchia Ecclesiæ, Plura inquit, Pontificibus Romanis ab Imperatore concessa sunt, quibus optimi quique Pontifices vel vsi ab initio non sunt, eo quòd pompam secularem illi honores sapiebant, vel certè ijs non sunt delectati. Ammianus Marcellinus lib. 27. de partium Vrsicini & Damasi contentione ob Pontificatum Romanum agens, neque ego abnuo, inquit, assentationem rerum vrbanarum considerans, huius rei cupidos ob impetrandum, quod appetunt, omni contentione laterum iurgari debere: cum id adepti, futuri sint ita securi, vt ditentur oblationibus matronarum: procedantque vehiculis insidentes, circumspectè vestiti, epulas curantes profusas, adeo vt eorum conuiuia Regales superent epulas. Quòd si tãto cum splendore Pontifices Romani, & procedebant, & epulabantur, inquit Sanderus, cum certum sit id ipsos ante Constantini ætatem non fecisse, quis neget hoc ipsum a Constantini temporibus inchoatum debere etiam ex occasione donationis ab ipso factæ videri profectum? Certè Pomponius Lætus in vita Magnentij, suam Romam vocat Constantij Constantini filij perinde quasi patris eius donatio vrbis, tunc ignorata fuisset. Quod idem Hotomanus affirmat, ex Antonino Florẽtino Episcopo, tanquam negante canonem 14. decretorũ, distinctione 96. in antiquis decretis inueniri; Sed cum ille canõ reperiatur in antiquis libris meis decretorum, de quibus lib. 1. Nota. 30. mentionẽ sic, & eius authoritas hodiè per Gregorium. 13. approbetur in eisdẽ decretis Gratiani ab ipso reformatis, puto mihi quiescendum. præsertim cũ illa cessio vrbis Romæ, atq; Italię, quam Constantiũ Constãtini patrẽ fecisse, scribit Eutropius, viã strauerit huic donationi filij sui, sicut Euagrius dicit, Monarchiã a Iulio Cæsare introductã pręparasse monarchiã Christi vt orat. 4. Nota. 3. demonst.

20 BRITANNIS parentibus natus. Pomponius Lætus res Magnentij latè describit. & Onuphrius

eumdem in Gallijs, sed parentibus Britannis natum affirmat. Britannias autem illas Gallias, id est, vt nunc loquimur, Vallias appellat. Nam ita Sozomenus lib 5. tripertitæ historiæ c. 10. videtur intelligere, Gallias partis occidentalis, quas nominat. in quibus homines Magnentiæ factionis peradmodum diu latuerunt; quos Marcellinus vocat militares, & lib. 14. Paulum Notarium cognomento Catenam in Britanniam missum a Constantio scribit, vt ad se perduceret eosdem, ausos conspirasse Magnentio. Nam, vt supra lib. 3. Nota. 12. demonstrauimus, vrbs Legionum Romanorum erat in Vallia: eamdemque VVалliam, dici Galliam Elias vinetus Sancto Nota. 25. infrà demonstrat.

21 ANTEA Constantium fecisse. nisi Marcellinus lib. 20. scripsisset hæc, mihi non apparuisset de transitu in Britanniam; vbi tamen vrbem Vindouum condidisse Constantium, seminibusque tribus in pauimento satis, felicem quodammodo vberemq; fecisse, atque ad eius portam sepulchrum habuisse, Nennius scribit; De quali genere faustæ ædificationis Marcellinus idem lib. 22. & ego lib. 5. Nota. 21. demonstraui.

22 ANNOS decem. Rembaldus ponit nisi sex, & Constanti nouem, & Iuliano vnum, & Valentiniano vnum ac decem, quod & Zirixæus facit. Sed cum Onuphrius dicat, eum cum fratribus, & patruelibus annos 25. menses. 5. dies 13. imperasse; de quibus auferri oportet annos 13. menses 7. dies 12 quot imperauit Cæsar; equidem puto tres deducendos respectu Britanniæ quot Magnentius administrabat. & ita restabunt circiter 10. conuenienter fastis Contij, eiusdemque Onuphrij qui dicunt Claudium Iulianum incepisse anno Christi 61. & imperasse circiter annos duos, tum Iouianum quasi annum vnum

23 Gallicanos tractus Franci. Marcellinus lib. 27. tradit hoc de Francis, quòd irruperint in Gallicanas terras, & quòd ijsdem Francis confines sint Saxones. qui situs vtriusque populi tam Francici, quàm Saxonici conuenit cum eo, quod lib. 1. Nota. 37. demonstraui.

ſtraui. Atque tractum Gallicanum ex milite Gallicano, (quem Marcellinus lib. 25. deſcribit, pruinis adſuetum & Rheno, peragratis ſpatijs regionum extentis viuere;) colligo per Francos occupari, eademque ſpatia regionum extenta, fuiſſe quodam a varijs gentibus poſſeſſa. Nam ita lib. 17. Marcellinus, Remos, inquit, Seuerus Magiſter equitum per Agrippinam petens, & Iuliacum, Francorum validiſſimos cuneos in ſexcentis velitibus, vacua præſidijs loca vaſtantes offendit. Et lib. 30. Macrianum regem Alamanorum, turbarumque artificem, narrat perijſſe in Francia. quam dum internecione vaſtando perrumpit auidius, inquit, oppetijt Mellobaudis bellicoſi regis inſidijs circumuentus. quos Alamanos Gallis, ac Burgundijs vicinos eſſe, ipſaſque Gallias Alamanicis excurſibus patere demonſtrat. Sanè quidem Æmilius lib. 3. Franciam Arari, Rhodano Scalde, Moſa, Oceano, & Pyrenæo ſaltu contineri ſcribit.

24 NON indignè ferat. Marcellinus lib. 28. ponit hanc leuem publicæ violatæ fidei excuſationem. quod eſt politicè magis, quàm honeſtè philoſophari. Nam bonis viris honeſta, non occulta petuntur. Nec enim Saxones reſtitutis rebus ablatis, & pactis inducijs, latrones amplius cenſendi erant. Neque datis iuuenibus ſuis ad militiam Romanam ea conditione, vt ceteri domum ſine impedimento redirent; hæc permiſſa fides frangenda per inſidias duplices fuit his, relicta ſua iuuentute, nunc debilioribus factis adeo, vt ne vnus quidem cædibus concorporalium ſupereſſe permitteretur! de quali violatione iuris gentium in cauſa Brenni, ſupra lib. 3. Nota. 5. dicebam, fuiſſe ſumptam occaſionem vrbis Romæ ferro, ac flammis deuaſtādæ.

25. HAEC erit altera Britannia. Gaufridus lib. 2. c. 4. ſic in futuro tempore loquitur, quaſi non ante habuerit, ſed poſtea ceperit, habere nomen Britanniæ: Maximus adiuit Armoricum regnum, inquit, quod nunc Britannia minor dicitur. & populum Frācorum, qui erat ibi, cum ipſorum duce Iubalto, debellare cœpit. Et

pit. Et Cardinalis Baronius ad Martyrologium Romanum. 21. Octobris, repetens ex hoc libro Gaufridi veram historiam sanctæ Vrsulæ, sociarumque Virginum Britannarum, Cum proximas Gallias, inquit, Maximus inuasisset, ac vicinos Armoricos sedibus expulisset, vacuam prouinciam, vberes glebas Britannicis militibus nouæ coloniæ tribuit, ac diuisit; vnde & eidem prouinciæ comparatum est nomen, vt minor Britannia diceretur. Cuius Rex primus à Clemente Maximo instituitur Conanus Meriadocus. de ceteris ordine suo postea dicemus. Nûc aduersus hoc nouum Britanniæ nomen Armoricis datum, faceret quod Gemma Phrisius, Sub hac Britannia, cuius etiam Plinius meminit, Turoniam dicat contineri, vt lib. 2. Nota. 4. retuli, nisi Cambdenus in Britannis Armoricanis, Ante hæc tempora Clementis Maximi, non habitare in Gallia Britannos scriberet, præter illos quos Plinius in Picardia locare videtur. Inde Iulius Scaliger in vrbibus.

Vicit Aremoricas, inquit, animosa Britannia gentes,
Et dedit imposito nomina prisca iugo.

Quam rem Elias Vinetus Sancto in commentarijs ad Edyllium. 3. Ausonij explanans, Britannos continentis in eos, qui sunt Belgicæ Galliç, ac eos, qui Celticę Galliæ distribuit, De illis inquit, Belgicis, qui ad occasum cum Ambianis, Bellouacis, & Morinis habitant, loquitur Plinius, & in aduersam insulam transuecti putantur. quæ cum Albion antea diceretur, Britannia ab illis transnominata: & vicinæ etiam huic, insulæ Britannicæ cognominatæ sunt, quas ijdem Britanni possederint. Mansit autem illi hoc nomen vsq; ad annum à Christo nato circiter quadringentesimum, & quinquagesimum. Circa quod tempus Scoti & Angli Britannos sibi subegerunt, eorumque insulam inde adhuc tenuerunt, quæ nunc ab ijs appellatur, pars Scotia, pars Anglia, pro Albione, & Britannia. Quibus verbis Vinetus Sancto, Albium vetus, hodiè vocari Sco-

tiam non affirmat. verumtamen Albaniam fuisse, quæ nunc Scotia est, lib. 2. Nota 8. demonstro. Tamen dissentit a Gemma, qui Turones in Plinij Britannia (sicut ego eodem libro Nota 3.) reponit, quos nemo in Belgica Gallia recenset, vt nec insulas, quas Plinius Britannicas vocat, fuisse a Britannis populis habitatas. quas inde nomen Britanniarum habere lib. 1. Notis 25. & 36. declaro, quòd a se diuisæ, possessioneque separatæ sint. Nec ipse Plinius, si viueret, vellet credo dicere, incolas insulę dictos esse, a suis populis in continente Britannis; qui de herba Britannia, quam Cambdenus in Cantio, cochleariam nominat, Reperta, inquit, auxilio est, non neruis modo, & oris malis salutaris, sed contra anginas quoque, & serpentes. Frisij, quà castra erant, militibus Romanis illam herbam demonstrauêre: miror que nominis caussam, inquit Plinius, nisi, fortè confines Oceano Britanniæ, velut propinquæ, dicauere: ac idcirco Britannicam vocauerunt. sic populos Morinis proximos, si Plinius interrogaretur, diceret appellatos Britannos, quòd ab his in Britanniam insulā breuissimus, & consuetus esset traiectus, vt lib. 1. Nota 7. dicebā. Ceterum quod huc pertinet Vinetus idē rectè, In Gallia Celtica, inquit, ad ipsum Oceanū & Ligerim, Britānia nunc appellatur, qua parte Namnetes, Redones, Venetos, Diablintes, Osismios, & alios quosdam populos ponunt, Cæsar, Plinius, Ptolomæus; ea & ab eisdem Albione insulæ Britannis, nomen inuenit. Maximus enim, quum in Albione tyrannidem arripuisset, in Galliam cum exercitu transisset, Gratianum Imperatorem Lugduni extinxisset, Britannis hanc Galliæ partem dedit, quorum fauore & auxilio tantum facinus ausus fuerat. Hoc scribit Sigebertus factum, anno Christi trecentesimo & octogesimo sexto. Ex quo tempore Britanni hanc oram Gallię Celticæ tenuerūt. in eamque multo maior vis Britannorum cum suis Episcopis commigrauit, quo tempore Angli, iam magnam partem Albionis tenentes, reliquum nullo non imma-

immanitatis genere, oppugnarunt. Sic duæ Britanniæ ex vna factę quum essent, illam Britanniam maiorem, & insulam Britanniam nominauimus. Celticam verò, Britanniam minorem, & Cismarinam Britanniam, in qua Britanni sermonem suum adhuc retinuerunt, soli ex ceteris illi Albionis parti cognitum, quæ VVallia, id est, Gallia nominatur. Hęc enim gens eodem, sermone vtitur cum Britannis Celticis, quos Bretones vulgô appellamus, inquit Elias Vinetus. Imo, quod ego nunc adijcio, vulgus eosdem Britones Britonantes nominat, hoc est, verè descendentes ex Britonibus insulæ; sicut Trebellius Pollio in Gallienis duobus, pugiles non veritate pugilantes, sacculis pugiles, per contrarium appellat. Nam verè pugiles pugilantes, sunt qui pugnis, & cæstibus contusi, ne ingemiscunt quidem, vt Cicero lib. 2. Tusculanarum quæstionum, & de claris oratoribus satis demonstrat.

26. THEODOSII æmulus. Cambdenus in Romanis Britanniam occupantibus, Gratianus imperium inquit, suscepit, qui etiam Theodosium, Augustum declarauit. Hoc Clemens Maximus, eius æmulus, qui Britannico exercitui iam præerat, ægrè ferens, purpuram arripuit, incursantes Picthos & Scotos, vt ait Prosper Tiro Aquitanus, strenuè superauit. sed a Theodosio tandem superatus est victoria adeo magna, & memorabili, vt testante Procopio, Romani deinceps illum diem quotannis festum agitauerint. Quibus ex verbis audimus causam sumpti a Maximo Imperij, fuisse Theodosij æmulationem. quæ vnde nasceretur, nemo dicit. Nam ferè contingit æmulatio inter viros virtute, viribus, ac nobilitate pares. Sed Latinus Pacatus in Panegyri Theodosio Imperatori dicta Tu, inquit, & eras a familia Imperatoris alienus, & adsciscebaris tertius, & cogebaris inuitus, inuitus, inquam. Audite hoc publici parricidæ, qui oblita fide, dominorum sceptra cepistis, & periculo non minore, quàm scelere imperium vita paciscentes, sanguinis pretio regium nomen emistis. repulsam patitur Principatus.

 & vnus

& vnus est ambitus candidati, ne declaretur Augustus. Credetne hoc olim ventura posteritas? & præstabit nobis tam gloriosam fidem, vt nostro demum seculo annuat factum, quod tantis infrà supráque temporibus nec inuenerit æmulum, nec habuerit exemplum. Iste Rhetor Maximum vocat, *Publicum Paricidam.* & Theodosij factum, in recusando imperium, negat æmulum inuenisse. Postea tyrannum appellans Maximum, dum in remota, inquit, terrarum vincendo procedis, dum vltra terminos rerum, metasque naturæ, regna Orientis extendis; dum illos primæ lucis indigenas, & in ipsum, si quod est, solis cubile festinas, inuenit tyrannus ad scelera secretum. O quam paruis ex Principijs veniunt summa mala. Deinde Maximum vocans, exulem Britannum, ipsosq; Britannos, exules orbis; rursusque Maximum nominans, carnificem. Quis, inquit, non ad primum noui sceleris nuntium, hominem risit? Nam res infra dignitatem iracundiæ videbatur, quum pauci homines & insulani totius incendium continentis adolerent; & regali habitu exulem suum, illi exules orbis, induerent, nisi postquam erat præcipuè perfidia Ducũ, & defectione Legionum contra rempublicã armatus. Nolo tamen vsquequaque miserorum, vel factum, vel fatum, onerare, qui dum carnifici purpurato, tua se, & affinitate, & fauore iactanti, infeliciter credunt, grauissimum omnium nefas fecerunt. Ne plura Rhetoris maledicta proferam, hæc affinitas, & iste fauor Theodosij, quem Britannis proponebat Maximus, vt eos ad suas partes adduceret, Romæ contrahebatur, ex honore Leonini patris eius propter quam rem Iulianus memoriam Constantini, tanquam nouatoris, turbatorisque priscarum legum vexauit, vt Marcellinus lib. 21. scribit, apertèque ipsum accusauit, quòd barbaros omnium primus, vsque ad fasces & trabeas consulares auxerat. insulsè nimirum (ait Marcellinus) & leuiter id fecit Iulianus. qui cum vitare deberet. hoc quod infestius obiurgauit in Constantino, tempore breui postea Mamertinum ad
Con-

Consulatum euexit, nec vita, nec splendore, nec vsu, nec gloria, similem cuiusquam horum, quibus Magistratum Amplissimum Constantinus detulerat. Itaque Maximus in familiam Theodosij venit iure clientelæ, affinitateque iunctus, ibi cum honore vixit. neque id ignorabant Duces legionum Romanarum, qui ad ipsum a Gratiano defecerant. Propterea Rhetor, ille vbi fassus est Maximum esse nobilissimæ familię, clientem iniustè vocat eumdem, domus ipsius negligentissimum vernulum, mensularumque seruilium statarium lixam & patris incertum filium, qui fuerat Leonini Helenæ auunculi pro certo filius, item latronem, piratam, insulamq; totã, specus eius Charybdim. Nam si Theodosius inuitus Imperator factus est, itẽ Maximus inuitè purpura induitur; & erat vir vita bonus. & ab ipso Constãtino Magno præfectus exercitibus Britannicis, licet a sequentibus Imperatoribus destitueretur inde sua nascitur æmulatio. & impœnitentia sua fecit eumdem haberi quodãmodo infamem apud posteros. Sic enim Beda lib. 1. c. 9. Cum afflictũ, & penè collapsum reip. statum Gratianus videret, Theodosium, Hispanũ virũ, restituendæ reipublicæ necessitate, apud Sirmium induit purpura, orientisque & Thraciæ simul imperio præfecit. Qua tempestate Maximus, vir quidem strenuus, & probus, atque Augusto dignus, (nisi contra fidem sacramenti per tyrannidem emersisset in Britannia, inuitus propemodum ab exercitu creatus Imperator), in Galliam trãsijt, vbi Gratianum Augustum subita incursione perterritum, atque in Italiam transire meditantem, dolis circumuentum interfecit, fratremque eius Valentinianum Augustum, Italia expulit. Hanc exceptionem Bedæ, de Maximi tyrannide, homicidioque Gratiani, neque correctione sui peccati, per impositam sibi pœnitentiam, considerans, Ambrosius in oratione sua funebri, Manet in lumine Theodosius, inquit, & sanctorum cœtibus gloriatur. Illic nunc complectitur Gratianum iam sua vulnera non mœrentem, quia inuenit

vito-

vltorem. Qui licet indigna morte præuentus, ac præreptus sit, requiem animæ suæ possidet. Ille bonus vterque, & pietatis interpres, largius misericordiæ suę consortio delectatur. Contrà autem Maximus, & Eugenius in inferno docent exemplo miserabili, quàm durum sit, arma suis Principibus irrogare.

27 SCOTOS bellum gerens. Trithemius, & Chamber scribunt hoc bello victum primum Eugenium Scotorum regem, cumque eo quinquaginta millia tam virorum, quam mulierum interfici. ceteros in exilium actos, bonis eorum in Britannos Romanosque milites liberaliter distributis. quæ res coniuncta cum victorijs tam insignibus effecit, vt ab exercitu vtroque Maximus salutaretur Imperator. Lycosthenes in theatro vitæ humanæ, refert paulo aliter, Eugenium Scotorum regem cum exercitu suæ gentis, ex Britannia pelli, anno post Christum natum plus trecentis septuagesimo septimo; de morte dicit nihil, quam quia Chamber ipse natione Scotus affirmat, ordineque describit, ego etiam crediderim esse verum, quod de morte Eugenij a plerisque scribitur,

28 NVNC ordine Principes consueto recenseamus, secundũ emendatam tamen chronologiã, de qua supra diximus Nota. 11. quasi ceperit Imperium Diocletianus anno Domini ducentesimo octogesimo quarto, ac proinde signetur secundus omnes Imperij anno sequenti, quo Marcellinus lib. 23. scribit eumdem adsciuisse sibi collegam Aristobulum, qui fuit annus Christi super ducentos octogesimus quintus, & ipse secundum Consulatum gessit, potestate Tribunitia secundò aucta. vt apparet ego inscriptione antiqua Romæ in atrio ædium Tiberij Ceuuli his verbis: Imp. Cæs. G. Valerio Diocletiano. Pio. Felici. Inuicto. Aug. Pontif. Max. Britannic. Max. Ger. Trib. Potest. II. Cos. II. P.P. Procos. Honorati & Decurion. & numerus militum caligatorum. Contigit autem anno sequenti ab hac inscriptione, nempe tertia Tribunitia potestate eiusdem Diocletiani, Maximianum creari

Imperatorem: nimirum octogesimo sexto supra ducentos. quo tempore iussit Carausium occidi. & anno septimo post, scilicet ducentesimo nonagesimo secundo fuit occisus per Allectum. & ipse deinde anno tertio, nempe plus ducentis nonagesimo quarto, per Asclepiodotum occidebatur. qui etiam ipsemet anno Christi plus ducentis Nonagesimo quinto per Coëlum Tertium regem Britannorum occisus dicitur; eoque intra annum mortuo, esse Princeps

111. Constantius Priscus, qui anno ab orbe saluo. 296. cœpit imperare, rexitque annos. 11.

112. Constantinus Primus, anno. 306. imperat annos. 30.

113. Constantinus Secundus anno. 337. gubernat annos. 2.

114. Constans Priscus incipit anno. 339. imperat annos. 9.

115. Magnentius cepit anno. 348. regnat. 3.

116. Constantius Iunior anno. 351. imperat. 10.

117. Iulianus cepit imperare anno. 361. finit biennio.

118. Valentinianus Primus cepit anno. 364. imperat annos. 11.

119. Gratianus Priscus incipit anno. 375. desinit ãno. 8.

120. Maximus cepit imperium anno. 383. reliquit anno. 5.

Quæ annorum inchoatorum magis, quàm completorum supputatio cadit in annum plus trecentis octuagesimum octauum, quo Theodosius Maximum interficit, & Valentinianum, Imperio Occidentis restituit, vt Contius arbitratur; Sed iste Flauius Magnus Maximus ex prosapia Cõstantini Magni oriundus, vt ait Adolphus Occo, a Theodosio victus, & captus; cum ad tertium ab Aquileia lapidem ei sisteretur, Regijs ornamentis exutus anno post Christum natum plus trecentis Octuagesimo Nono, capitis supplicio affectus est.

FINIS.

APPROBATIO.

Hic ſextus Hiſtoriæ Britannicæ liber, prioribus quinque eodem ſtylo & filo attexitur ab Auctore Catholico, Viroque clariſſimo Richardo Vito Iuriſconſulto. 20. Aug. 1598.

Guliel. Gazæus S. Mariæ Magdalenes apud Atrebates Paſtor, librorumque Cenſor.

ATTREBATI,

EX TYPOGRAPHIA GVLLIELMI RIVERII TYPOGRAPHI IVRATI.

M. D. XCVIII.